GESTA TREVIRORUM

INTEGRA

LECTIONIS VARIETATE ET ANIMADVERSIONIBUS ILLUSTRATA

AC

INDICE DUPLICI INSTRUCTA

NUNC PRIMUM EDIDERUNT

JOANNES HUGO WYTTENBACH

ET

MICHAEL FRANCISCUS JOSEPHUS MÜLLER

TREVIRI.

VOLUMEN III.

AB ANNO MDXXXI USQUE AD ANNUM URBI ET PROVINCIAE TREVIRENSI FAMOSISSIMUM MDCCXCIV.

AUGUSTAE TREVIRORUM

TYPIS ET SUMPTIBUS TYPOGRAPHIAE BLATTAVIANAE.
(IN COMMISSIS APUD F. LINTZ.)

MDCCCXXXIX.

30/EH/w 4342-3

30/EH.J/w 4342-3

?

Universitätsbibliothek in Trier

72 A 2941

Lectori Benevolo Editores Salutem.

Habes nunc tertium et ultimum Gestorum volumen, in quo magnam historiarum partem idiomate teutonico per scriptores, temporibus illis aequales, literis consignatam, typis evulgamus. Jure enim primigenium scriptorum idioma et scripturae genus ubique fideliter retinendum atque conservandum esse videbatur.

Hic finis fit laboriosissimae hujus editionis, et universa studiorum nostrorum ratio nunc tandem absoluta est.

Largam materiam in hoc opere attigimus; vastum plurimorum saeculorum campum aperuimus; Gesta Trevirorum integra, (inde ab historiae nostrae incunabulis usque ad annum 1794) in lucem emisimus: nihil enim in eorum textu praetereundum erat, ne ea quidem, quae in antiquissimis patriae nostrae Gestis, non ad historiae fidem scripta,

referuntur, et Trevericarum rerum enarrandarum agmen quasi ducunt. Valde nos in hoc consilio sentimus confirmatos, quod summos viros, justos rerum aestimatores, qui in simili labore versabantur, eandem sibi praescripsisse legem, et eandem secutos esse sententiam videmus. »Haec (inquit Titus Livius)« neque affirmare, neque refellere, »operae pretium est; famae rerum standum est« Fere idem animadvertit Quintus Curtius, scribens: »Equidem »plura transcribo, quam credo: nam nec affirmare sustimeo, »de quibus dubito, nec subducere, quae accepi.« Sic et C. Cornelius Tacitus: »Neque confirmare ar»gumentis neque refellere, in animo est. Ex ingenio suo »quisque addat vel demat fidem.« —

Antiquo et medio aevo finito, aetas recentior succedit. Ad hujus postremae aetatis historiam accuratius perlustrandam, literaria monumenta et subsidia authentica plurima, quae magna ex parte scriniis suis quasi carceribus inclusa, ac pulvere oblivionis obducta, olim deplorata jacerent, per

quadraginta annos immenso prope labore undique a nobis collecta, et e periculo excidii feliciter a nobis conservata, in hoc quoque volumine in lucem produci sincere curavimus. Fontes, ex quibus hausimus, suo loco adnotamus.

Etsi propter magnam utilitatem, quam Gestorum voluminibus duplex index allaturus merito creditur, eum ad hoc volumen ultimum perfici, atque in manus Lectoris induci optaveramus: id tamen, ob materiarum abundantiam et temporis angustiam, hucusque a nobis, viris provectae sane aetatis (in septimo enim annorum decennio vivimus), commode fieri minime potuit. In hanc vero rem, si Deus vitam et vires concesserit, jamnunc sedulam collocabimus operam, duplicemque indicem exacte in supplementum editionis nostrae dabimus. —

Hoc jam peractum Gestorum Trevirensium amplissimum corpus fertili villae rusticae comparare liceat, ad omnem meramque utilitatem instructae. Ad hanc pertinent agri,

prata, pomaria, vineae, sylvae etc. etc., quae grata rusticitate et cultu quodam nativo sinceroque commendantur, ubi passim nonnulla etiam amoena et ridentia sunt, quae visum recreent animumque delectent (*).

Non amplius te moramur, Candide et Erudite Lector! Vive valeque, et lingua animoque nobis favere perge!

Treviris, Cal. mens. Maji an. MDCCCXXXIX.

J. H. WYTTENBACH. **M. F. J. MÜLLER.**

(*) Prudentissime de hac re disputat egregius Frid. Köppen (Vertraute Briefe über Bücher und Welt I. (S. 411.) his verbis: Man soll nicht vornehm herabblicken auf einen treuen Chronikenschreiber, dessen Fleiß und Tugend bewährter sind, als die lose Rede mancher ästhetischen oder philosophischen Kunstschreiber, welche keine deutliche Kenntniß der Vorfälle haben und geben. Auch ist die unverzierte chronologische Mittheilung nicht allemal dürr und von Leben entblößt (†). Gesetzt die Kunst derselben sey nicht groß, so kann doch keine Geschichterzählung ganz diese Form verlieren, weil sie aus dem Leben entsteht und mit dem Leben fortgeht. Wäre die Zeit selbst ihr eigener Historiograph, so schriebe sie eben Chroniken, und nichts als Chroniken, woraus doch jeder hinreichend Geschichte lernen könnte. — —

(†) Ssepe creat molles aspera spina rosas. **(Ovidius.)**

GESTA TREVIRORUM

VOLUMEN TERTIUM.

CAP. CCXCI. USQUE AD CAP. CCCXC. INCLUS.

GESTA TREVIRORUM

VOLUMEN TERTIUM.

GESTA TREVIRORUM.

CAPUT CCXCI.

De Joanne III. Trevirorum Archiepiscopo *)

Richardo succedit, 14°. ab obitu ejus die, concordi electione, Joannes a Metzenhausen, tertius ejus nominis, et in ordine Praesulum Trevirensium 105tus (27. Martii anno 1531.): S. Majoris ecclesiae primo Decanus, inde ex Praeposito Archiepiscopus, virtutibus suis hoc merentibus. Eodem die per venerabilem et generosum Dominum Reinhardum Comitem de Lyningen et Dominum in Westerburg, Canonicum Capitularem Trev. ac Decanum Coloniensis eccles., publice in ecclesia proclamatus est, in praesentia plurimorum Abbatum, Praelatorum, Comitum, Baronum et Militarium, supra summum altare collocatus, cum decantatione cantus laetitiae: Te Deum laudamus. Quo cantu finito, Electus ductus est ad palatium suum; ibi cum Capitulo, Abbatibus, Praelatis, Comitibus, Baronibus, Militaribus ac Senatu Trevirensi, et aliis advenientibus pransus est.

Hic praedecessoris sui justa funebria, convocatis in eum finem pluribus Episcopis, Praelatis, Principibus, Comitibus et nobilibus viris, splendide celebravit.

Confirmatus est Romae a Clemente VII. anno 1531 die 27. Novembris, et a Carolo V. regalibus Boppardiae investitus est anno 1532. ipsa die S. Blasii, id est 3. Februarii; et Dominica Judica

---

*) Prae aliis autographum cod. Mstum. Joannis Linden sequimur. Honthemius historiam hujus Archiepiscopi et quorundam ejus successorum ex cod. Msto. Eberh. Clus. juniori et satis jejuno descripsit, in quo plura omissa sunt, et melior ordo desideratur.

(a) Vid. chartam Capituli Metrop. Trev., qua haec electio provinciae Trevirensi nota fit (ap. Günth. V. p. 231 sq.)

anni 1532., die 26. Martii (a), Treviris a suo in pontificalibus Vicario (b), Episcopis Virdunensi et Tullensi assistentibus, est consecratus.

Orditur regimen a Cleri reformatione. (c) Arces fere omnes suae provinciae, superioribus bellis et tumultibus quassatas, reparavit. Civitati Trevericae propter simultates et lites cum praedecessoribus Archiepiscopis non adeo addictus erat. Unde nulla pacta cum ea inire, nec antiqua innovare voluit: pecuniam tamen annuam ab eadem civitate recepit, quam a temporibus Cunonis (saeculo XIV.) dare consueverat. Et quia satis providebat, jamque adhuc Decanus et Praepositus didicerat, quem tandem exitum Treverica seditio habitura esset, Palatiolum, Trevirorum suburbium, cum arce et aula pontificali operose munire instituit: veritus ne eo aliquando indigeret (d).

Sub hoc Archiepiscopo, anno 1534, Anabaptistarum haeresis in Westphalia coepit. Eodem anno conflaravit totum oppidum Montabaur. Anno 1535 Monasterium in Westphalia eripitur Anabaptistis, ope Archiepiscopi Coloniensis, Trevirensis, et Ducis Juliacensis.

Lectiones publicae resumuntur Treviris in publica schola, quam converterant cives in armentarium (e). Restaurationis fautores fuerunt Mathias de Sarburg (Saraecastro), Nicolaus Sellanus, Goar de S. Goare, et Ambrosius Pelargus (f).

— Anno 1535. Carolus V. (g) cum exercitu trajecit in Africam,

---

(a) In Masen. edit. Broweri legitur 26. Maji; sed false.

(b) Nicolao Schienen, titulo Azotensis Episcopi, de quo jam in Gestis Richardi sermo erat. —

(c) Quae sequuntur facta usque ad verba: Sub hoc Archiepiscopo &c. desunt in edit. Honth. —

(d) Haec tantum in edit. Honth.: Joannes Archiepiscopus reparat Palatiolum. Sequentia (ad ann. 1533.) de Joanne a Metzenhausen Archiep. addimus, scilicet: quod ordinata sub nomine Unter-Gerichts-Ordnung Judiciis oppidorum et villarum praescripserit. Editio princeps horum ordinatorum impressa est Moguntiae per Ivonem Schoeffer anno 1537. in fol. — Altera editio est de anno 1539., ibidem per eundem typis expressa. Ambae editiones rarissimae sunt.

Tum etiam Rescriptum hujus Archiep. memoramus s. t. Ordnung der Bettler. Actum Schönbergk, ann. 1533. (Cod. dipl. Trev. Ms. T. I.)

(e) Philosophiam tradi moralem publice, accersito Professore (Justino Goblero), ad caeteras artes jussit Joannes III.

(f) Vid. additamenta in fine voluminis.

(g) Haec et sequens periodus non leguntur in edit. Honth.

vicit Barbarossam *) et cepit munitissimam Africae urbem Tunetum **), et restituit regem, quem Barbarossa fugaverat. Eodem anno Henricus VIII., Rex Angliae, consiliarios suos decapitari jussit ***), uxorem legitimam repudiavit, superinducta Anna Bolena, Lutheri haeresin tota Anglia recipi mandavit, bellum imaginibus et sacris reliquiis indixit.

— Anno 1536 cometa Treviris apparet: hyems erat instar veris. Anno 1539 toga Christi ostenditur Treviris Ferdinando Regi Romanorum.

Eodem anno †) mortuus est Georgius Saxoniae Dux Catholicus sine liberis: reliquit totum Saxoniae Ducatum fratri suo Henrico, testamento mandans, ne idem suus haeres aliam a Catholica religionem in eodem Ducatu introduci patiatur, donec in universali Concilio religionis lis decidatur: si secus faciat, jus esse Imperatori ditiones Saxoniae invadendi et alteri tradendi.

Eodem anno tanta fuit annonae fertilitas et vini ubertas, ut non sufficerent vasa. Unde cisternae in terram defossae, muratae, cum oleo et sevo illitae; aliae asseribus vestitae, ut vinum continerent et servarent. Anno 1540 tanta fuit aëris siccitas et calor, ut aquae alias perennes et fontes exsiccarentur, et Rhenus in multis locis vadosus fuerit, ut pedites eum transierint. Crevit nihilominus vini praestantissimi et frumenti satis. Non fuit ab hominum memoria tanta siccitas tam diu audita continuari (a).

Eodem anno dissidium ortum est inter Carolum V. et Ducem Juliae Cliviae, quod postea gravi bello et caede multorum, captivitate etiam ipsius Ducis et direptione terrarum sopitum est (b).

---

*) Hayraddin, dictus Barbarossa, Solymanni Turcarum Imperatoris vasallus.

**) Tunis, haud procul eo loco, ubi Carthago sita fuit.

***) Thomam Morum, regni Cancellarium, probum et eruditum hominem, et Joannem Fischerum, Roffensem Episcopum et Cardinalem, qui etiam doctis et intrepidis illius tempestatis viris jure annumeratur.

†) Quae sequuntur usque ad finem capitis, absunt ap. Honth.

(a) Mechtelius in suo Chron. Limburg. scribit: „Anno 1540. Ein heydrucken Jar, gut „Korn und sehr lieblicher edler Wein gewachsen, dergleichen kein Man so alt mehr hatte „mit Mundt getrunken in diesen Landen. Man kauffte ein Fuder Wein umb 10. 11. auch „12 Gulden." — —

(b) Anno 1543. Carolus expeditionem suscipit adversus Cliviae Ducem. Pax sancita cum illo Venloni 7. Id. Sept. ejusdem anni; qua Dux omnibus in Geldriam juribus renunciat. (V. Sleidanum lib. 15.)

Cumque Ferdinandus, Romanorum Rex, Caroli V. Imperatoris frater, eodem anno Hagenoe conventum celebrem procerum Imperii conscripsisset, tractaturus de bello contra Turcam parando (a), qui propter religionis dissidium de Germania subigenda cogitabat, et Pannonias jam tum innumerabili exercitu infestabat: accessit eundem conventum Joannes Archiepiscopus. Cumque esset corpore obaeso et pingui, in extremis illis caloribus iter faciens nonnihil infirmatus est, non tamen decumbebat, aut a conventu abstinebat; sed cum soluto conventu redeundi ad sua cuique potestas facta esset, Joannes Archiepiscopus die 20. Julii Hagenoe venam sibi aperiri fecit morbi levandi causa, et itineris facilioris ergo. Sequenti autem die mane consurgens, et viae se committens in extremo et quasi intollerabili aestu, pulvere, siti et ardore, novem magna milliaria Germanica confecit. Incaluit ergo supra modum; et quia omnis calor naturalis commotione illa vehementi et aëris circumambientis ardore ad exteriora ejus ductus est, cum de equo in arce Taenstein descendisset, et aliquantulum quievisset in caloris intrinseci debilitate, deliquium et quendam mentis excessum sive apoplexiae speciem passus est; quod solet contingere iis qui plus solito exinaniti, inflammati aut exercitati sunt, praesertim tempore aestivo. Ex hac infirmitate haustu vini subito refocillatus, et aqua frigida in faciem aspersa, odoribus et unguentis confortatus est, statimque ob repentinam mutationem in fauces (b) ei cecidit uvula, quae eum suffocavit.

Die ergo 22. Julii 1540 in arce Taenstein *) quae fuit olim Francisci de Sickingen, et a praedecessore Richardo Archiepiscopo eidem belli jure adempta, confessus, communicatus et inunctus obiit; praesentibus Meinhardo de Metzenhausen ejus consanguineo, Joanne de

---

(*) Addimus hoc loco sequentia ex Msto. Himmenrodensi Rob. Bootz (s. t. Series Abbatum &c. &c.): „Ad Solymannum profligandum indicta sunt subsidia. Nostrum monasterium pendere debuit quingentos quinquaginta florenos auri. Ditio„res privati taxati sunt pro duobus florenis, mediocres pro uno floreno, reli„qui pro medio floreno vel sex albis, famulus pro uno et medio albo, an„cilla pro uno albo.“ &c. —

(b) in facie: sic satis male illud hujus codicis exemplum, minus accurate scripsum, quod ad Honthemii bibliothecam olim pertinebat.

*) Thannstein, castellum in Wasgau.

Schonenberg officiato in Schonecken, Valentino de Ellembach, Conrado de Metzenhausen, Georgio de Nickendich, Craftone de Allendorf, qui Principi morienti candelam porrexit, Richardo de Eltz, Simone Reichwein de Montabaur medico (a), Joanne Castener secretario, Michaele Tornay Decano Wesaliensi, capellano domini.

Sedit in archiepiscopatu annis novem, mensibus 4., diebus 22. Corpus quidem aromatibus conditum, primo Palatiolum, deinde Treverim delatum fuit; sed conservari a corruptione non potuit prae nimio calore. Ita graviter olebat, ut tumba aperiri non posset; ideo cito inhumari debuit in ecclesia Majori juxta altare S. Georgii, die S. Annae (b).

CAPUT CCXCII.

De Joanne Ludovico *) Archiepiscopo Trevirensi.

Vacavit sedes ab obitu praedecessoris diebus sextendecim, cum per electionem (c) successor datur ex Praeposito Majoris ecclesiae

(a) Hujus medici mentionem facit Seb. Münster in suo opere s. t. Cosmographey (in descriptione urbis Trevericae).

(b) In cod. Eb. Cl. (ap. Honth.) haec tantum legimus:

„Anno 1540 Joannes archiep. moritur in arce Alsatiae Dunstein; opinio est, quod „siti praefocatus fuerit, uti exta illius adusta demonstrarunt, 22. Julii, aetatis 48. Prae„fuit laudabiliter 9 annis; sepelitur honorifice planeque religiose Treviris in majori „ecclesia. Corpus exanime Palatiolum advectum, atque inde in urbem cum pompa in„troductum, maturatumque funus, ut vulgo, reor, scrmonem dedit, quod foeditas odo„ris offenderet. Denique sepultus est Joannes ante aram S. Helenae, ubi in ipso pa„riete ad levam excitatus illi cum elogio tumulus:

„Egregio Principi Domino Joanni a Metzenhausen †), Archiepiscopo Trevirensi, „cujus virtute et industria Ecclesia Trev. per novem annos et quatuor menses „feliciter administrata est. Successor Joannes Ludowicus ab Hagen opt. Princeps „virtutis causa posuit. Periit in conventu Hagenoensi, in quatuor-viros compo„nendae religionis designatus, cum annus ferventissimus incidisset, aeger relatus „est in arcem Daenstein Vasgoiae, ubi extinctus est XXII. Julii: inde perlatus „ad suos, hoc loco sepultus est.“

M. D. XL.

Hoc sepulchrale monumentum visitur ad septentrionale latus juxta ostium e regione chori.

*) In edit. Honth. dicitur Joannes IV.

(c) Legitime et concorditer electus: ibid.

†) Nota erat haec familia jam saeculo XII; charta enim anni 1197. mentionem facit Margarethae a Metzenhausen. Carolus Michael Emmer. a M., Electoris Trev. Consiliarius, ultimus familiae, obiit 1750.

Joannes Ludovicus ab Hagen, die 9. Augusti anni 1540. Qui eodem anno a Paulo PP. III. confirmatus; consecratus autem non est, neque presbyter ordinatus. Regalibus eum investivit Ferdinandus Rom. Rex.

Ante ejus electionem Senatus Trevirensis querelas et gravamina quaedam Capitulo majori obtruserat, petens iis mederi, priusquam novus Praesul eligeretur; aut certe ordinari, ut electus querulantibus satisfaceret. Verum ad novum Praesulem negotium remissum fuit, quocum Senatus tractaret. Ipse vero Praesul iteratis querelis importune interpellatus, sumpto deliberandi spacio, nihil unquam definivit. Unde colligi potest, eadem prorsus fuisse gravamina, quae post, a furente et male sana plebe armis ventilata, Rudolphus II. Imp. per sententiam decidit (a).

Erat vir perhumanus et mitis erga omnes omnium conditionum homines, omnibus charus. In magna rerum Germanicarum perturbatione et religionum discrimine archiepiscopatum tranquille gubernavit.

Anno 1540 Joan. Ludovicus assumit Bartholomaeum Latonum (b) in consiliarium. Patria Trevirensis affligitur peste et vicino bello Gallico.

Anno 1541 Carolus V. venit ex Hispania in Belgium, ut rebelles subjugaret. Quo tempore coepit aedificare castellum Antverpiense.

Anno 1542 novum bellum inter Carolum V. et Franciscum Regem Galliarum exarsit. Eodem anno 20. Martii promulgavit Joannes Ludovicus Edictum generale de reformandis moribus Cleri (c).

(a) Omnia haec et plura sequentia absunt ibid.

(b) Conf. Vol. II. in additam. p. 55.

(c) Hoc edictum exhibetur ap. Honth. (Hist. Tr. dipl. II. p. 684. sq.) Laurentius Surius Ord. Carth. in suo Commentario rerum his temporibus in orbe gestarum scribit: „Et fuit id quidem verissimum, Clerum multis abominandis scatere vitiis.“ Vide quoque decreta Synodi Dioecesanae Trev., an. 1548. celebratae, de qua infra sermo erit. Confer porro librum, qui Onus Ecclesiae inscribitur, cujus auctor anonymus multum conquestus est de excessibus Episcoporum, de Praelatorum vita vitiosa, de perversitate Religiosorum et Capitularium clericorum etc. etc. (Prima editio operis rarissimi est de an. 1524, altera de an. 1531.) Auctor dicitur Joannes Episcopus Chemensis, ut legimus in nota nostro exemplo per virum coaevum adscripta. Adde Ordre du Conseil provincial du Luxembourg du 29. Janvier 1582. contre

Sequenti anno Carolus V. occupavit civitatem S. Quintini in Francia; Rex vero Franciscus Theonis-villam, multis suorum desideratis. Et non diu post, firmata pace, urbes captae, sed destructae et depraedatae redditae sunt (a).

Fuit Joannes Ludovicus in diaeta Spirensi anno 1544., ubi de contributione contra Turcam et Regem Galliarum, nec non de pace religionis multa tractata fuere, et decima proventuum ecclesiasticorum in id bellum promissa.

Huius anni mense Februarii (b) Romae in Vaticano, haud procul a Tiberi, cum in sacello S. Petri fundamenta foderentur, inventa est arca marmorea, longitudine pedum octo et semis, latitudine 5., et 6. altitudine, in qua condita fuit Maria, Honorii Imperatoris conjunx (c), quae virgo obiit, morte abrepta ante nuptias. In ea arca, corpore absumpto, aliquot tantum dentes supererant, capillique ac tibiarum ossa duo, praeterea vestis et pallium, quibus tantum auri fuit intextum, ut ex his combustis auri pondo 36. collecta sint. Erat insuper capsula argentea, longa pedem unum et semissem, latitudine digitorum 12., in qua vasula multa ex crystallo, nonnullaque in achate pulcherrime elaborata. Item annuli aurei 40., variis gemmis ornati. Erat et Smaragdus auro inclusus, in eoque sculptum caput, quod creditum est, ipsum Honorium referre. Is 500. aureis, nempe ducatis, aestimatus est. Praeterea inaures, monilia aliaque muliebria ornamenta, in quibus una earum, quas hodie Agnus Dei vocant, per cujus ambitum inscriptum erat: Maria nostra florentissima, laminaque ex auro, et in ea haec nomina: Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, graecis litteris. Item veluti ramus ex smaragdis aliisque gemmis consertus, et discriminale longitudine 12. digitorum, inscriptum hinc: domino nostro Honorio, hinc: domina nostra Maria; adhuc inerat sorex ex cheledonio lapillo, cochleaque et pa-

---

les concubines des gens d'église (Récueil d'édits, ordonnances etc. etc. concernant le Duché de Luxembourg, etc. 1691. (p. 120. sqq.)

(a) Haec leguntur in edit. Honth.:

„Anno 1543. Luxemburgum male custoditum capitur a Rege Galliae.“

„— Anno 1544 Carolus V. recuperat Luxemburgum.“ —

(b) Relatio hujus facti historiae antiquae studiosis haud ingrata erit.

(c) Stilichonis filia, soror Thermanciae, quae erat altera Honorii Imperatoris conjux.

tera ex crystallo. Item pila ex auro lusoriae similis, sed quae in duas partes dividi potuit. Innumerae pene aliae inerant gemmae, quarum, etsi plurimae vetustate corruptae, nonnullae tamen recentem admirandamque pulchritudinem retinebant, et haec omnia Stilico dedit pro dote. —

Anno 1545. Concilium Tridentinum inchoatur 22. Decembris. Ad hoc Concilium personaliter acceleravit Joannes Ludovicus. Haereticos, fines hujus archiepiscopatus infestantes, Conciliis provincialibus et synodalibus sub se celebratis, propulsavit (a). —

Duo feuda mascula redeunt ad ecclesiam Trevirensem, scilicet satrapia Montis-regalis, et quarta pars Comitatus Diez. —

Anno 1546 die 18. Febr. moritur Martinus Lutherus Mansfeldiae, postquam superiorem Germaniam haeresi infecisset, classicum cecinisset, ritus catholicos abolevisset, et templa expilasset. Wittenbergenses desiderio illius accensi cadaver in ecclesiam palatii ibidem sepeliri curant in stannea tumba, qui Sanctorum reliquias mox ante cum imaginibus inde proscripserant. — Eodem anno Comes de Buren Francofurtum obsidione cepit.

Ipsum deinde Joannem Ludovicum valetudo adversa continuo fere afflixit, donec anno 1547. die 23. Martii vitae finem Confluentiae (b) fecit. Inde Trevirim delatus, in Majori ecclesia ad dextrum latus juxta altare S. Mariae Aegyptiacae tumulatus, extis e regione Confluentium in Valle molaria depositis: aetatis suae anno 55° (c); praesulatus VI., mense VII., die XIV (d).

(a) Horum Conciliorum acta et decreta nobis ignota sunt; nullibi illa, ut nos quidem scimus, in Mstis asservata, aut typis evulgata sunt.

(b) Al.: in Erenbreitstein. —

(c) Ibid. aetatis 53.

(d) Ibid.: pontificatus sui. VII.

Sic et in monumento mox notando; sed minus accurate, cum ad perfectum septennii curriculum adhuc menses et dies desiderentnr.

Cod. Eb. Cl. addit in fine sequentia.

„Successor memoriae defuncti saxum cum effigie et hac inscriptione collocavit: „Jo„anni Luduico ab Hagen, Archiepiscopo Trevirensi Principi Electori, qui per septem „annos in magna rerum Germanicarum perturbatione, per haereticos Lutheranos ex„citata, ecclesiae Trevirensi feliciter praefuit. Joannes ex Comitibus ab Isenburg „successor posuit.“

CAPUT CCXCIII.

De Joanne IV. Archiepiscopo Trevirensi (a).

Ubi ab obitu Joannis Ludovici sedes Trevirensis XXVII. diebus vacasset, legitima Capituli electione, vigesimo die Aprilis anni 1547 purpuram archiepiscopalem adiit Joannes Comes de Isenburg, Canonicus et Archidiaconus istius ecclesiae, ex hac Isenburgica familia (b) secundus Trevirorum Praesul. Siquidem Arnoldus II., qui circa annum Domini 1242 hanc archiepiscopalem cathedram adeptus fuit, ex eodem stemmate ortum habuit.

Vir singularis industriae, qui in diaetis Imperii legationis munere laudabiliter, praedecessoris nomine, functus fuerat. Confirmatum ipsum a s. Sede fuisse, ex actis ejus, tam in diaetis Imperii, quam Concilio Tridentino, cui etiam interfuit, satis apparet. Eum Ferdinandus Rex regalibus investivit. Consecratus autem non fuit neque presbyter ordinatus.

Tumultuante Marchione Alberto, qui religionis praetextu, Episcoporum fines devastavit, Trevirenses invasit, Archiepiscopus Tridento discedere coactus fuit, difficillima expertus tempora.

Anno primo sui regiminis, qui fuit Christi 1547, Carolus V. contra Electorem Saxoniae et Landgravium Hassiae aliosque Protestantes exercitum movit Duce Albano, eosque vicit: Saxone et Hasso captivis (c) in Belgium ductis, quos in annum 1552 detinuit, licet utriusque conjuges et liberi Caesari supplices facti fuissent. Interim Magdenburgum Caesar expugnavit.

Anno 1548 Comitia Augustana celebravit Imperator, ubi confessionem interimisticam (d), quae postea confusio facta est, publicavit. Mandavit simul Pacem publicam servari. Hisce Comitiis Joannes Archiepiscopus interfuit.

(a) In edit. Honth.: Joannes V.

(b) Parentibus Gerlaco ab Isenburg et Anastasia de Sarwerdensi Comitibus.

(c) Philippus Hassiae Landgravius neutiquam bello fuit captus, ut fuit Joan. Fridericus Elector Saxonicus; sed postquam hic captus jam esset, tum demum Hassus ultro ad Carolum V. contendit, ut se ei submitteret.

(d) i. e. formulam, quae sub nomine Interim innotuit.

Eodem anno Joannes Archiepiscopus celebrat provincialem Synodum in templo B. M. V., paratus audire suos, suorumque defectus (a). Decreta Synodi promulgantur in summo templo.

Anno 1549, die 1. Aprilis, Philippus, mox Hispaniarum Rex, Caroli V. filius, Bruxellas venit, cui pater provincias Belgicas cessit, et Ordines sacramentum dixerunt. Eodem anno Joannes Archiepiscopus ipsemet proficiscitur ad Concilium Tridentinum (b).

Anno 1550 Rex Galliae eripit Imperio Germanico Tullum, Verdunum, Metas, tres Episcopatus, vastatque Treviros.

Joannes Archiepiscopus propter motus et metus haereticorum revocatur Tridento. Reversus salutat Philippum, mox Regem Hispaniae, ad Saram, dum Luxemburgum proficiscitur, et Belgium contendit, ut diximus, paternam haereditatem aditurus (c).

Anno deinde 1552. Trevirensibus luctuosus fuit et omnibus ecclesiis ac catholicis. Nam Albertus, Marchio Brandenburgensis, (d) postquam cum exercitu 10000 armatorum ad Francofurtum consedisset, ac inde castra movisset in Moguntinos, istius archiepiscopatus subditos ad homagium sibi praestandum adegisset, civibus Moguntinis nequaquam illum hostem propulsare tentantibus, sacra prophanaque ibidem diripuisset, flamma ferroque omnia devastasset, ac

---

(a) 25. Nov. 1548. — Vide Acta et decreta hnjus Synodi in edttione Colon. de an. 1549 et ap. Honth. (Hist. Trev. dipl. II. pag. 719 sqq.) — Alterum sub hoc Joanne celebratum est Concilium provinciale in Metropolitana ecclesia decimo tertio Maji anno 1549, de quo Gesta silent. Vid. Decreta ejusdem in operibus supra notatis.
Praecipua attentione digna est oratio celeberrimi Pelargi in Synodo Trev. an. 1548. habita.

(b) Browerus (l. c. II. p. 378.) animadvertit: „Inde Joannes ad Tridentinam profec„tionem adornare se, et magnam vim optimorum librorum ex antiquis „undique bibliothecis conquiri jussit!“ — Plurimi horum librorum, proh dolor! non redierunt in patriam. Vid. quae notavimus in Animadv. et addit. ad vol. I. p. 5.

(c) Plura omisit edit. Honth.

(d) Omnia haec quae nunc sequuntur de actis Alberti Brandenburgici, non habet cod. Eb. Cl. (ap. Honth.); sed haec tantum et pauca alia, quae ad marginem infra sequuntur. „Albertus Brandenburgicus persequitur clerum, postulat sibi tradi Ehren„breitstein, quo negato saevit in Trevirenses, Francisci Regis Galliae symbolo: Rex „namque Galliae sumebat sibi titulum protectoris Romani Imperii. — Albertus „Brandenburgicus postulat liberum ingressum et egressum urbis Trevirensis; spoliat „templa, pagos, civitates Epternach, Sarburgh, et monasteria suburbana exurit.“

inde in Colonienses arma convertere statuisset, nisi fortalitio Erenbreitstein impeditus et remoratus, Joannes Archiepiscopus eidem transitum denegasset.

Die 25. Augusti ejusdem anni, vix prima acie in campo Martio a Trevirensibus conspecta, Senatus Trevericus Alberto obviam profectus, eidem claves urbis obtulit (quod suis Principibus hactenus nunquam leguntur factitasse) magnaque pompa et gratulatione in urbem introduxit: multis tamen bonis et piis utriusqus sexus suspirantibus et gementibus.

Clerus omnis diffugerat; hujus enim se hostem, civium vero amicum se fore Albertus pollicitus est. Ejus pollicitationis specimen ut ederet, insigne S. Maximini monasterium, inde S. Paulini antiquissimum Martyrum domicilium succendit igne; domos Canonicorum in cineres redegit, prout et monasterium cum ecclesia S. Mariae ad Martyres, campanis de turribus dejectis. In Palatiolo praesidium paucorum militum, quos Archiepiscopus in tam subitanea perturbatione ex arce Erenbreitstein eo destinaverat, resistere non potuit. Flammis ergo circumquaque clarescentibus territi, de muris praecipites acti, fugerunt, et oppidum vacuum cum castro in cineres et favillam abiit (a).

Monasterium S. Mathiae omnibus bonis spoliatum est. E turribus duodecim campanae dejectae et ablatae; altaria diruta, et imagines sedibus suis propulsae. Inde in fenestras chori, templi, monasterii, in scamna, sedilia, ostia, portas saevitum: ferramenta, serae, claustra cives, pretio militibus soluto, emerunt.

Monasterium S. Martini ipse Marchio accessit, cui vir aetate et habitu spectabilis, Petrus Malburg ejusdem monasteriii Praetor, vinum de optimo propinavit, omniaque in potestatem ejus tradens, incendium deprecatus est. Quo gustato, quatuor circiter ah-

---

(a) Has vastationes satis jejune refert cod. Eb. Cl. tali modo: „Dailbergerus (ex exercitu Alberti) „3. Sept. Palatiolum invadens, magna reperta ibi commeatuum et rerum ne„cessariarum copia, omnia convehi in urbem et importari jussit, et in sequenti luce, „eruptione facta, Sarburgum, praenobilem situ naturaque loci arcem, obstupescentibus „ad hostis eventum incolis, teterrimo incendio, quo hodieque squalet, deformavit: 25. „vero die Septembris sole jam merso D. Paulini septa, S. Maximini et Martyrum „monasteria suburbana, subjectis facibus, Praefecti jussu, collucente late magno civium „numero, ferali flamma concremata.“

marum vas currui suo imponi jussit, et sigillum suum monasterii portis imprimi: eo militibus aditum prohibuit — et locum ab incendio et depraedatione servavit.

Generaliter tamen tota civitate ab incendiis depraedationibusque temperavit: et quod memorabile est, inter tot ecclesiarum depraedationes aediumqne devastationes, dum ferramenta et cancellos fenestrarum milites divenderent, plumbum in ecclesiae Majoris et S. Simeonis tectis reliquerunt intactum.

Misit deinde (a), qui nobilem et splendidam arcem Sarburg, Principum domicilium, et venationibus, aucupiis, piscationibus aliisque honestis exercitiis et commoditatibus celebrem devastarent et succenderent. Templa quidem pleraque hac tempestate succensa, pristino splendori restituta sunt et restaurata, uno S. Remigii fano, ad S. Maximini monasterium spectante, excepto. Campanae plurimae desiderantur; domus et castra Archiepiscopi desolata jacent: memoriale aeternum exercitae crudelitatis.

In his autem malis visus est jocari Trevericus Senatus; nam cum die quodam de more in hypocausto super Stipam congregati compotarent et taxillis luderent (b), ac Marchio urbi insidens commeatu pro militibus indigeret, eaque de causa interpellatus in forum processisset locuturus Consulibus, audivissetque sonum taxillas ferventius agitantium: indignatus sclopeta per fenestram hypocausti in superiorem contignationem globum plumbeum ad-

---

(a) Conf. notam praecedentem.

(b) Quae hic referuntur de hoc pessimo Patrum urbis nostrae more, testatur etiam Mstum quoddam de an. 1630., s. t. Memorial der Crispina von Manderscheidt (monialis ad S. Claram Treviris), ubi haec ingenue enarrantur: „Wie ich villmalt gehört, „iſt mein Großvatter dapffer von Gemütt geweſt, aber dabey der groſſen Herren Art „gehatt, gern (Gott geb ihm die ewige Ruhe) geſpilt, und das nit mit kleinen, ſondern groſſen Summen. Als er die Großmutter von der Ecken (†) gehabt, und ſich offt zu „Trier in ſeinen Häuſſeren uffgehalten, und mit den Stattherren zu Trier uff der „Steipen offt converſiret, alda bey ihnen zu gaſt geweſen und geſpilt. Er hatt uff „einmall alda fünffhundert thaller verſpilt. Der lieben Großmutter abforderte er das „geldt, welche ihm es hatt müſſen bar auß der Kiſten geben." — — Sic bona monialis Crispina.

(†) Plura de hac familia vide in additamento primo ad praesens volumen.

egit; quo Magistri civitatis territi descenderunt, et commeatum suppeditarunt. Increpasse tunc eos fertur, quod in tantis rerum perturbationibus vino et ludo indulgerent! Ad perpetuam ejus rei memoriam Senatus et congregatio stipalis Alberti Marchionis insignia super locum immissi globi depingi curavit, quae hodie cernuntur: argumentum curae et sollicitudinis publicae!! Hoc edocti a majoribus, boni viri pro aris et focis sic laborabant, ut taxillarum jactu et bono haustu recreari necessum fuerit (a). Quia milites magnam in rapis jam maturis stragem in circuitu faciebant, dictum est hoc bellum der Röben (b) Krieg.

Discessit tandem Marchio cum exercitu ex urbe et provincia in finitimas Luxemburgenses villas et pagos, nec non et Metensium castra, et Caesari locum dedit, in urbe Treverica concilium de bello contra Gallos et de obsidione Metensi cogendi (c): prout Carolus Imperator sumptis quibusdam ex hac urbe tormentis, relicto in ea praesidio, ad obsidionem Metensem, quam multi non existimabant esse de tempore, profectus est mense medio Octobris 1552.

Habebat Marchio in exercitu suo Comitem Palatinum de Simmern, Landgravium de Leuchtenberg, Ludovicum Comitem de Oettingen, qui sub se habebant 62. vexilla Germanorum peditum, divisa in quatuor cohortes; equitum octo compagnias, et 34. aenea tormenta. Eo cogitabat, Catholicorum vires enervare, Imperatorem in suas partes trahere, sibi et adhaerentibus libertatem admissorum impetrare, vel certe Regi Franciae contra Imperatorem auxilio esse. Ideo insignia Regis Franciae et albi coloris liliagi coerulea prominebant apud belli Duces. Demum 13. Novembris Albiertus Marchio Caesari reconciliatus est, et exercitui ejus Metas obsdenti junctus. Die 20. Novembris Imperator ipsemet exercitum accesit obsidionis videndae causa, quam in fine Decembris coactus est solvere ob continuas pluvias et militum morbos.

Mole negotiorum et adversa valetudine fractus Archiepiscopus non

---

(a) Auctor noster haec omnia cum justa indignatione satis salse exponit.
(b) Rüben.
(c) Imperator scilicet expeditionem suscipit adversus Galliae Regem, ad solvendam obsidionem urbis Mediomatricum (Sleidanus Lib. 24).

potuit justam indignationem acuere in vindictam, ob hostem tam benigne a subditis suis civibus Trevirensibus intromissum, et claves urbis oblatas. Coeperunt ergo totius dioecesis gubernacula a consiliariis pendere; quapropter summum Capitulum ei coadjutorem designavit Joannem a Petra archidiaconum dictae ecclesiae, cum spe futurae electionis (a).

Anno 1555. Ludovicus de Toleto sepelitur in templo Franciscanorum (b): is erat Dux Hispanorum ante Metas sub Duce Albano. Luxembnrgum magna sui parte incendio absumitur. — Camera Imperialis Spirae fundatur. Eodem anno cum quindecim diebus cometa terribilis apparuisset, defuncta Joanna, Caroli V. Imperatoris matre, Regina Hispaniae, idem Carolus omnia regna et ditiones suas Philippo filio; Imperium vero fratri suo Ferdinando cessit: et ipse ad privatum et religiosum vitae genus in Monasterium S. Justi se contulit, sentiens non longe mortem abesse (c).

Successit annus funere multorum Principum clarus 1556. Cujus initio, die scilicet 18. Febr. Joannes Archiepiscopus diem obiit in arce Montaburana, unde Confluentiam relatus in B. Florini ecclesia reconditur. Justa funebria minima pompa Treviris in Majori ecclesia celebrantur. Sedit annis VIII. (d), mens. IX., diebus XXIX. Mortuus aetatis suae anno 48. (e) Eodem anno moritur Adolphus III. de Schauwenburg, Archiepiscopus Coloniensis (f). — Die 14. Martii

---

(a) Cod. Eb. Cl. (ap. Honth.): Anno 1555. Joannis Archiep. valetudo tentatur paralysi, ideoque in coadjutorem admittitur Joannes de Petra.

(b) Fratrum Minorum, quorum ecclesia et monasterium postea Ordini Soc. Jesu concessa sunt.

(c) Haec pauca in Ms. Eb. Cl.: Carolus V. resignat Imperium et sua regna (anno 1555).

(d) Ibid. falso: Praefuit XI. annis.

(e) Ibid.: aetatis 49.

(f) In aliis exemplis Mss. false legitur: Antonius de Schauwenburg; Antonius enim Adolpho fratri suo, anno 1556. successit in Archiepiscopatu Coloniensi.

Sebast. Münster in libro supra notato Joannem ab Isenburg laudat his verbis: „Es hat Johann, Churfürſt, Ertzbiſchoff zu Trier und graue zu Eiſenburg (sic) auff mein anforderung gantz genedichlichen zu diſem werck Anno Chriſti tauſend fünffhundert acht und vierzig laſſen contrafheten ſeines fürſtenthumbs fürnemſte und uralte ſtatt Trier, und damit allen kunſtliebhabern angezeigt, was adelichs gemüts er tregt gegen der loblicher kunſt der Cosmographei. Hett ich bey etlich anderen biſchoffen ein ſoliche gutwilligkeit und

ejusdem anni, Caroli V. frater Ferdinandus Francoforti Romanorum Imperator declaratus est.

Archiepiscopus ab Isenburg abbatiam S. Maximini ad mortem usque retinuit (a).

CAPUT CCXCIV.

De Joanne V. Trevirorum Archiepiscopo (b).

Non tam novi Principis creandi et eligendi, quam vivo praedecessore electi Joannis a Petra occasione, Treviris in Majori ecclesia die 25. Aprilis anni 1556 conventum est. Erant eo tempore adhuc in urbe Imperatoris praesidiarii: ideo cives eo die adesse in armis non sunt jussi, ne inter eosdem et milites tumultus orirentur. Capitanei tamen et officiales militum cum Senatu civitatis in choro et templo praesentes fuere. Senatus electo statim pro more gratulatus est, et postridie ad palatium accedens, querelas antecessoribus Archiepiscopis exhibitas renovavit, petens iisdem mederi. Acceptavit ille oblatas tabulas cum significatione promptae suae voluntatis; nihil tamen determinavit.

Si confirmatus a sede Apostolica fuerit et quando, non constat: eo namque tempore, cum omnia bello et tumultibus arderent, multa, quae jure fieri debuissent, omissa sunt. Constat sane, eum nec presbyterum ordinatum, nec Archiepiscopum consecratum fuisse.

---

fürſtlich gemüt gefundenn, ich wölt diß werck der Cosmographei noch herrlicher ausgeſtrichen und zugericht haben." —

(a) Cod. Eb. Clus. addit sequentia:

„Sepulchrum ejus egregio ac digno Principe cenotaphio, tum vitae memoriam gravi „commemoratione Joannes successor illustravit ornavitque: Reverendissimo in Christo „Patri et Domino Joanni ex generosa familia Dominorum ab Isenburg et Grensaw, „qui ad hujus sanctae Trevirensis Ecclesiae gubernacula unamini Capituli consensu „adhibitus, cum Ecclesiam, remque publicam inter gravissimos Imperii motus, insigni „pietate ac animi constantia, multisque pro Christi gloria, et Ecclesiae suae salute laboribus susceptis, et itineribus confectis, in Concilio Tridentino in adversam valetudinem incidisset, et paucis post annis patientissime tolerato morbo ex hac vita in aeternam requiem discessisset, Joannes Archiepiscopus successor ex nobili stirpe von „der Leyen, pietatis et virtutis cultor defuncto Principi posuit."

(b) Ibid.: Joannes VI. Plurima etiam hujus capitis absunt in cod. ms. Eb. Cl. apud Honth. Pfeffinger in Vitriario illustr. Lib. III. p. 671. sub nomine a Petra intel-

Erat Princeps prudens, callidus, ad res magnas gerendas idoneus, corporis statura insignis, animo intrepidus. Confirmant id ipsum acta ejusdem in recenti memoria, quibus acerrimum quemque ac solertissimum suorum praedecessorum vel vicit, vel saltem aequavit (a).

Anno 1556. Theonis-villa a Gallis capitur. —

Serpebat de die in diem longius Trevirorum praetensa libertas, contra quam se strenue opponebat Archiepiscopus Joannes, qui ideo durior civitati et Senatui a principio fuisse existimabatur. Res autem novas Senatus indies movebat: jam de portarum clavibus (b), de monetae valvatione cum praedecessoribus Archiepiscopi lis et controversia fuerat, quibus de provincialibus subsidiis, de praesidio in urbem introducendo, deque custodia urbis disceptatio accessit; tandemque de novis operibus et molendinis in fluminis ripa erectis, de Judaeis, aliisque rebus quotidianae quaestiones adjectae sunt. Et sub istorum colore, religionis libertas, more aliarum haereticarum partium, quaerebatur, quod exitus probavit. — Anno jam 1557. Enchrich et Trarbach acceptant haeresim Lutheranam. Anno 1558. abbatia Prumiensis incorporatur mensae archiepiscopali Trevirensi.

Cum Ferdinandus Imperator anno 1559 ad Calend. Januarii comitia Imperii Augustae celebranda indixisset, ipseque Joannes Archi-

---

ligit familiam von der Fels, olim in Ducatu Luxembergensi celebrem, gallice de la Rochette, latine de Rupe dictam; sed illum corrigit Praetorius, quondam Professor Trev., in suo opusculo: Neu entdeckte, oder in mehreres Licht gestellte Wahrheiten, p. 96. — Distinguendum sane est inter familias

de Petra, von der Leyen, de Rupe, von der Fels, a Lapide, von Stein.

(a) In cod. Eb. Cl. haec:

„Anno 1556 Joannes VI. de Petra, Archidiaconus Trevericus, omnium suffragiis „Archiepiscopus 77. Episcopus 103., constituitur. Erat vir prudens, callidus, ad res „magnas gerendas idoneus, corporis statura insigni, animo intrepido; sacerdotio non „est initiatus.“ —

(b) „Huic (Archiepiscopo) redduntur claves civitatis Trev. educto praesidio, per Legatum Caesareum, ut lege consueta promittat Senatui iis uti“ (legitur ibid.) —

Conf. chartas ap. Honth. (Hist. Tr. dipl. II. p. 771. seqq.) s. t. Instrumentum restitutionis clavium urbis per praefectum militum subsidiariorum Caesareae Maj., factae Commissariis Archiepiscopi (1556 14. Jul.) — et Instrumentum traditionis clavium factae Magistris Civium et Senatui civitatis Trev. per duos Commissarios Archiep. (1556. 14. Jul.) —

episcopus cum aliis Electoribus diutius ibi detineretur, sperarentque haeretici Protestantes, omnibus toto Imperio liberum fore quamlibet sectam amplectendi: Treverica urbs eodem tempore, opera cujusdam Caspari Oliviani (a) in haeresim prolabi coepit, existimans, hoc ipsum in istis comitiis statutum iri a Proceribus, ut quisque quam vellet sectam sequeretur. Volebant ergo Trevirenses promptam suam voluntatem praeveniendo declarare, et obediendo praevenire praecipientem.

Erat hic Casparus Olivianus pistoris et civis Trevirensis filius, in domo Witlich nuncupata natus, quam domum postea Joannes a Schonenburg comparavit in usum Judicii saecularis curiae, sitam in platea prope forum ad fossam dicta. Hic pistor filios suos, quorum octo genuerat, in studiis aluit, donec omnes diversarum facultatum Doctores crearentur (b). (c) Inter eos hic Casparus Heidelbergae et Genevae Theologiae operam dederat. Huc ergo accitus a Senatu

---

(a) Al.: Oleviani.

(b) Haec specialia, et multa alia sequentia rursus absunt in edit. Honth.

(c) Hi motus religionis in urbe Trevirensi per scriptorem cod. ms. Eb. Cl. referuntur his verbis:

„Caspar Olevianus e vico Trevir. oriundus, rediens Genua“ (Geneva) „impetrat a „Consulibus Trevir. Laurentio Cremerio Catholico, et Joanne Steusio Lutherano mu„nus docendi litteras in schola ad S. Germanum, atque ita spargit haeresim, et in„de factio civium haereticorum erumpit. Ex quatuordecim tribubus fabri, sutores, „cerdones, et lanifici Olevianum defendunt. Institures autem, nautae et doliarii op„pugnant.“ (†)

„Dominus Leonardus Nusbaum, zelosus senator 80 annorum, cum suis collegis Ole-

---

(†) In Dronkmani (tum urbis Secretarii) relatione Msta. de tribubus accuratius legimus sequentia:

„Die Weber haben ſich erklärt, bey der Ausburger Confeſſion zu bleiben, — Einen ausgenommen. Die Becker bleiben bey der alten Religion — Zehn ausgenommen. Die Metzler bleiben bey der alten Religion — außer einem oder zwei. Die Lauwer und Schuhmacher wollen gröſten Theils, der Doctor ſoll predigen; ſie ſtehen bey der Augsburger Confeſſion. Die Pelzer bleiben bey der alten Religion außer Etlichen. Die Schneider wollen bey dem Doctor ſtehen bleiben, bis er überwunden wird, daß er falſch lehre — 5 oder 6 Brüder ausgenommen, die bey der alten Religion bleiben wollen. Die Krämer bleiben bey der alten Religion — außer ihrer 16. Die Faßbender bleiben bey ihrer alten Religion. Die Schmiede bleiben bey dem Doctor — außer 5 oder 6. Die Leyendecker bleiben bey der alten Religion. Die Zimmerleute bleiben uff der alten Religion, ohne ihrer 5. Die Schiffleute bleiben ausdrücklich bey der alten Religion — alleſambt, keinen außgeſchieden. Die Steinmetzen bleiben bey der aiten Religion — ohne 8 oder 9 ihrer.“

Trevirorum, sive proprio zelo accedens, matrem viduam cum familia haeresi facile imbuit; vicini ad doctrinam clandestinam invitantur, et intra paucos dies magna civium et incolarum pars, maxime lanaetextorum, pervertuntur. Jamque palam quisque profitebatur, quod occulte didicerat; et Senatus, pro sua in hanc doctrinam devotione, templum hospitalis S. Jacobi aperiebat, quo novus Doctor, armata civium manu ac pompa solemni, statis horis deducebatur; neque amplius sordidi textores, sed alii complures mechanici, et de Senatu primores advolabant.

Princeps, harum rerum ignarus, aberat, non constituto aliquo Locumtenente. Senatus multo tempore tumultus et secessiones quaesierat. Capitulares Majoris ecclesiae spernebantur. Animarum Curatis nihil deferebatur: solus Caspar Olivianus rerum in urbe potiebatur.

Die quadam dum, pro audienda concione Oliviana, magna hominum multitudo in templo hospitalis novum evangelistam expectaret; praeveniens eum presbyter quidam Deo devotus, zelo ferventi cathedram conscendit, quem conspectum viri et mulieres ita sedilibus impetierunt, ut se citissime de suggestu subducere coactus fuerit. Antesignani hujus tumultus erant tota familia Steus, Otto de Sehl, Consul Coppenstein, Scabinus Pruck, Joannes Weich steriometra, et alii, quibus populus et faex adhaerebant.

„vianum gymnasio arcent. Sellulariis autem patrocinantibus suggestum hospitalis S. „Jacobi occupat.“

„Joannes Archiepiscopus e comitiis Augustanis redux cognoscit acta per legatos.“

„Olevianus praetendit vocationem S. Spiritus; cives duce Consule Steusio comportant „arma ad Nymphaeum, ibidem conjurant in verba Augustanae Confessionis, praele„gente Oleviano. —

„Archiepiscopus monet senatum pristinae religionis; adeuntur tribus; Olevianus pos„tulatur ad carcerem. Bipontini et Palatini submittunt Superintendentem; consulatur „de non admittendo Archiepiscopo, qui ad portam ab impudente Consule Steusio de„tinetur, donec omnibus factiosis immunitas promitteretur. Vix ad palatium ventum „est; ecce periculis plena sunt omnia; Catholici tamen praevaluerunt. Et reverendus „dominus Petrus Faë, olim Pastor Boppardiensis, oppositus est Oleviano. Ejus com„plices damnati sunt ad capitis supplicium; sed hoc per Principum legatos mutatum „est in exilium et mulctam, praestito juramento indemnitatis Trevirensibus.“

„Huic tragoediae succedit rebellio Confluentina, quae propter Senatus populique dis„cordiam componitur.“

„Hac ocsasione Joannes Archiepiscopus accersit Treviros Patres Soc. Jesu, qui se „haeresibus opponerent, idque ex consilio reverendi domini Faë.“ — —

Archiepiscopus Joannes, his perceptis, annuente Imperatore, celerrimis equis ad dioecesin suam revertitur, collectisque illico, quas potuit habere, copiis cum vasallorum equitatu famam adventus sui antevertit, et summo mane dum portae aperirentur, eas armatorum manu stipatus intrat, forum occupat, et suos in aciem collocat ac disponit. Terror ac tremor invadit novi Evangelii praeconem ejusque asseclas. Mox Archiepiscopus, tubarum clangore et tympanorum sonitu praemissis, sub poena confiscationis bonorum et vitae, quoscunque non Catholicae Apost. Rom. religionis, edicto urbe proscribit ante solis occasum. Exiere plures et de principalibus, quos etsi poeniteret, pudebat tamen mutare sententiam. Plebs inermis et imbellis, positis hastis et gladiis, quibus praeconem novum stipaverant, ad coronas et rosaria respiciebat.

Et cum sufficeret Archiepiscopo, quod sine caede et sanguine tumultus sedasset, et urbem ab haeresi vindicasset, neque rigidam inquisitionem in senatorii ordinis viros, sectatores fidei et libertatis evangelicae, instituisset: civitas totaliter repurgata non fuit, donec anno 1583. et 1584. Joannes VI. Archiepiscopus reliquias istius sectae, interdictis iisdem aqua et igni, clausisque eorum ab extra domibus, omnes migrare urbe coegit.

Nihil a parte Archiepiscopi peccatum est, nisi quod severius et sub mortis periculo non prohibuerit hos, qui exierant, reverti; nam quod comeare, ire et redire permissi sunt, facem civilis belli mox secuturi praetulerunt; ceteris odia et dissensionis materiam seminarunt, arma ministrarunt, facti ceteris, qui fideles et constantes permanserant, fuga sua meliores.

Sequenti anno 1560. Confluentes in seditionem prolapsi, Archiepiscopi et Principis sui imperata facere detrectabant. Quos Archiepiscopus anno 1561. obsidione et rerum omnium penuria domuit. Datis ergo legibus et recepto ab iis sacramento de non amplius deficiendo, pax reddita, civibusque et auctoribus gratia et admissorum oblivio data est (a). Simili modo Boppardienses domiti sunt.

(a) Ibid. haec: „Anno 1561. Confluentium motus et seditio ab Archiepiscopo tempestivis „armis et humanitate repressa, et reconciliatur.“

Tandem prudens Archiepiscopus muneri suo graviter invigilans, huc animum advertit, quo ecclesiam domi forisque longe famosissimam pestiferis erroribus et haeresi liberaret. Et ad eam rem gerendam motae curae, quibus universitatem Trevirensem intendebat reformare. hucusque ob varias mutationes temporumque incuriam saepius collapsam. In eam ergo admisit Patres Soc. Jesu (a), qui ex professo juventutis institutioni et eruditioni intenderent (b). Unde aperto Gymnasio et collecta juventute, praelectionibus praesse jussit, datis in necessarias personas ad hoc opus stipendiis. Erat vir Societatis Jesu, cui et assignavit anno 1566 monasterium S. Barbarae (c), monialibus reformari nolentibus, alio translatis. Fundatum fuit a quodam Friderico, Cantore Majoris ecclesiae, et virginibus nobilibus regulae S. Dominici assignatum. In eo S. Credula virgo quiescit. —

Haec cum Archiepiscopus sollicite ageret, Trevirenses licentia gliscentis haeresis in deteriora prolapsi, omnia suspecta habere, libertatem quaerere, gravamina praetendere, et seditionibus plebem praeparare pergebant (d). Eos ergo studuit compescere edicto proposito de non suppeditanda annona, et debitis non solvendis Trevirensibus. Quae cum severius in se decreta Senatus quereretur, res paulatim in bellum publicum evasit. Ut autem Trevirensi negotio intentius resisteret, prius Confluentinos pacatiores et fideliores sibi facere studuit, quam bello Trevirenses impeteret. Humaniter ergo Confluentinos tractare coepit, concedendo quaecunque rationabiliter postulassent, invitando etiam honoratiores quosque ad sua convivia.

Et cum die quadam Dominica, quae erat 9. Febr. 1567., medicinam

---

(a) Anno 1560.

(b) Ibid.: Anno 1562. „Senatus Trev. dom. P. Jacobum Lanez vel Laynes, Societ. Je„su Generalem, ex itinere deflectentem vino honoris excepit.“ —

(c) Vid. chartam donationis ap. Honth. (Hist. Trev. dipl. II. p. 580.) —
Hic Joannes fundator bibliothecae Collegii Trev. S. J. (modo urbis Trev.) dici potest; donavit enim circiter centum volumina, quibus successor ejus Jacobus III., prae aliis vero vir doctissimus Bodeghemius, plurima magni pretii addiderunt.

(d) De hoc novo Trevirorum tumultu haec habet cod. Eb. Cl.: „Anno 1564 Civitas Trev. „suscitat sopitos motus pro libertate; igitur Archiepiscopus ei intendit litem apud Imp., „quae duravit 13 annis. — Anno 1566. Civitas Trev. advocat praesidium Luxemburgense.“ —
Conf. Browerum (Annal. Trev. II. p. 398.)

sumpsisset, volensque jucundius prandere; primores plures cum uxoribus ad mensam invitasset (a), necdum epulis sublatis sentiens se debilitari, ministrorum auxilio in cubiculum deductus, sedens inter ministrorum manus, adhuc convivis ad mensam sedentibus, expiravit. Creditum est, incuria medici, medicinam mortiferam propinantis, contigisse. Cujus rei argumentum fuit, quod sputum asseres cubiculi ad modum aquae fortis exederit. Mors autem ejus diebus aliquot celata est; postea in ecclesia S. Florini (b) sepultus. Sedit annos 10, menses 10, dies 16 (c). Eodem anno Marchio Brandenburgensis Albertus, ab omnibus suis derelictus, inter privatos perietes morbo pediculari extinguitur.

Anno 1557 Joannes Archiepiscopus annonam sublevat. Cum ali-

(a) Browerus (potius Masenius) nixus oratione funebri, quam dixit quidam S. J. Presbyter, scribit: „De morte ejus non nemo pravis opinionibus imbutus, temere „ac imperite scripsit.“ Sed Canonicus Linden, horum Gestorum scriptor, vir sincerus, Archiepiscopo ceterum certe satis favebat.

(b) Parte chori dextra.

(c) Addimus ex cod. Eb. Cl. sequentia: „Anno 1567 Joannes Archiepiscopus. dum se ad „sacros ordines praeparat, moritur Confluentiae, et ibidem in templo S. Florini sepe„litur. — Praefuit annis undecim. Cessit 5. idus Febr.“ (rectius IV. Id. Febr. secundum Browerum) „Intestina autem ad monasterium Lacense, ubi ejus progenito„res sua habent reconditoria, honeste tumulata sunt. Aliqui putant, exta Confluentiae „apud Dominicanos recondita juxta praecipuam aram.“

„Epitaphium erat scriptum Joannis honori et perenni famae:

„Hic ego Germanas cujus spatiata per urbes
„Fama iit, exigua sum tumulatus humo.
„Terra tegit, quod terra dedit, sed spiritus altas
„Jam coeli partes liberioris habet.
„Quid mortem casusque meos defletis amici?
„Non dabitur multis sic potuisse mori.
„Petra dedit nomen: quid Petra fortius? Aeque
„Sic animus fortis, sic quoque pectus erat.
„Haec satis: ast de me tibi caetera forte loquetur
„Posteritas; lethi nos vetat alta quies.“

Aliud. *)

„Reverendissimo et illustrissimo Principi ac D. Joanni electo, et confirmato in Ar„chiepisc. Trevirensem &c. &c. Qui cum annis X. menses X. archiepiscopatui pruden„ter praefuisset, Confluentiae in pace quievit. Die X. Februarii 1568 successor hono„ris causa posuit.“ — —

— Vid. animadversiones et additamenta ad hoc caput.

---

*) Quod e saxo posuit ei successor.

quando anni steriles incidissent, atque intempestatis aut pecuniae inopiae, aut aquarum eruptione, difficilis esset annonae proventus, atque ideo infinita hominum multitudo propter famis atrocitatem de vita periclitaretur, tantam calamitatem misertus Joannes, rei frumentariae jacturam facere maluit, quam incredibilem miseriam vulgi sustinere. Itaque innumerabiles frumenti modios per suam provinciam distraxit: lautioribus quidem tolerabili pretio, tenuioribus vilissimo, miserrimis sine ullo; ac nomina deinde prius appellari noluit, quam anni fertiliores pecuniam abundantia compensassent. —

Anno 1559. Pace inter Hispaniarum et Francorum Reges composita, Rex Philippus duxit uxorem Elisabetam, filiam Regis Franciae natu majorem. Et cum nuptiae celebrarentur, Henricus II., Rex Galliae, hastiludio intendens, fragmento lanceae in caput suum repercusso, obiit 10. Julii dicti anni. Die 20. Febr. 1562 Catharina de Medicis, nomine filii, Caroli IX. Regis, Parhisiis famosum edictum publicavit, cujus primi articuli sunt: Quod qui in antiqua religione hactenus permanserint, in eadem permaneant usque ad mortem. Qui vero nova dogmata sectantur et concionantur, iis praeceptum est, ut post decimum quintum diem a publicatione hujus edicti Franciam egrediantur, ni resipiscant et errorem suum in melius vertant. Quod si quos ex dictis concionatoribus et dogmatizantibus post praedictum tempus inveniri contingat, illos ut justitiarii convocata manu comprehendant, ac per fenestram domus, ubi reperti ac capti erunt, suspendantur! (a).

CAPUT CCXCV.

De Jacobo III. Archiepiscopo Trevirensi. (b)

Annonae impedimenta, prohibita debitorum solutio, aliaque defuncti Archiepiscopi edicta, quorum praetextu dissidium cum civitate Trevirensi magis invaluit, illustre Capitulum rata habuit: ideo Capitulares

(a) Ap. Honth. haec non leguntur.

(b) Hic abrumpitur in ed. Honth. codex Eberhardo-Clusanus, et ibidem jam etiam Gesta Ms. Joannis Linden prosequuntur, usque ad annum 1581, sed exemplo manu exarato valde mendoso usus est Honthemius.

jam ante ejusdem obitum urbe migraverant. Hinc electionis novi Praesulis dies ad septimum Aprilis anni 1567 in oppido Witlich ejusdemque arce, Ottenstein nuncupata, indicta est. Ubi Jacobus, ex nobilissimo stemmate Dominorum in Eltz, Metropolitanae ecclesiae Decanus, Archiepiscopus renunciatur (a).

Princeps mansuetus, humilis et pius, dignus qui pacatioribus temporibus et populo magis morigero praeesset. Verum quia in controversias praedecessorum suorum incidit, ratus eas sibi posterisque et ecclesiae suae fore damno et discrimini; cum videret in diversa fluere senatus populique hujus urbis animos, suasu non optimorum, perque lenta et obscura, et, ut factio se raro premit, denique per aperta ruissent, ad Jacobi cogitata consiliaque, ceu parum instituto suo commoda, palam infringenda: benignitate postposita, bello experiri, et defendere jura ecclesiae suae coactus est.

Confirmatus tamen prius a Pio V., et pallio archiepiscopali donatus, jam sacerdos ordinatus (b), in Archiepiscopum consecratus est Confluentiae eodem electionis suae anno, et a Maximiliano II. regalibus investitus. Tota dioecesi primo anno sui praesulatus magnis honoribus, gaudio et gratulatione receptus, homagia a subditis excepit et munera. Ad Trevirenses tamen non accessit; nec illi eum honore gratulationis aut obsequii dignati sunt: quod signum fuit apertae inimicitiae et rebellionis. Desiderabat Princeps nihilominus pro ingenii sui mansuetudine, controversiam hanc absque armorum strepitu et subditorum direptionibus secum componi; cessissetque de jure suo plurimum, si de ferocitate et pertinacia sua in Principem Trevirenses parum remittere, et de Archiepiscopo modestius loqui et sentire voluissent; sed frustra erat haec expectatio.

Hoc eodem anno 1567 Carolus IX., Rex Francorum, abolevit

(a) Confluentiae autem in S. Florini basilica paulo post modo consueto electus est.

(b) False ap. Honth.: inde sacerdos ordin. — In Brow. Annal. legimus: „Eligitur Archiepiscopus, jam cum quindecim annis sacerdos; ideo pater et pastor dici malebat quam princeps.“ — Rectius: 17 annis. Coaevum enim Chronicon Novilanii, monachi Maximiniani, haec habet: „Anno 1550, ipsa Paschae, Jacobus ab Eltz, Decanus eccles. Maj., Deo obtulit suas primitias, canens primam suam missam in altari S. Petri citra aliquam pompam.“

usum scribendi more Trevirensi, revocavitque ad communem morem Calendarum Januarii in toto regno suo (a).

Dominatum gerebant eodem tempore in urbe quatuor Petri, quorum capita vulgi opinione ceteris magis sunt heteroclyta. Petrus scilicet Neuman (b) primus Consul, Petrus Lanser secundus, Petrus Behr Exconsul, Petrus Dronckman urbis secretarius. Et Petrus quidem ille re et nomine Neu-man, humili loco natus, adhuc puer a Joanne IV., Trevirensi Archiepiscopo, susceptus, cuidam Pelargo, (c) viro ejus aetatis praestantissimo, SS. Theologiae Doctori, Ordinis S. Dominici, cujus opera Archiepiscopus primum in Concilio Tridentino, post in Trevirensi Synodo anno 1548 et 1549 usus fuerat, minister assignatus erat: qui praeter victum et amictum stipendii loco, successivis horis a domino suo Pelargo in bonis literis erudiebatur. Crevit corpore, moribus et eruditione, ut notarius crearetur; duxit successive opulentas uxores: demum beneficio Principis scabinus, tandem consul creatus recalcitravit.

Petrus Lanser idiota, praefectus sive magister erat nautarum et navicularіorum; praeter quam artem (d) parum vel nihil sciens, ut anser in aquis vivere doctus, moleste ferebat, fluminis dominium, semitarum et theloniorum jura, sed et molendinorum in flumine publico potestatem penes Archiepiscopum esse: quae ut sibi suisque libera et commoda manerent, extrema pati et sustinere decreverat.

Petrus Behr lanio, cui nemo pistorum panem credidisset infimae sortis, sed corpore robusto, a lanionibus arte occulta magister lectus est, et ad senatum irrepsit. Ibi in fortitudine brachii et unguium suorum ditatus, et consul factus erat. De reprobis illius moribus multo tempore rumor. Anno autem 1590, quando captivus timore con-

---

(a) Minus accurate haec dicta sunt. Annus enim 1564 erat, qui ad rationem computandorum temporum insigne illud attulit, quod Caroli edicto cautum est in Gallia, ut in publicis privatisque tabulis ab Calendis Januarii annorum repeterent exordium, quod hactenus ibidem a Paschate, in quibusdam provinciis ab Incarnatione, non vero more Trevirensi, capi consueverat. Conf. Petavii Rationar. tempor. Lugd. Batav. 1724. p. 434.

(b) Al. Numan.

(c) Vid. supra, et additamenta ad cap. 291.

(d) Quidam codd. Mstt habent: praeterquam quod artem &c. &c.

fusionis et supplicii se de custodia praecipitavit necemque acceleravit, plenius omnia perspecta fuere.

Petrus Dronckman secretarius; sed simplex et parum versatus, oraculum senatus et urbis erat. Hic dum armis parum, jure se nihil retinere posse adverteret, se cum familia Luxemburgum transtulit. Luxemburgenses, sive mole corporis tanti viri decepti, sive odio Trevirensium, ejus opera in rebus magnis et legationibus usi sunt: donec didicerunt, potuisse magno reipublicae commodo Trevirenses ejus opera maturius caruisse.

His principibus et ducibus innititur bellum civile: fulcitur a reliquo senatu; fovetur a plebe dubia et incerta. Verosimile est, omnes hosce statum causae aut nescisse aut non intellexisse: nam cum non deessent civitati amici, confoederati Principes, viri magnates, qui apud Archiepiscopum plurimum possent, nullus tamen pro cognoscendis controversiis, aut interpositione requisitus fuit; nisi verosimilius sit, civitatis capita tantum cerebri non habuisse, sed simpliciter, quod princeps vellet, hoc noluisse sive jure, sive injuria.

Annus labitur, cum pacem bellumque inter, dubiae Trevirorum res de die in diem magis exasperantur. Arrestat Archiepiscopus civium facultates in archiepiscopatus ditionibus: illi, qua possunt arte, arresta violant. Navis Francofurtensium nundinarum, merces civium inde deferens, detinetur; sed quia permixtim alienigenarum quoque res vehebat, dimittitur; frumenta et vina cives in urbem deportare prohibentur, et dispositis, locis oportunis, curribus pro uvarum collectione, singulis una rota aufertur a ministris Principis; sed nocte, inruptione civium, rotae reclusae eximuntur, (a) curribus applicantur et botri intra urbem recipiuntur. Durant ejusmodi altercationes tota hieme.

Primo deinde vere sequentis anni 1568, cum pecora ad pascua emitterentur, ea Principis mandato capta et abacta sunt. Quo facto in civitate hostis et inimicus declaratur, portae clauduntur, et hostilia moliuntur.

(a) Malae interpunctionis causa, minus accurate sensum reddit edit. Honth.

Erat eodem tempore de stemmate Eltz, Antonius (a) militiae Franciae Dux, qui peditum uni cohorti sub stipendiis Regis Galliae praecerat. Hic accitus venerat in obsequium consanguinei sui Archiepiscopi, qui aliquot turmis militum et rusticorum, inferioris praesertim dioecesis, ex Montabaur, Boppardia, Wesalia, Duna, sed et de Mosellae tractu, partibus Pellentinatus, Meinfeldiae, Eifliae et Dorsi hunnici delectis sclopetariis, numero circiter sex millium, eum praefecit (b).

His civitas ad duos facile menses obsessa, et comeatus prohibitus inferri. Monasterium S. Maximini, S. Albani, et B. M. V. ad Martyres pro castris serviebant; et aptissimus tentorii locus Amphitheatri (c), in quo rustici de Montabaur collocati aditum civitatis impediebant. In parte tantum occidentali civitatis trans flumen Mosellae duobus locis tormenta disposita erant. Volebat enim omnino Archiepiscopus civitatem suam ruinis non deformare, aut tormentorum globis diruere; sed molendinum tantum, quod recenter, se et praedecessoribus irrequisitis', civitas in ripa Mosellae juxta S. Martinum construxerat, dejicere.

Ut e contra (d) se defenderet civitas, sacellum S. Mauritii cum duabus domibus, quae leprosoria sive infirmatorium collegii S. Simeonis erant, diruit, et, aggesta terra, in loco propugnaculum erigit, ac tormenta collocat. Simili discretione ex pomerio monialium S. Nicolai ad griseas sorores agger ad schellam molitus et constructus est contra B. Maximini monasterium. In templo S. Simeonis, sublato summo altari in choro, ejus loco duo magna tormenta posita sunt. Ad portam antiquam, loco ubi olim (e) SS. Trinitatis templum erat, pariter propugnaculum erigitur. In circuitu de et in ecclesiis, eccle-

---

(a) Ap. Honth.: Melchior; sed male. In operibus poeticis Agritii nominatur Antonius ab Eltz Marschallus et Ensifer (Trevirensis).

(b) Exercitus Archiepiscopi decimo Junii Treviros obsidere coepit.

(c) Conf. quae de Amphitheatri nostri munitionibus diximus in animadversionibus ad volumen Gestorum I. p. 18.

(d) In edit. Honth.: etiam contra.

(e) Ibid.: ubi etiam &c. &c. Sermo est de porta, medio aevo in ruinis thermarum Romanarum constructa, quae ab auctore nostro infra appellatur porta alta. Templum SS. Trinitatis hac tempestate per Treviros dejectum est.

siarum fortunis, magna ferocitate, flammis, populatione, luctu et terrore ecclesiasticus Praesul impugnatur, et a ditione sua arcetur. Omnia viciniora muris ecclesiarum persulcans (a) hostilitas, domicilia praesertim Vicariorum S. Simeonis evertit odio et zelo perverso magis. quam necessitate. Sed et arbores fructiferae plurimae in vicino muris pomerio inter hortos ipsius civitatis et domos canonicorum ejusdem collegii succisae, et in operas et aggeres impensae sunt. Ita spiritus superbiae et haereseos in cordibus horum magistrorum et temerariae plebis radicatus, irrecuperabili damno clerum urbis Trevirensis involvit.

Dum Archiepiscopus remisius agit, et civitatem magis observat, quam obsidet, sperando consilia saniora et animos pacatiores; ipsi nihil contra omittunt, quo archiepiscopales copias fundere et atterere possint. Auxiliare praesidium a Ducatu Luxemburgensi et Duce Lotharingiae juxta antiqua pacta impetratur et recipitur: quo freti cives diversas irruptiones in Praesulis copias utraque fortuna faciunt. Unam notabilem, qua sublatis molendinis et aqua derivata, per ejusdem alveum de subfornicibus (b), et eodem tempore per portas S. Simeonis emissi milites, Archiepiscopi turmam in vicino suburbio in der Leuben (c) cum duobus tormentis excubantem, et male stationem suam observantem, succensis aediculis ejusdem viculi, fuderunt et occiderunt in conspectu archiepiscopalis exercitus in altera Mosellae ripa stantis, et auxilium suis ferre non valentis. Capta ea irruptione tormenta, et capitaneus cum omnibus suis caesus est (d).

Concilium altero die Archiepiscopus in monasterio S. Maximini cogerat, de belli summa cum militiae praefectis deliberaturus. Quo Colonellus ab Eltz omnino voluit rem serio agi, militari modo, factaque via vi, murisque una parte dejectis, urbem expugnari. Cui Archiepiscopus cum suspirio respondisse fertur: absit hoc a me; multi enim in civitate mihi noti sunt et fideles, quos in discrimen. venire nunquam patiar. Proditum in civitate con-

---

(a) Honth. subsituit in suo exemplari: petulans, sed contra mentem auctoris.

(b) Post vocem molendinis cetera omnia absunt ap. Honthemium. — Rivulum urbem influentem omnibus urbis partibus exclusum abduci jusserat Archiepiscopus.

(c) Vulgo h. Zurlauben.

(d) XIV. Junii, 1568.

cilium et locus est (a). Quare irruptione facta Principem cum consiliariis intercipere conati sunt: jamque portas S. Maximini priores, caesis vigiliis, superaverant. Ad alteram autem portam, nullo resistente territi, quodam Ambrosio capitaneo exclamante: recedite cives, alioquin omnes moriemur; satis est hodie hostem clade aliqua afflictum esse: recesserunt. Si audacius processissent, poterant eo die finem bello gloriosa victoria imponere.

Eadem die vir nobilis de Kesselstatt, cum in consortio cum aliis nobilibus pransus, largius bibisset, praesumsit et artavit (b) sequenti nocte portas urbis igne succendere: nec fefellit omnino; portae namque altae (c) ignem subjicit, cumque audiret ronchos vigilum dormitantium in muris, exclamavit adversus eos, et diris devovit. Excitati alii sunt, et praebente flamma lumen, cum duobus famulis notatus, et sclopetis trajectus et occisus est. Mane omnes tres in urbem illati. Nobilis Kesselstatt in templo S. Gervasii (d) sepelitur; famuli in aggere vicino terra obruuntur.

Hoc factum eadem nocte tumultus causam dedit, et belli signo dato ad arma conclamatum est. Accurrunt trepidi cives ad forum armati, quid facere juberentur expectaturi: inter quos tardius accessit quidam Bernardus Hetzelius (e) curiae ecclesiasticae Procurator, qui inverso ordine loricatus (dorso enim pectorale, et e contra applicaverat) a Consule Neuman reprehenditur, quod arma non induere, nedum tractare novisset. Cui ille respondit: Domine Consul, quid Musis cum armis! significans se utroque foro parum versatum esse.

Ipso tandem SS. Trinitatis festo commissum praelium satis atrox, quo copiae Archiepiscopi, postquam tormentis hinc inde satis tentata fortuna est, repulsi fugatique sunt. Palatiolum praesidio et receptui habuere; sed ob id obsidio soluta non est, neque bellum finitum (f).

(a) et locutum est: pessima lectio ap. Honth.
(b) Ibid.: certavit. (c) Vide supra.
(d) Haec S. Gervasii ecclesia nostris temporibus destructa est. Ante hanc demolitionem vidimus monumentum, quod familia parenti defuncto, de quo hic mentio est, posuerat. Et hoc monumentum eversum est.
(e) Hezelinus: ap. Honth.
(f) Vid. Animadv. et addit. ad hoc caput.

CAPUT CCXCVI.

Haec Maximilianus II. intelligens, subito missis Legatis et Feciali, utrimque arma deponi jubet. Accessit is primo Palatiolum ad Archiepiscopum et suos, imperialia mandata explicavit. Inde pro imperialis Majestatis splendore indutus, sceptrum manu, aquilam veste auream ante retroque protendens, ad portam S. Simeonis se sistit, praecipiens Imperatoris nomine portam sibi aperiri, et quae ferret mandata audiri. Receptus et intromissus, jussit arma deponi, militem dimitti, pacem in Imperio non turbari, et super controversiis jure experiri.

Cessatum igitur ab armis, et quies populo reddita, cum duobus mensibus civitas obsessa fuisset. Hic tum Caesareum praesidium, reliquo milite dimisso, collocatur in urbe pro partium contendentium securitate (a): Archiepiscopus tamen et sui, durante lite, urbem non intrarunt. Dictum est hoc bellum der Bohnen-Krieg (b).

(a) „Deinde per speciem pacis summaeque fidei compromissum periculosum, milites „intra muros admittere persuasi.“ Sic rem refert Kyriander (Comment. de Aug. Trev. in praef.) Hoc compromissum inter Archiepiscopum et Treviros, de an. 1568. 22. Jul. desideratur in diplomatariis impressis. Tenemus hujus facti chartam authenticam, cujus etiam Browerus cognitionem habuit. Arbitrii quadam et compromissi ratione, Jacobo, a legatis aliorum Principum tandem persuaso, cum civibus agere placuit. Ergo 22. Jul. legatis Palatioli, ubi Archiepiscopus obsidionis tempore degebat, coeuntibus, in hanc formulam factum compromissum: „ut arbitris primum „causa mandaretur, qui ex aequo bonoque, partis utriusque re disceptata, antequam „in jus adirent, litem pacifice transigerent. Quod si vero litigatores inter ipsos tunc „minime conveniret, apud Imperii Electores ipsumque Caesarem legibus et jure tandem experiundum, ecquid utrique proficere possent. Hac autem in re via quadam „et ratione sic nimirum esse progrediendum, ut intra trimestre spatium partes „actionem literis edant comprehensam et in curia Moguntinensi exhibitam propo„nant, qua quisque velit ratione agere, libellis eam complectentes. Posthaec ad excep„tiones utrinque confutandas bini, atque alii item bini menses praestituantur, „ad haec ipsa majore studio discutienda. — Inde peritum ex Imperii corpore judicem, „qui commodus utrisque videatur, eligant. Etiam plures postulare liceat. Quod ne si „plures quidem arrideant, tum a tribus Electoribus, quoscunque visum sit, judices vel „arbitros accipiant. — Hinc ad Caesarem lis tota contestata cum suis instrumentis „transeat, qui, causae cognitione accepta, ceteros quinque Principes Electores „in consilium advocatos, secundum aequitatis legumque praescripta, sententiam ferat.—“ Sic ad fori Caesarei tribunal delata controversia est, ingentibus utriusque partis expensis offensionibusque, lite per tredecim fere annos producta. — Confer infra caput 298. —

(b) Ad distinctionem des Rüben-Kriegs, de quo supra.

Dimisso ergo improbo Marte, cum Hetzelio (a) Musae revocatae sunt. Et nunc cum rusticis, postquam in encaeniis (b) ad sanguinem et caedem pugnatum est, quaeramus, quid causae?

Petebat Archiepiscopus civitatatem ut suam titulo pleni imperii, dominii et principatus; ejusque petitionis haec summa et ratio reddebatur (c). Quia fide Christiana per Dei gratiam, ordinante B Petro Apostolo, per ejusdem discipulos Eucharium, Valerium ot Maternum, primo Treviris, inde in tota Francia, et nonnullis Germaniae partibus propagata, Francorum Reges Clodovaeus, Dagobertus, Pipinus, Carolus aliique, zelo in Christianam fidem, S. Petrum illiusque discipulos, veluti ecclesiae Trevirensis autores et primos Episcopos eorumque in sede successores accensi, Primatum totius Franciae Trevirensi ecclesiae detulerunt, et Episcopis regias mansiones, homines fiscales, monetam, thelonium et judicium super re qualibet in et circa urbem Trevirensem cesserunt; prout postmodum alii Reges, ac demum Zwendeboldus Archiepiscopo tunc existenti ejusque successoribus et ecclesiae omne imperium ac proprietatem in urbe et circumjacentibus partibus liberaliter contradiderunt (d). Quod ipsum sequentes Reges confirmarunt, adeoque Archiepiscopi se ipsos et urbem Trevirensem, cum adjacente territorio, Imperio Romano subjecerunt, a quo et Romanis Imperatoribus (e) ac Regibus successive Archiepiscopi investiti sunt: quorum vestigiis modernus Imperator insistens, nuper Spirae inter alia super praedicta urbe, cum multis privilegiis similem investituram concessit. Neque probabitur ullo unquam tempore, a quo Rom. Imperium apud Germanos fuit, urbem Trevirensem immediatum Imperii membrum fuisse; quin potius, ex quo praedictae donationes et cessiones extitere, sub temporali suorum Archiepiscoporum ceu Dominorum regimine et administratione mansisse. Haec,

---

(a) Vid. supra.

(b) Germanice: auf den Kirchweihfeſten, vulgo Kirmeſen.

(b) Joan. Wimpfeling, Cancellarius et tabularii Electoralis Praeses, haec argumenta, ex mandato Principis, composuit ac arbitris, quibus hoc negotium permissum erat, tradidit.

(c) Conf. Praeceptum Zwenteboldi Regis de immunitate ecclesiae Trevirensis, 5. Febr. 598. (in Honth. Hist. Trev. dipl. I. p. 236. sq.)

(d) Edit. Honth. false scribit: a quo etiam Rom. Imperio etc. —

quatenus opus, documentis literatoriis illaesis antiquissimis sexcentorum, septingentorum, octingentorum et amplius annorum probari possent.

Et cum urbs Trevirensis primis temporibus moeniis haud cincta fuisset (a), ideoque plurimis incursionibus persaepe obrueretur, eam Archiepiscopus Joannes I., anno 1213 die 14. Martii defunctus (b), moeniis circumdedit, prout hodie videre est. Quae in deductione causae judicialiter probata reperiuntur. Cives vero et incolae hac ratione in tuto collocati, de die in diem insolentiores redditi, demum, prout nunc fit, regimen usurparunt, ab obedientia Principis sui se subtraxerunt, et sub Carolo IV. Archiepiscopis Balduino, Boëmundo et Cunoni rebellarunt. Et quia antiqua Trevirorum gesta statumque (c) circa et ante tempora Julii Caesaris somniabant, et possessionis titulum ex factis, durante defectione exercitis, hauriebant, causa tota tunc coram Carolo IV. Caesare in judicium deducta fuit, et demum abs eodem Caesare definitive decisa est. Insuper ex ipsiusmet urbis Trevericae sigillatis literis et reversalibus plusquam centenis, nec non regiis investituris, regaliis et privilegiis manifestum evadit, Archiepiscopos ex tunc in possessione, vel quasi, totalis jurisdictionis territorialis supremae, tam saecularis quam ecclesiasticae (d), usque ad novissimam paucorum annorum defectionem continuo mansisse.

Haec Archiepiscopi ratio Caroli IV. sententia (e) allegata firmatur, cujus ea summa est: civitatem Trevirensem pleno jure suis Archiepiscopis esse subjectam, nec ulla in re ad sacrum Rom. Imperium immediate pertinere: nulla sui libertate praeditam, sed in omnibus a nutu et voluntate suorum Pontificum dependere: mandata eorum et imperia quaelibet pati debere: quodque Archiepiscopus Trevirensis

---

(a) Vid. animadversiones ad Gestorum cap. 85. p. 48. et ad cap. 101 p. 51. vol. I.

(b) Falsa haec chronologia est. Vid. Gestorum vol. I. p. 296.

(c) Scilicet statum civitatis antiquum, tempore periodi Gallicae liberum.

(d) Edit. Honth.: Ecclesiae; sed minus accurate.

(e) Sententia Caroli IV. Imp. in causa Archiepiscopi (Cunonis a Falckenstein) adversus urbem Trevirensem data est 23. Decemb. 1364. — Legitur illa in extenso ap. Honthemium (Hist. Trev. dipl. II. p. 233. sqq.) Conf. illa, quae urbis Syndicus Kyriander, de quo mox sermo erit, huic sententiae opponit (Annal. P. XVII. p. 254.) — Adde Acta cum sententia Rudolphi II. Imp. anno 1580 lata ap. Honth. (op. cit. III. p. 102. sqq. —

ejusdem civitatis dominus sit et advocatus, cui urbs cum directis et utilibus dominiis, omni superioritate, jurisdictione, mero mixtoque imperio et gladii potestate debeatur.

CAPUT CCXCVII.

Senatus Trevericus (*): Archiepiscopum in urbe tenere palatium; utriusque tribunalis, ecclesiastici nimirum et civilis arbitrium; ordinandis judicibus, caeterisque ad ea (a) pertinentibus ministris, qui jus dicant, gladiique potestatem exequantur; Senatores etiam aliquos, sed ab ordine probandos, nominandi, et monetae cudendae jus habere, et admittendi in urbem Judaeos, aliaque nonnulla quondam habuisse non negabant. Caeterum se atque civitatem ipsam antiquissima libertate frui asserebant: sui juris suaeque potestatis esse, plurimisque privilegiis et consuetudinibus Imperii potiri. Qualia sunt: rerum suarum administratio; senatum magistratusque suos municipales creare; publicam quietem tueri et vindicare; urbem munire, custodire; aliena foedera tutelae suae causa contrahere (b); leges municipales condere; poenas mulctasque civiles infligere; in carcerem duci jubere; torquere; de criminibus cognoscere; quaedam etiam coercere; monetae valorem constituere; forum, vectigalia quaedam et molas, aquarum decursus, et alia pleraque commoda juraque civitatis, quae S. Rom. Imperio solum referant accepta, et autoritate, consensu atque tabulis Caesarum (c) confirmata sibi, inveterato usu obtinere. Quanquam quibusdam modis et certis pactis seu conditionibus ita conjuncti sunt suo Principi et Archiepiscopo, ut ejusdem patrocinio in multis, pub-

---

*) Sequuntur fundamenta urbis pro immedietate, quae Kyriander, civitatis Syndicus, composuit, ut clare apparet ex documento quodam msto. hujus viri, lingua germanica exarato, quod ante oculos habemus, et ex suis Annalibus impressis, in quibus haec fundamenta urbis politica copiosius referuntur.

(a) ordinandi — — ad id: edit. Honth.

(b) Conf. notas nostras ad cap. 216. Vol. II.

(c) Testes hujus assertionis sunt varia variorum Caesarum diplomata, quorum authentica in collectione chartarum Trevirensi asservantur, e. g. Diploma Ruperti Imp. an. 1403. Sigismundi Imp. an. 1417. — Caroli IV. Imp. an. 1455. — Caroli V. Imp. an. 1556. — et plura alia, quae in nostris Diplomatariis impressis non leguntur.

lice atque privatim, instar caeterorum subditorum uti consueverint, eique vicissim eo nomine honorem ac praemia pro more majorum tribuant. Trevirenses etiam cives ad Imperii Comitia olim vocatos, et in matriculis onerum et tributorum comprehensos fuisse (*), donec Jacobus II., qui anno Christi 1511. hac luce migravit, primum omnium in Comitiis obtinuit, sicut in illius epistolis proditur, ne civitatis Trevirensis portio seu quantitas imperialis subsidii publicis tabulis, aut Imperii Albo adscriberetur, sed ipsi Archiepiscopo, levandi sui lucri causa, semel atque iterum condonaretur. Nec istud invitis civibus, sed bona eorum gratia factum esse: quia plerumque partes suas Archiepiscopo et ejus legatis, si quando ad Comitia evocarentur, committere solitos fuisse: incommoda sua necessitatesque, pericula, seu alias absentiae causas praetendisse; quia bellis pene perpetuis implicata civitas fuerit. Insuper Gallicani regni finibus propinqua, Luxemburgensibus et Lotharingicis (a) vicina; Philippi quoque ac Caroli (b), postremorum Burgundiae Ducum, potentia studioque praeferendi (c) dominatus anxia, praesertim nothorum Burgundi (d) ambitione et insidiis aliquoties petita, suspectam temporum fidem majore cura rerum suarum domi pensare coacta sit. Praeterea ab obitu Ottonis Archiepiscopi anno 1430., perniciosissimi schismatis occasione inter duos simul electos Archiepiscopos, et post saepius, gravissimam cladem diuturno bello acceperit, aeris alieni plurimum contraxerit, exhaustis Reipublicae viribus. Denique priusquam pax publica Imperii a Maximiliano I. severius conderetur, itinera fuisse infesta, nec sine valido comitatu longius proficisci ad conventus, tutum fuerit. Unde in hujusmodi itinera, inque ipsas Comitiorum moras, amplior et ingens

---

(*) Documenta urbis et hoc argumentum confirmant. Sufficit, hocce loco notare chartas Friderici III. Imp. an. 1470, Maximiliani I. Regis an. 1480, et Ferdinandi I. Imp. an. 1558, quarum authenticae nobis ad manus sunt, et quibus invitabatur urbs ad comparitionem in diaetis Imperii Germanici.

(a) Luxemburgensis et Lotharigici &c.: edit. Honth. —

(b) Philippi Boni, ejusque filii Caroli Audacis.

(c) proferendi: ibid.

(d) i. e. Philippi supra nominati, octo nothorum et septem notharum patris. Vid. L'art de verifier les dates (Liste chronologique et historique des Ducs de Bourgogne.) —

sumptus requirebatur, quem majores sui lucrari atque vitare, non modo frugalitati et prudentiae, sed etiam fortunis suae civitatis convenire existimaverint. Et licet neminem ad Comitia miserint, tamen semper nominatim excusati sunt, eorumque vices per alios completae, non secus ac si praesentes adessent, numerumque suum publici oneris acceperint. Et cum tutelae causa Archiepiscopo ex pacto annuam pecuniam civitas Treverica solvat; dignum esse, ut idem Archiepiscopus eandem tam in diaetis, quam aliis locis defendat corumque causam agat. Joannem II. spopondisse etiam Senatui, sese effecturum, ut civitas Treverica ex Caesareis registris deleretur, ne amplius publicorum onerum impositione et fiscalibus exactionibus vexaretur. Quod tandem Jacobus ejusdem successor Archiepiscopus in Conventu Coloniensi anno 1505. impetraverit, ut civitas Treverica ipsi Archiepiscopo pro tributi sui levamento relinqueretur. Quapropter non fuisse difficile Richardo Archiepiscopo, Wormaliae in Comitiis obtinere, ne civitas matriculae novae, quae ibi erigebatur, insereretur anno 1521. (a).

Hasce et similes causas quatuordecim adduxit. Senatus pro exemptione civitatis ab Archiepiscopi sui dominatu; quas cum longum foret hic inserere, occasione ferocis ad bella gentis Trevericae decimam tertiam hic adferam, ut sequitur:

Quia civitas omnibus retro saeculis sua bella gesserit, captivos aus hostes vel muleta aut poenis vel gratia affecerit (b) De bellis ergo Trevirensium catalogum brevitur subjungam.

Anno Christi 1299. Treviri, expeditione facta Henrici Comitis Luxemburgensis (c), novum thelonium dejecerunt, et multas villas concremaverunt.

Anno deinde sequenti 1300. ipse Comes Treverim frustra obsedit, et territus fugatusque est, nec diu post pacem et aeternum foedus cum Trevirensibus pactus est.

(a) Revera adhuc in matricula anni 1467 civitas Treverica taxata erat 20. equitibus et 40. peditibus, anno autem 1471, et quidem ultima vice, 6. equitibus et 12. peditibus. Conf. Moser's Staatsrecht des Churfürstl. Erzstiffs Trier. S. 64.

(b) effecerit: edit. Honth.

(c) Henrici scilicet quarti. Vid. cap. 216 in Gestorum vol. 2.

Anno 1304. civitas Treverica cum Richardo domino de Duna et Joanne dicto Praudom (a) eorumque adjutoribus bellum gessit, quod sequenti anno per Ducem Luxemburgensem et Juliacensem in crastino S. Dionysii compositum est.

Anno 1323. contra dominum Joannem de Berg militem et Jacobum (b) de Monclair armigerum suosque fautores acriter pugnatum est.

Anno 1364. inter civitatem Trevirensem et dominum Joannem de Vircio (c) discordia et guerra, et cum Friderico de Monclair diuturnum bellum fuit, praedis, incendiis ad invicem saevitum. Quod bellum a Duce Lotharingiae (d) et Cunone Archiepiscopo anno 1366. die 5. Decembris compositum fuit.

Anno 1377. cum Dynastis Malburgensibus bellum ferro, flamma et caedibus gestum est, quod Wenceslaus Dux Luxemburgensis civitati ademit.

Anno 1391. plurimos hostes Treviris habuisse fertur: civitatem Metensem, Joannem Buso (e) de Valderingen, ferociorem caeteris et potentem. Quo bello Dux Lotharingiae (f) civitati pro pactis avitis auxilio fuit.

Anno 1397. civitas Joannem Cronenburgerum et Petrum Osberg (g), hostes diffidatos, cepit et in vinculis habuit, simulque eodem tempore arcem Heningen (h) cepit multosque hostium ibidem stravit.

Anno 1402. civitas post longa bella et dissidia cum Joanne de Oitscheit (i) et Diethero domino de Kerpen et Warsperg hostibus pacem fecit.

Anno 1406. cum Conradino (k) ejusdemque sociis pugnatum est.

Anno 1412. cum fratribus de Balderingen, et cum Joanne de

(a) Prudom: in Kyriandri Comment. p. 210.
(b) False in edit. Honth.: et incolam de Monclair. Conf. Kyriandri Comment. p. 218.
(c) Ap. Honth. false: de Vienna. Conf. Kyriand. p. 229, ubi ille Joannes de Vircio scutifer nominatur.
(d) Joanne, qui eodem anno foedus cum civitate Trev. percussit.
(e) Buse: ap. Kyriand. — Hugo: false ap. Honth.
(f) Carolus, qui paternum cum civitate foedus anno 1390 renovaverat.
(g) Ap. Kyriand.: Cronenbergerum — Oisburg. —
(h) Ibid.: Heringen; Al.: Höningen. (i) Ockscheit: ap. Honth.
(k) Corrardino: ibid.

Criechingen, Joanne domino de Reifferscheit, Erardo de Gemmenich domino in Berburg, usque ad annum 1437. acriter dimicatum est.

Longe gravissimo bello afflixit civitatem Udalricus de Manderscheit contra Jacobum de Sirck et Rabanum in schismate electus Archiepiscopus (a): quo bello Comes de Virneburg, Theodoricus Coloniensis et Conradus Moguntinus Archiepiscopi, Stephanus Boariae, Adolphus Juliae Cliviae Duces, Jacobus Marchio Badensis, Comes Veldentiae, Richardus Hurt Eques, omnes hostes facti sunt. Qui anno 1433. civitatem frustra obsederunt.

Anno 1443. cum Philippo Duce Burgundiae, qui Lutzemburgensem Ducatum occupabat, simultates habuit; sic ut commercia hinc inde interdicerentur, sed ad arma perventum non est: pax reformata et foedus Luxemburgense innovatum est anno 1449. die 11ma Decembris Bruxellis.

Anno 1452. controversam diuturnam Trevirenses cum Carsilio de Pallant, domino in Wildenburg, et sequenti anno adversus Fridericum de Dagstul et de Fleckenstein atrociter gesserunt.

Anno 1463. Petrus de Bubingen et Wilhelmus Stumpff Trevirensium hostes facti sunt: et sequenti anno Joannes de Ettebruck, qui cum Wilhelmo Crogel (b) aliisque sociis hostilia molitus est. Sagittarii civitatis eos usque ad Morbach prosecuti sunt, et Petrus Wiltz (c) captus, qui ad intercessionem amicorum ejus ex gratia dimissus est.

Anno 1478. gravissimum bellum inter civitatem et Comites de Manderscheit exarsit; cumque plurimis damnis hinc inde illatis, dubio saepe Marte pugnatum esset, a Joanne II. Archiepiscopo Bacheraci pax composita est.

Anno 1481. Georgius Comes de Virneburg (d) hostes factus est, et coepit infestis armis Treviros lacessere; sed hoc bellum Maximilianus Archidux Austriae, Dux Luceburgi, ratione foederis in se recepit.

Diuturnus et acerrimus eodem tempore Trevirensium hostis fuit

---

(a) electos Archiepiscopos: minus accurate ibid. — Conf. caput 275. vol. 2. —
(b) Ap. Kyriand.: Krögel. (c) Wysz: ibid.
(d) Eodem tempore perpetuus Mareschalcus Ducatus Luxemburgensis.

Henricus Blieck de Lichtenstein (a), qui magno auxiliatorum numero Trevirensibus multa damna intulit. Quare Senatus anno 1483. ingentia praemia publico edicto constituit ei, qui ipsum occidisset aut captum tradidisset.

Anno 1486. dolis Cornelii Burgundi, nothi (b) Philippi Ducis, qui Luxemburgi Praefectus, erat civitas petita, et parum abfuit, quin nocturna irruptione scalis caperetur: detectis autem insidiis, quatuor proditores capti et supplicio affecti sunt.

Anno 1495. civis quidam Trevirensis, Gallus ad capram nuncupatus (c), vir militaris, qui et Centenarius urbis (d) fuerat, sed hostis factus cives Trevirenses graviter infestabat, captus singulari industria non procul ab urbe, et in vincula ductus medio in foro capite plexus est (e).

Anno 1496. propter periculosa tempora pons Trevirensis catenis ferreis clausus est (f). Quod temporibus Friderici III. longo ante aevo saepius factum est.

Anno 1522. bellum cum Francisco de Sickingen et Joanne Hilchen de Lorich gestum est, de quo in vita Richardi Archiepiscopi.

Anno 1552. bellum Margravicum, de quo in vita Joannis IV.

Hic satis de causis.

CAPUT CCXCVIII.

Erat hujus controversiae et partium contendentium competens et supremus judex indubitatus Caesar. Mirum propterea, quo consilio, via potius compromissi et arbitrii, sicut olim Carolus IV., adiri et

---

(a) Eques nobilis: addit Kyriander l. c.

(b) Ap. Honth. false: Burgundiae nostri &c. In Kyriandri Annal. hoc factum refertur ad annum 1446.; sed erratum fortasse typographicum est.

(c) Ap. Honth. haec constructio: ad capram, Gallus nuncupatus.

(d) antea: addit. Kyriander.

(e) Ibid.: a Senatu medio in foro mox capite plexus terraque conditus est.

(f) Ibid. haec sic leguntur: „Anno 1463 et 1486 (videtur error typographicus pro 1496.) „suspiciosa tempora fuisse, satis inde liquet, quod tum civitas fluvium Mosellam „catenis ad id etiamnum paratis sub ponte clauserit, quemadmodum dubiis rebus et „ante Fridericum tertium Caesarem longo aevo, et post usque ad hanc memoriam „saepius pro more factitatum constat.“ —

se requiri placuerit (a). Compromissum et litigatum est in aula Caesaris annis duodecim.

Indigebat causa Senatus bono et solerti advocato, quem tunc invenisse credidit, cum Wilhelmum Kyriandrum I. U. D., Juliacensem, in syndicum civitatis constituit amplis stipendiis (b). Fuerat is Kyriander archiepiscopalis consilii secretarius et cancellariae registrator, pro demeritis officio depositus cum Principis indignatione. In illo magnum quidpiam Treverici invenisse rati sunt, sed decepti quamplurimum, dum ex paleis (c) alieno ventilabro diventilatis triticum colligere putant. Et quam bene patrocinatus sit huic causae, exitus probavit. Homo haereticus, omnibus ecclesiis inimicus, conviciator et calumniator, acuti alioquin ingenii, ut ex scriptis ejus apparet, eloquens et disertus (d), scripsit sub fuco historiae et defensionis civitatis in ecclesiasticos, Archiepiscopos et summos Pontifices scommata et mendacia, quae potius ostensionis sui causa, quam justae defensionis scripsisse et produxisse videtur.

Imperator Maximilianus II. obiit 2, Octobris 1576., et Rudolphus II. eidem suffectus. Qui anno imperii sui quinto liti finem imponere et partium differentiam justitiae lance ponderare et distribuere decrevit, et jure distribuit lata sententia die 18. Martii 1580. Pragae.

(a) Quod auctori Gestorum hic mirum visum, id Kyriander (op. c. in praef. p. 6.) his verbis explicat: „Atrox bellum et obsidium urbis consecutum; donec intercurrentibus „legatis, tam Caesaris quam Principum Electorum Rhenensium, formulam pacis et „arbitrii per S. Caes. Maj. cum consilio atque opera reliquorum Principum Electorum „ferendi, in castris Archiepiscopi comprehensam, magnifice persuasi suscepimus.“ — Conf. quae notavimus supra ad cap. 296.

(b) De hoc viro, vide Honth. (Hist. Trev. dipl. II. p. 555., et III. p. 990. sq.) — Adde Disquisitionem nostram, in qua fusius de hoc viro disputavimus, s. t. Ueber Wilhelm Kyriander und die verſchiedenen Auflagen ſeiner Trieriſchen Annalen. (Neuer Literariſcher Anzeiger ꝛc. ꝛc. 1808. III. Jahrg. 1. Hälfte, Nr. 3. u. 4. Tübingen.) — Auctior et emendatior haec disquisitio impressa legitur in opere: Rheiniſches Archiv für Geſchichte und Literatur (herausg. von Vogt und Weitzel. Jahrg. 1812. III. Heft, März.) — Conf. animadversiones nostras ad hoc cap. in fine voluminis.

(c) Ap. Honth. male: palis.

(d) De hoc Kyriandro etiam apud Fridericum Reiffenberg S. I. Presbyterum, sequentem, parum benevolam legimus sententiam: „Homo aspersus haeresi, atque „eruditione, quam vitae integritate celebrior.“ (Hist. Soc. I. ad Rhenum inf. T. I. p. 137. —

Cujus contenta (postquam partes litigantes in petitorio et possessorio compromisissent in Electores Moguntinum, Coloniensem, Palatinum, Saxonem et Brandenburgicum, ac jam tota causa instructa coram cancellaria Moguntina Caesari per consilium aulicum relatio facta fuisset) haec erant (*):

Primo, quod civitas ejusque incolae cum omni jurisdictione et proprietate subesse debeant Archiepiscopo Trevirensi ut subditi immediati illius vero et legitimo domino ac Principi territoriali; quod Archiepiscopo civitas teneatur ad huldas, uti vocant, et homagia praestanda; quod subsit Parlamento (a); quod ad comparitionem in diaetis provincialibus et ad collectas tam provinciales quam imperiales obligetur; quod moenia, turres et portae cum clavibus debeantur Archiepiscopo, et praesidium intra civitatem recipi oporteat. Annulantur et antiquantur eadem sententia vetera statuta et ordinationes Senatus; facultas autem datur Archiepiscopo novas condendi; non licuisse Senatui leges monetarias Imperii repudiare; Consules pro arbitrio absque consensu Archiepiscopi eligere; judicii saecularis cursum impedire; usurpare jus cognoscendi causas civiles et criminales; impedire lictorem in tallearum sublevatione (b); Centenarium constituere violentiarum magistrum (c); de novi operis aedificiis cognoscere, et communitatem in Currentz civitate prohibere, sive jus municipale ei denegare. Quod teneatur civitas permittere Archiepiscopo reluitionem thelonii et librae; legibus monetariis Imperii et Archie-

(*) Fuit ea lis, coram his arbitris acta, adeo voluminosa, ut integros CXV. tomos in fol. ejus moles expleverit. (Vid. Prolegomena Vol. I. Gest. p. XLVIII.)

(a) Primigenia hujus vocabuli (Parlamentum) significatio est — commune colloquium. Hac de causa nonnunquam Conventus de rebus publicis deliberandi causa coactus (i. e. Status patriae), tum etiam Curia Principis, appellabatur Parlamentum. Audiamus Michaelem de l'Hopital, magnum illum Galliae Cancellarium, in Aurelianensi Statuum Conventu, anno 1560. hac de re disserentem his verbis: „Autrefois on les (i. e. Représentants de la Nation) appelloit „Parlements; mais depuis que ce nom a été donné à un certain nombre de Juges „établis par le Roi, les audiences publiques et générales, que le Roi s'est reservées, „ont pris le nom d'Etats.“ —

(b) Moser (Staatsrecht des Churf. Erzstiffts Trier. S. 197.) haec germanice sic reddit: „dem Nachrichter seinen Wochen-Zoll zu wehren.“

(c) et violentiarum Magistram: ap. Honth., sed male.

piscopatus se conformare; ponderum et mensurarum arbitrium penes Praetorem urbicum esse; Archiepiscopum et clerum non impediri debere in importandis et evehendis, nec non distrahendis et vendendis vinis aliisque eorum reditibus; non licuisse civitati ad Mosellae ripam molendina aliasque fabricas construere et erigere; neque cum quoquam foedera inire aut opem contra Archiepiscopum quaerere fas esse.

Secundo, quod in causa turbatae possessionis opponens Archiepiscopus ab actione impetrantium actorum absolvendus veniat.

Tertio, quod in causa redintegrandae possessionis iidem actores contra Archiepiscopum opponentem, quoad exemtionem a theloniorum et vectigalium praestatione intuitu mercium et bonorum civitati illatorum aut inferendorum (vinis Rhenanis et Naherianis exceptis) redintegrari debeant et in pristinum statum restitui; Archiepiscopum vero in puncto Gabellae (a) vici de Palien, ab actorum actione absolvendum esse, expensis compensatis.

CAPUT CCXCIX.

Lata ea sententia, Trevirenses, sicut ad rebellionem faciles et audaces, sic in adversa fortuna prostrati, pusillanimes et pavidi (b) fuere, ut nec provocare vel reduci ad bonorum virorum arbitrium peterent; sed sine consilio discessum ab invicem; quilibet effugia et latebras quaerere, autoribus maledicere, et poenitere coepit.

Rari valde erant eo tempore Doctores; nam qui belli et seditionis autores fuerant, vel discesserant tempore litis, vel obstinaces (c) in sua opinione subducebant se a consiliis, timentes, ne quid adversi in eos statueretur. Unus erat Gerardus Senhem Doctor, et ille juvenis, recens e scholis dimissus. Novus ergo Senatus cum civium

---

(a) Haec vox usurpatur pro quovis tributo; e. g. Gabella vini, gabella salis &c. &c. —

(b) Alius rerum nostrarum scriptor, Joan. Scheckmann, in sua editione latina Enenii, Trev. 1517., prorsus aliam de Treviris sententiam exhibet. Sic enim scribit (fol. XXXIIII. verso): „Treviros ajunt exteri, (et revera ita est) simplices „esse, probos, honestos, timoratos. Non timidos dixerim. Timidos illos „grammatici putant, qui sint meticulosi ad bonum faciendum; contra timoratos, qui „ad malum tardi.“ —

(c) obstinati: ap. Honth.

praecipuorum manu, et novo Doctore (a) Wittliacum profecti, Archiepiscopo suo supplices facti sunt (b), qui, ut erat mitissimo ingenio, eos facile in gratiam recepit, spoponditque erratorum et injuriarum oblivionem fore, paucis demptis, qui majorem animadversionem promeriti viderentur.

Habitis deinde cum Commissariis Caesareis diversis capitulationibus et deliberationibus de justitiae executione et gratiae concessione, pridie quam urbem suam ingrederetur Archiepiscopus (nimirum 23. Maji (c) 1580.), eam dedit resolutionem: quod cum exigua militum manu urbem ingredi, et equites quidem, exceptis iis, qui de aulico (d) famulatu fuerint, statim extra urbem in eorum stationes dimittere velit, ac tum officiatos peditum recipi in civium domos debere, milites vero collocari in loca urbis commoda; praetactis officiatis etiam incumbere, ut attendant, ne qua seditio aut tumultus oriantur. Si quoque, uti speratur, res olim desperatae absque ulterioribus ambagibus componantur et sedatae accomodentur, militem ex tunc indilate a se dimittendum fore.

Ex hac ergo resolutione manifeste cognoscitur animus et ingenium Archiepiscopi Jacobi. Cum enim victor omnia potuisset ad beneplacitum suum dirigere, ordinare, mutare et constituere; maluit tamen Princeps victor, hosti subdito inermem se credere, quam milite praesidiario, tempore licet periculosissimo, cives gravare.

Ingresso ergo civitatem suam Archiepiscopo (die XXIIII. Maji), imperialibus et principalibus legatis et commissariis, vasallis suis et equitum magno numero, peditum 600. sub duobus signis militantium stipato; Senatus ad portam S. Simeonis obviam processit moestus, claves civitatis obtulit (e), quas recepit, ad palatium deferri jassit ac retinuit.

(a) Novo Syndico.

(b) Hae res fusius narrantur in Broweri Annal. Trev. II. p. 412. sqq., et quidem ex notatis Michaelis Laubii, qui Jacobo Principi a secretis erat. — Conf. praeterea Math. Agritii, testis quoque oculati, descriptionem rythmicam Jacobi introductionis in urbem (Coloniae, 1582. excudebat Gerardus Campensis).

(c) False in edit. Honth.: 5to Junii — sic et infra: 6. Jun.

(d) Ibid. deest: aulico.

(e) Ludovicus ab Hagen, Caesaris Vicarius et Imperii Commissarius, claves urbis Principi exhibuit, et primus verba fecit ad eundem. Nomine Principis respondit

Primus omnium equitabat quidam coquus, ingens cochlear ad hastae longitudinem gestans, qui in forum cum pervenisset, fontem cochleari suo ter ambiens despumavit; spumam sive aquam in plebem spectaculo astantem effundens: quo facto significabat, civitatem despumendam esse (a)! Creditum tamen est, praeter Principis sententiam hoc ab aliis conpositum esse.

Curiam et domum senatoriam Princeps statim obsignavit sigillo suo, magistratum deposuit, et vacare reliquit octo diebus, constituto in Locumtenentem suum (b) Joanne a Schonenburg (c) Praeposito Majore, penes quem rerum summa fuit. Tum erecto in foro theatro, cives denuo in verba sua jurare fecit VI. cal. Jun. (27. Maji) (d), novum Senatum, ex plerisque tamen veteris Senatus viris, qui se Principi speciali sacramento in Palatio obstringerent, ordinavit, eisque formam, modum et ordinem gerendi Senatum praescripsit, sub titulo Neuwe Raths-Ordnung de dato 13. Junii anno 1580 (e).

In solum Petrum Neuman (f) est animadversum severius: hic enim,

---

Philippus Reiffenberger Archipraefectus aulae. Tum nomine Senatus dixit Nicolaus Gulchen Secretarius, et nomine tribuum civium Gerardus Senhem. Nomine Universitatis Principem salutavit Petrus Peraxiles Theologus. (Sic supra laudatus testis oculatus M. Agritius.)

(a) Hunc futilem et satis injuriosum coqui histrionis actum silentio praetermittunt Brow. et Masen. Annales.

(b) i. e. regendae civitatis Vicarium. (c) Al. Schoenberg, Schonemberg.

(d) Edit. Honth. non habet diem. — Brow. et Masen. Annales addunt: „Postremo, „quo dies illa majore civium gratulatione, et nonnulla quoque conviviorum hilaritate „efflueret, Jacobus ad largiorem viscerationem saginamque tribuum, quinquaginta „verveces et vini plaustra quinque populo munus impertivit.“ —

In Joan. Mechtelii Chronico Limburg. ad an. 1580. legimus: „Nach der Huldigung haben Ihro Churf. G. den Zunfften und Ammeshuseren in gemein verehren laſſen 25. feisten Hämmel und ſo vill Wein, als darzu nötig ware; dabey ſehr luſtig und frölig geweſen.“ — Princeps et cives Treverici se mutuis muneribus afficiunt: sic enim canit Math. Agritius, qui se totius actus spectatorem dicit:

Munera muneribus pensantur, donaque donis.
Accepti memores et ovantes murmure cives,
Cornibus insignes et obesos tergo juvencos
Farque dabant purum; dat contra Praesul habere
Verveces pastos et raro abdomine tardos,
Et numero multos, lectique saporis Iachum,
Vasa referta mero quinis imposta quadrigis.

(e) Vid. Additamenta ad hoc cap. (f) Vid. cap. 295.

dum die quadam Dominica, non multum post Principis ingressum in urbem, ad ecclesiam cathedralem accessisset, et altari S. Mathiae inniteretur, a satellitibus Principis requisitus, hinc exire jussus, et ad fores templi captivus in palatium deductus custodiaeque damnatus, post urbe et archiepiscopatu interdictus est. Qui digressus cum uxore et familia diversis in locis habitavit, donec post aliquot annos a successore Joanne Archiepiscopo gratiam et exilii liberationem impetravit. Sed dum magno conatu et labore ab exilio revocatus fuisset, prima nocte, qua in urbe pernoctavit, in domo sua, Gensbach nuncupata, mortuus est.

CAPUT CCC.

In provincia et dioecesi Archiepiscopus Jacobus toto tempore litis commoratus, et Canonici ecclesiae Majoris Trevirim non accessere: residentiam illi diversis locis et ecclesiis faciebant. Nihilominus hic Archiepiscopus Jacobus die 19ª Jannuarii anno 1569. Concilium Tridentinum publicari in refectorio dominorum Canonicorum, uti vocant, fecit: quod (recusantibus illud Canonicis Majoris ecclesiae) a Praelatis in urbe acceptatum est (a). Postmodum per Commissarios toto fere anno, usque ad 18m Octobris dioecesin obeuntibus, promulgatum.

Dum controversiae supradictae ventilarentur, civitatem Commissarius Caesaris, quasi sequestrator, donec lis determinaretur, tenebat; qui domum, dictam Reulander-Hof, inhabitabat (b).

Ipse Princeps medio tempore totius dioecesis gubernacula prudentissime administravit. Ni multa construeret et fundaret, belli sumptus et litis expensae prohibebant: sic ut etiam familiae suae nihil praestitisse dicatur. Ita in suos parcus, ut victus suorum precibus sacellum in arce Eltz pro familiae devotione extruxerit tam modicis sumptibus, ut opus Principi non respondeat.

Dum peracto bello Trevirensi s subditis subsidia et sumptus pro

---

(a) Browerus, horum temporum etiam aequalis, dicit: Tridentini Concilii capita quaedam promulgat. (Annal. II. p. 405.) Hujus Concilii Canonibus introducendis legitime intendit Jacobus; neque tamen, quoad materiam disciplinae, tam in Metropolitana, quam Collegiatis ecclesiis, ex omni voto res successit. —

(b) Vide animadv. ad hoc caput in fine vol.

stipendiis efflagitat, Nobiles omnes se ab ejusdem subjectione subtraxerunt; allegantes statum Nobilium soli Imperatori immediate subjectum, Archiepiscopum pro suo domino non agnoscere, atque ideo ad contributiones non teneri. Propter quod contra eosdem Nobiles ab ipso Archiepiscopo et Statibus ecclesiasticis et populari lis in Camera imperiali coepta est (a).

Anno 1579. Calend. Septembris sub Gregorio XIII. Jacobus Archiepiscopus incorporationem monasterii S. Salvatoris in Prumia et abbatiae ejusdem, cum qua praedecessores Archiepiscopi multas et graves controversias, seditiones et bella habuere, sibi et successoribus suis atque ecclesiae Trevirensi in perpetuum a Sede Apostolica obtinuit in usum mensae (b). In hujus abbatialis tituli extinctionem et regaliorum concessionem (c), favore memorati Archiepiscopi, jam ante consenserat Maximilianus II., Viennae 28. Novembris anno 1575. Et Archiepiscopus prima Septembris anni 1576. in possessionem solenniter introductus est.

Tandem Princeps cum in magna rerum omnium perturbatione archiepiscopatum annis 14., mensibus 2. una minus die, optime rexisset, ampliasset et dilatasset; hostes magis consilio, patientia et mansue-

---

(a) Comitia Statuum provincialium in patria Trevirensi jam saeculi XV. initio celebrata fuisse, constat. Tres vero nominantur patriae Status: Clerus, Nobilitas, Civitates. Usque ad annum 1548. Status Equestris, hactenus secundus patriae status, sine renisu ad aerarium provinciale Trevirense contribuerat. Jam vero ea de re orta est contentio, quae anno 1575, in apertos motus abiit. Anno demum 1577, gravis illa controversia, maximi sane momenti, ad juris controversiam revocata est, sub qua in Camera Imperiali stetit — usque ad annum 1729!! — Hoc enim anno, sub auspiciis Francisci Georgii Archiep., inter ambas partes, Status nimirum patriae Trev., et Nobiles, transactione causa composita est, et Imperatoris auctoritate firmata. Nobilitas Trevirensis immediate libera Imperii per hanc famosam et patriae Trevirensi valde noxiam transactionem vindicata est. Vid. Honth. (Hist. Trev. dipl. II. p. 535. — III. p. 940. sqq.) Adde Moser (Staats-Recht des Erzstiffts Trier. S. 217. ff.)

(b) De hac controversia sane longaeva videatur Caroli IV. Imp. diploma (31. Maji 1376.) ap. Honth. II. p. 274. — Bulla Bonifacii IX. (de anno 1399.) ibid. p. 305. — Protocollum visitationis hujus Abbatiae (1. Febr. 1574.) ibid. III. p. 32. — Cosmae Knauff defensio imperialis liberae et exemptae Abbatiae sanctissimi Salvatoris. 1716. — Jacobi Moser Staatsrecht. S. 178. f. Adde Anonymi cujusdam Pro Memoria ad causam Prioris et Conventus Prumiensis, 1781. — Adde additamenta ad cap. 353.

(c) Haec: et regal. concessionem, defunt in edit. Honthemii.

tudine, quam vi aut armis expugnasset et superasset; quo archiepiscopatum aere alieno in bellis et litibus contracto, liberaret, neque tamen exactiones valde graves, prout tum videbantur, imposuisset; sed demonstrata patriae necessitate, qualitate et statu, a Statibus et proceribus impetrasset sibi libere persolvi, egissetque propterea ipsis Statibus lachrymans gratias, tanquam pro pecunia sibi ad usus privatos tradita: plenus dierum aetatis suae anno 71. Treviris defunctus est die 14. Martii (a) 1581., nono mense, ex quo victor urbem suam ingressus fuerat, magno etiam hostium luctu, et in Majori Trevirensi ad latus chori septentrionale (b) humatus est. Cui haeredes sumptuosum monumentum posuere.

Idem Archiepiscopus anno Christi 1579. die 28. Aprilis Collegium Societatis Jesu, quod Joannes illius praedecessor in urbe instituerat, et de mensa sua hactenus aluerat, fundavit; ultra monasterii ad S. Barbaram reditus et jura, eisdem assignando 1000. florenos ex Abbatia Prüm et thelonio Engers annue solvendos (c).

CAPUT CCCI. (*)

De Joanne VI. Archiepiscopo Trevirensi.

Hic Joannes ex antiqua et nobili familia de Schonenburg, in Hartelstein non procul a Prumia oriundus, virtutibus, modestia,

(a) Sic Linden in suo Msto. In Epitaphio Jacobi, quod refert Browerus, legitur IV. Junii. — Interim nonus mensis concordat Martio.

(b) Ante arum SS. Trinitatis parte chori sinistra corpus sepelitur. (Browerus.) Epigraphum monumenti habet idem (Annal. II. p. 417.) Intestina vero et cor ejus, Patres Societatis J. qui morienti adfuerunt, sepeliunt in templo SS. Trinit. ad summam aram dextrorsum e regione Ducissae Gorlitiae. (Mss. domest. Coll. S. J.)

(c) Societatis Jesu apud Trsviros prima initia facta sunt anno 1560 sub Archiep. Joanne a Petra. — De Jacobi Archiep. fundationibus vide Browerum op. cit. p. 395. — Honthemium in His. Tr. dipl. II. p. 544. et 880. — III. p. 20. et 26. — Frid. Reiffenbergium in sua Hist. Societatis Jesu ad Rhenum infer. I. p. 194. sq. — Conf. praeterea additamenta ad Jacobi Archiep. Gesta in fine voluminis.

(*) Hic resumitur in Honthemii editione codex Ms. junior Eberh. Clusanus. Nos vero potissimum sequimur Mstum jam saepius laudati Linden, viri ejusdem temporis. Longe plurima et in sequentibus ap. Honthemium desunt.

pietate, discretione et mansuetudine amabilis (a). Praepositus Majoris Ecclesiae existens, primus Locumtenens sive Stathalter urbis post sententiam Rudolphinam, qui civium animos conciliare, et in partes suas trahere suoque Archicpiscopo fideliores facere novit. Universitas Treverica eundem saepius Rectorem legerat, quod munus etiam cum Archiepiscopalis et Electoralis dignitatis apice usque ad annum expletum gessit.

Princeps fuit corpore gracili et infirmior viribus; animo, sapientia et prudentia sublimis, nec ideo elatus. Presbyterum privatum in habitu, tonsura et continua versione Breviarii aut Rosarii, representavit inter amplissimos honores, adeo ut dictus sit in Diaeta Imperiali anno 1582. comparuisse instar Parochi. Principes saeculares aliique Imperii Status, qui tunc fervescente haeresi Lutherana a Catholicis et Ecclesiasticis plurimum dissidebant, hujus modestia, habitu, pietate, moribus et conversatione moti dixisse feruntur: Si ecclesiastici Principes alii similes huic essent, possemus eorum consiliis acquiescere.

Hic ergo Joannes Praepositus, Locumtenens, Rector, omnium desiderio, acclamatione et gratulatione Archiepiscopus cligitur anno Chisti 1581. in Majo (b). Et statim pro confirmatione ac pallio Romam misit Hugonem Cratz a Scharpfenstein tunc Canonicum, post Decanum, tandem Praepositum Majoris Ecclesiae, et filium fratris sui Hugonem Augustinum de Schonenburg, juvenem nobilem, toto vitae tempore caelibem (c). Eorum adventu Gregorius XIII. Papa, qui

---

(a) Primum hujus familiae membrum, de quo notitiam habemus, occurrit in charta anni 1188, nomine Vinandi a Schonenburg; ultimus hujus stemmatis, Philippus Dietericus obiit die 27. Sept. an. 1632.

(b) Cod. Eb. Cl. notat: 31. Julii. In Broweri Annal. legimus: pridie Kal. Sextiles. Repetere vero liceat hoc loco; Annales Broweri toto triennio et eo amplius inter manus Censorum fuisse, et plurimis in locis mutatos. Hinc in editione Masenii certissimi non sumus, quocum nobis sit negotium, an cum Browero, viro acerrini judicii, an cum Censoribus, an cum Masenio?

Animadvertimus porro, apud. Honthemium (Hist. Trev. dipl. III. p. 146.) impressum esse Breve quoddam Apostolicum ad Joannem Archiepiscopum jam die prima Julii 1581. a Gregorio XIII. Papa missum. Hinc supra relatae diei notae aperte falsae sunt.

(c) Hanc legationem refert Julius Cordara, scriptor gravis Historiae Collegii Germanici (Vid. additamenta ad cap. 300., tali modo: „Comitiis (pro eligendo Archiep.) inter-

ante Pontificatum Hugo Buoncampagno nomine et re dicebatur, gavisus est, tres simul adesse Hugones; ideoque ad concedendum postulata liberalius inclinabat. Oratoribus ab Urbe cum multis aliis privilegiis et praerogativis reversis, Archiepiscopus in sacello P.P. Societatis Jesu Presbyter ordinatus est. Anno 1582. Joannes adit Comitia Augustana, ibique consecratus, ornatur pallio, et regalibus a Caesare investitus est. — Idem annus emendatione anni Juliani insignis est. Novum, Gregorii XIII. munificentia, nuper restitutum Calendarium, Archiepiscopus suae dioecesi commendat (a).

Supererant in urbe Trevirensi adhuc zizania haereseos a Casparo Oliviano et aliis seminata, uti super in vita Joannis V. retulimus, bello nutrita, quae Jacobus morte praeventus, paucis quibus bello supervixerat mensibus eradicare non potuit. Haec ergo ut Joannes VI. extirparet, edicto publico eos proscripsit, qui intra certas hebdomadas doctrinam sanam non admitterent. Conversi sunt aliqui. Joannes Biener aurifabrorum Magister, et alii plures urbe ejecti: inter eos ipsius Caspari Oliviani mater, medicinam callens mulieribus

---

„fuit Adrianus Scheffartus a Merode — qui Trevirensis licet ecclesiae Cano„nicus, in Collegio (Romae) degebat. Namque ut audivit de morte Eltzii, magnis „statim itineribus contendit Treviros ferendi causa suffragii in electione successoris.— „Novus Praesul, captus egregia adolescentis indole et moribus suavissimis, eumdem „electionis suae nuntium ad Pontificem Maximum, et confirmationis deprecatorem desig„navit, addito legationis socio Hugone Cratzio, ecclesiae ejusdem Canonico. In„structus igitur usitatis in eam rem litteris, Romam quam celerrime revolavit Mero„deus. — Legationem vero injunctam obiit tanta simul oris modestia, et elegantia ser„monis, ut dicentem incredibili voluptate Gregorius audierit. — — Quo facto in statio„nem pristinam (Collegii) se Merodius recepit. — Pontificiae confirmationis diploma, „et pallium, Archiepiscopatus insigne, Cratzius ad Septemvirum (i. c. Electorem) de„portavit.“ — (Ex documentis tabularii Collegii).

(a) Edictum generale Joannis de Gregoriano Calendario recipiendo (1583. 4. Sept.) in Honth. Hist. Trev. dipl. III. p. 151. sq. exhibetur. In literis authenticis Joannis ad Rectorem et Collegium S. J. Trev. legimus: „Jam dudum decre„vimus, Calendarium correctum in Dioecesi nostra observandum publicare, quod qui„dem certorum impedimentorum causa hucusque delatum est. Cum ergo proximo mense „Octobri ejus correctio sit necessaria, hujus formulam in Civitate nostra Trev. imprimi „curavimus. Cujus exemplar, una cum Edicto ejus causa publice proponendo vobis „transmittimus, nec dubitamus, quin hanc correctionem suscepturi et eidem vos con„formaturi sitis. In hoc feceritis nostram voluntatem et beneplacitum. Dat. ex op„pido nostro Monthabaur, die 14. „Sept. 1583.“

necessariam; Joannes Steus et Laurentius Streichart duae tubae civilis belli, et de vulgo complures. Cadavera Coppensteins et Prück ne intra urbem sepelirentur, prohibebatur; sicque purgata est civitas. Simili edicto et zelo Confluentiam haeresi repurgavit. Eliminat etiam duro satis modo Judaeos ex Archidioecesi Trevirensi (a).

Vix ullus Archiepiscoporum tanta molestia, fastidio et inopia dioecesin rexit, quanta hic Joannes. Quippe quod calculi passionibus cruciaretur et herniae doloribus, in lectica deferri debuit, sive etiam curru vel quadriga (quarum usus primus huc introduxit), quod equis aut flumine iter agere non liceret. Sed et toto regiminis tempore continuam annonae caritatem, et coeli aërisque inclementiam cum subditis sustinuit. Duo etenim anni fertiles tantum fuere de novendecim, scilicet 1584. et 90us. His accedebant continuae depraedationes, latrocinia et rapinae, quibus inferior dioecesis non ab Hollandis modo, sed et ab Hispanis exossabatur medullitus (b). Cogebat inopia Archiepiscopum, miseriam et calamitatem gentis suae videre, pati officialium suorum et in specie Provincialis Praefecti sui Walpot de Bassenheim caedem, patriae urbium et pagorum direptionem (c). Oratoribus, nuntiis, epistolis nihil proficiebat, sed acuebat praedonum animos, ut, contempta majestate, Principem Johan Leiddich vocitarent. Unde paucos milites sub uno signo conscribere coactus fuit, a quibus tamen insolentiae, dispendii et sumptuum plus quam defensionis aut praesidii patria sensit. Tandem rem omnem et patriae statum Caesari et Electoribus per legationem patefecit, exprimens se non aliqua machinatione aut odio Imperii, sed inevitabili necessitate cogi, Hispaniarum Regem protectorem compellare, et castrum

---

(a) Vid. ap. Honth. Edicta de 10. Jun. 1583., 18. Oct. 1589., et 5. Oct. 1592.

(b) Tempore scilicet Belgicorum motuum, et Batavorum, quos Hollandos vocant, ab Hispania defectionis.

(c) Catholici Regis miles, soluta et confusa militari disciplina, ex amico fit praedator, et mox hostis. —

Anno 1589. Hispani in Eiflia et vicinis agris hiberna tumultuosa egerant. Eodem fere tempore turbae etiam enatae sunt in Archiepiscopatu Coloniensi, propter mutationem religionis, Gebhardi Truchsessii Archiepiscopi. Conf. praeter alia, quae huc spectant, opus, cui titulus: Religions-Geſchichte der Cölniſchen Kirche, mit raren und kaum mehr zu habenden Documenten und Urkunden, wie auch allerhand hiſtoriſch- und critiſchen Anmerkungen. Cöln, 1764.

Erenbreitstein aliaque loca munitiora ditionis Trevericae illi cum imperio mero tradere, nisi sibi auxilio adessent ad reprimendam hujusmodi insolentiam, et se suasque terras desertas ab hoste eripiendum. Caesar et Electores hac legatione ad mutua auxilia moti sunt; et res tandem absque armis composita, et securitas, missis hinc inde internuntiis, restituta est.

Sed exhausta mansit patria, terra nihil proferente, et latrone quicquid reliqui erat depraedante. Nihilominus licet ex praecipuis pro se ipsis indigerent, tamen in sumptus Archiepiscopi pro ejusdem sustentatione et camera suae levamine, quasi in annos singulos, aliquid tributi conferre coacti sunt. Quae toties repetita necessitas conferendi, faciebat praestationem duram et Principem invisum, nulla sui culpa: cum tamen octo vel decem millium florenorum facile contentaretur. Ignorabat tum adhuc populus, quid esset exactio usque ad annum 1618. et sequentes, quibus damno et malo suo subditi oculatiores redditi.

Fuit Patribus Societatis Jesu mire addictus. Quibus monasterium Monialium Ordinis Cisterciensis Confluentiae (*) assignavit, Monialibus in Insulam inferiorem (**) emigrare jussis, in monasterium quod fuerat virorum Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini. Patribus Collegium sat splendidum construxit in sua paupertate, et reditus amplos coemit. Decimas quoque in Inferiori Brechena (***) inter Limburgum et Cambergam, quae erant Augustinianorum Eremitarum Conventus Vallis molaris, quem Augustiniani deseruerant, iis tradidit. Sic fundati Patres fundamenta magnifici templi, demolito S. Joannis sacello, jecerunt: cujus structura tardius sub regimine successoris Lotharii perfecta est, quod ipsi de suo nihil in eam impenderent, et eleemosynae rariores non sufficerent tanto operi cito consumando (†).

(*) Vere Jacobus Princeps hos primos Collegii Confluentini dotandi conatus fecerat; sed Jacobi consilia primo aditi regiminis anno implevit Joannes Archiep.

(**) Niederwerth. (***) Niederbrechen.

(†) Robertus Bootz. (Series Abbatum Claustri in Himmenrode &c. cod. Ms.) hac de re haec refert: „Fuisse Abbatem Gregorium (in Himmenrode) Archiepiscopo Jacobo „domestice familiarem, constat ex variis litteris Archiepiscopi ad Gregorium datis, „qui tamen impedire non potuit translationem monasterii antiquae Lehrae intra Con-

Domum Caspari Oliviani, Witlich dictam emit, et in curiam saecularis Judicii mutavit anno 1583. Ex qua successor Lotharius eam in domum zum hohen Gebell, a Comitibus Sarapontanis coemptam, transtulit. Aliquot in circuitu Palatii Archiepiscopalis civium domos coemit et demolitus est, parans successori spacium aedificandi. Nam ex quo superioribus temporibus rei frumentariae et vinariae annona in Palatiolo asservabatur, donec illud a Margravio Brandeburgensi anno 1552. igne succenderetur; et Archiepiscopi, stante dissidio inter illos et civitatem, raro vel nunquam eam ingrederentur: Palatium Principis, alias modicum et vix a privata domo differens, corruerat. Pauca ergo ad necessitatem magis quam splendorem hic Archiepiscopus reparavit.

Hactenus Lotharingiae Dux jus protectionis in civitate certis pactis observaverat, accepto ab eadem annuo advocatitio. Hoc jus Archiepiscopus Joannes aliis pactis extinxit (*), et sibi suisque successoribus aequisivit. Moniales Ordinis S. Augustini, Canonissas Regu-

---

„fluentiam ex urbe ad Insulam Rheni inferiorem. — Gregorius XIII. Pontifex etiam „litteris ad Jacobum Archiep. anno 1579. in Majo datis mandavit, ut moniales Cister-„ciensos ad antiquam Lehram ex urbe ad inferiorem Insulam transferrentur, et Patres „S. J. eorum loco succederent et Collegium ibidem aedificarent."

„ Diu utrimquo laboratum est — sed moniales postero anno mense Septembri sedes „antiquas Patribus Societatis relinquere coactae fuerunt, Canonicis Regularibus in „Insula inferiore habitantibus, authoritate archiepiscopali alio translatis. Quod quam „aegre admodum successerit, Ambrosius Schneit, professus Himmenrodensis, ipsi „Archiepiscopo ob calligraphiam jam pridem notus, pro necessariis oppositionibus ab „Abbate illuc missus, pathetice describit, qui Abbatissam Guttam Bohlen de Mertloch „memorat ardentibus a Deo precibus impetrasse, ut ante translationem vita et miseriis „in antiquo monasterio suo defungeretur; nam consensu translationis ab eadem et „suo conventu extorto, ipsa coepit aegrotare, et haud multo post. 22. Septembris anno „1580. pie obdormivit — et sepulta in ecclesia ad antiquam Lehram " — —

Conf. chartas ap. Honth. (Hist. Trev. dipl. III. p. 101. 145. et 148.) — ap. Günth. V. p. 384. sq. — Adde Reiffenb. Hist. S. J. ad Rhenum inf. I. p. 190. sqqq. — In codice quoque Msto., cui titulus: Metropolis Ecclesiae Trevericae (Lib. V. cap. X.) historia fundationis Collegii Confluentini S. J. descripta legitur — et quidem per Masenium, qui Annales et Metropolim, quorum operum auctor princeps Browerus est, continuavit et amplificavit. Codex hujus Metropolis antiquior, magna ex parte manu ipsius Broweri exaratus, desinit loco, quo de monasterio Lhera apud Confluentes disserit. —

(*) Haec pacta (16. Martii 1585.) impressa leguntur ap. Honth. (Hist. Trev. dipl. III. p. 155. sq.) —

lares, ex monasterio S. Medardi, propter bellorum motus et nimiam licentiam, juxta S. Concilii Tridentini constitutiones, in monasterium S. Agnetis ejusdem Ordinis intra urbem transtulit cum bonis et reditibus (*). Monasterium vero S. Mathiae, cujus domus S. Medardi proprietarie erat, permisit eandem Lothario a Metternich, tunc Scholastico, postea Archiepiscopo cum allodialibus et appertinentiis, venditionis titulo alienari pro familiae suae mansione.

Fuit ecclesiarum et ecclesiasticorum amator ac fautor: hos mensae suae adhibebat, quotquot pro negotiis aliquibus in aula praestolabantur; indecorum existimans, eos ad publica diversoria diverti. Ecclesias plerasque sacra supellectili exornavit, aut largitionibus ditavit; sic ut rarae reperiantur, in quibus suae munificentiae et pietatis monumenta non supersint. Clericos monere solebat, potentiorum familiaritates, et quam maxime contractus fugere, et pecunias haud facile credere. Cum ecclesiasticis et humilibus libenter conversabatur; magnatum consortia, legationes et visitationes fugiebat. Ideo separatus ab aula, cum paucis in Grimburg, Montabaur, Witliaco, Prumia, sancto Wendalino et caeteris hujusmodi longe dissitis domibus habitabat, quieti et valetudini studens, ut plurimum herniae, calculi et rupturae passionibus tortus.

(**) Quia vulgo creditum est, multorum annorum continuatam sterilitatem a strigibus et maleficis diabolica invidia causari; tota patria in extinctionem maleficarum insurrexit. Hunc motum juvabant multi officiati, ex hujusmodi cineribus aurum et divitias sperantes. Unde tota dioecesi in oppidis ac villis per tribunalia currebant selecti accusatores, inquisitores, apparitores, scabini, judices, lictores, qui homines utriusque sexus trahebant in causam et quaestiones, ac magno numero exurebant. Vix aliquis eorum, qui accusati sunt, supplicium evasit. Nec parcitum fuit Magtibus in urbe Trevirensi. Nam Praetor cum duobus Consulibus, Se-

---

(*) Vid. translationis chartam per Joannem Archiep. de 3. Junii 1585. quam imprimi fecimus in foliis Trieriſche Chronif, anni 1525. p. 274. sq. Hoc diploma in diplomatariis impressis non legitur. — Mstum. Eb. Cl. in edit. Honth. false notat annum 1587.

(**) Vid. de his, quae nunc sequuntur, sagarum rebus excursum nostrum, in additamentis ad hoc caput notatu dignissimum.

natoribus aliquot et Scabinis incinerati sunt. Canonici diversorum Collegiorum, Parochi, Decani rurales in eadem fuere damnatione. Tandem eousque furentis populi et Judicum insania processerat, sanguinem et praedam sitientium, ut vix iuventus fuerit, qui non aliqua hujus sceleris macula notaretur. Interim Notarii, Actuarii et Caupones ditescebant. Carnifex generoso equo instar aulici nobilis ferebatur, auro argentoque vestitus: uxor ejus vestium luxu certabat cum Nobilioribus. Supplicio affectorum liberi exulabant; bona publicabantur (*). Deficiebat arator et vinitor; hinc sterilitas. Vix putatur saevior pestis aut atrocior hostis peragrasse Trevirensium fines, quam hic immodicae inquisitionis et persecutionis modus. Plurima apparebant argumenta, non omnes fuisse noxios.

Durahat haec persecutio complures annos, et nonnulli, qui justitiae praeerant, gloriabantur in pluralitate palorum, ad quorum singulos singula humana corpora Vulcano tradita. Tandem cum haec sentina assiduo Vulcano non exhauriretur, depauparentur autem subditi; leges inquisitionibus et inquisitoribus eorumque quaestui et sumptibus latae et exercitae sunt (**); subitoque, sicut in bello deficiente pecuniae nervo, cessavit impetus inquirentium (***).

(*) Discimus interim ex edicto ejusdem Joannis Archiepiscopi, quod in Senatu Trev. publicatum est 1. Octob. 1592., liberos supplicio affectorum mitiorem tandem sortem accepisse. En verba edicti: „daß die Kinder wegen irer Eltern Ubertrettung nit khonnen noch ſollen geſtrafft werden, undt daß hinforter (da ſunß keine andere verhinderung vorhanden) diejenige, deren Eltern allein Zauberey Laſter wegen exiquirt worden, zu die ampter zunften undt Broderſchafften uff undt ahnzunehmen ſeyen, undt Inen daſſelbig, was anderen Iren mit Brudern gezümpt unn geburt, auch billig gedeyen, wiederfaren und geduldet werden ſolle." — Hoc edictum asservatur in cod. Msto. No. 1143. sign.

(**) Vid. Ordinationem Joannis Archiep. de anno 1591., in qua inter alia legimus: „Jedem Procuratori undt Notario jedes tags in ſeinen koſten 31. alb. — Dem Nachrichter bey „tortur und execution, vor ſich und ſeine diener, vor den koſten, jedes tags — 1½ flor."

(***) Vidimus protocollum Mstum Claudii de Musiel, Scabini Trevirensis, in causa sagarum deputati Commissarii Electoralis, in quo ultra mille personarum de magia accusatarum aut suspectarum notatur. Edocti sumus simul ex hoc documento, temporis spacio vix septem annorum (1587 — 1593) ex viginti circiter pagis urbi Trevirensi proximis 368 personas de magia accusatas ad rogum tractas esse. De executionibus in urbe ipsa factis sermo non est. — —

Observatum fuit, paucos opes ex hac laniena corrasas ad tertios haeredes transtulisse.

— Tum quidam poeta Treviricus hos versus fecit (*):

„Nullibi tuta fides erat, omnia plena timore,
„Omnia plena rogis, ac omnia plena rapinis
„Esse videbantur: non relligionis avitae,
„Non vel amicitiae, prisci nec foederis ullus
„Respectus, legum nec forma superfuit usquam. —

— Sub hoc Archiepiscopo S. Maximini ecclesia insignis et turres aedificatae sunt.

Anno 1594. Pridie Regum (a) Ernestus Archidux Austriae (b) regressus est Trevirim. Ejus comitatum augebat Eduardus Marchio Badensis cum equitum turma. Dum ille Bruxellis cum Archiduce moram trahit, Ernestus Durlacensis cognati sui Marchionatum Badensem dolo occupat, et verum dominum spoliat.

Idem Archidux Archiepiscopum, tunc apud Confluentes decumbentem, triduo Treviris praestolatus est. Ernestus Archiepiscopus Coloniensis (c) illi occurrit, fuitque media nocte in urbem Trevirensem receptus (d). Archiepiscopo Joanne non comparente post triduum (*), Archidux Luxemburgum abiit, inde in Belgium, ubi mox vita functus est.

(*) Hi versus neque ap. Brow. et Masen. nec ap. Honth. leguntur.

(a) i. c. 5ta Januarii. (b) Gubernator Belgarum, Rudolphi Imp. frater.

(c) Bavariae Princeps.

(d) Apud Mechtel in Chron. Limb. legimus: „Anno 1594. ist Ertzherzog Ernestus „oben herab gehn Maintz kommen, dannen uff Trier verreist, und von dem hogen „Dohm Capitul, wie ingleichen den Hern des Radts und Burgerschafft gar stadtlich „entfangen worden. Es ware jedem Burgern durch die Zunfften ufferlegt, dass er „sich die Daglank mit der besten Kleydung solte anthun. Da solts du gesehen haben „die alte Trachten der Schweitzerischen Hosen und Wambesen, dar„uber kurtze braune Schweitzerische Mantell, damit alle Burger „einher tratten bekleidet. Sehr lustig zu sehen!“ — In his diebus Tunica Christi Archiduci ceterisque Proceribus in aede summa extra ordinem (anno enim 1585. exposita fuerat) exhibita est. (Brow. Ann. II. p. 427.)

(*) Trevirorum in se colendo alacritatem fertur Archidux ceteris urbibus, quas adierat, multum antetulisse. Unum aegrius accepisse visus est, quod Joannes Archiepiscopus ab urbe hospitali tunc longius abesset. — Id varium hominibus sermonem dedit. (Sic Browerus).

Joannes Archiepiscopus habuit fratres tres ecclesiasticos, unum Episcopum Wormaciensem, alterum Praepositum Moguntinum et tertium Archidiaconum Trevirensem: unum insuper saecularem dominum de Hartelsiein (a), qui omnes morte eum praevenerunt, et haereditatibus suis eum opulentum fecerunt. Emit domum Zur Goltreben, et illuc bona ista haereditaria collocavit: primus, qui bona familiae et privata ab archiepiscopalibus separavit et seorsim administravit.

Visitavit suae dioecesis ecclesias, monasteria et collegia, et reformavit reformanda. Initio statim regiminis ordinavit novum Breviarium. Viros doctos amavit, gratus propterea Pontificibus, a quibus indultum habuit conferendi beneficia ecclesiastica Westphaliae et Saxoniae.

In castro Witlich hortum jucundissimum et utilissimum instruxit, ductis in eum aquis perennibus et insidiosis, opere in his partibus raro.

Sibi ipsi monumentum sumptuosissimum ad altare S. Sebastiani in ecclesia Majori constituit, inque eodem altari quotidianam Missam fundavit (b). Post ejus obitum complevit illud Lotharius, antecessori successor (c). Et obviando aemulis et detractoribus sequens distichon additum est:

Larva, meum quae post fatum maledicere gaudes,
In faciem mitis cur tua lingua fuit!

Monasterii Prumiensis dormitorium, refectorium et templum magnis expensis restauravit. Sed nec dioecesi aliquid adjecit; bellis, carestia, sterilitate terrae et morbis ita impeditus, ut mortis ipsius saepius antecursores audiverimus, quam spectatores essemus.

Tandem plenus dierum et bonarum cogitationum, largitione Patribus Societatis Jesu profuse facta, sacramentis rite munitus, inter manus ministrorum lugentium, quibus ipse subridens valedixit, Deo

---

(a) In chartis germanicis hujus temporis dicitur: von Schonnenberg (etiam Schönenburgh) zu Hartelſtein. — Verum nomen esse Schonenburg: testatur scheda autographa Joannis, quam possidemus.

(b) Ad septentrionale latus.

(c) Lotharius addidit inscriptionem, quae legitur in Masenii Epitome Annal. Trev. p. 697. Exhibent quoque illam Hansen (der Dom zu Trier, 1833. p. 55.) et Günther (Die Grabmahle der Trieriſchen Biſchöfe, 1833., p. 47.) Distichon in textu relatum in hac inscriptione non legitur.

spiritum reddidit Confluentiae die 1ma May 1599. Inde Trevirim adverso flumine delatus, in monumento suo supradicto, quod mole, marmore, alabastro et opere statuario excellit, tumulatus est (a). Vacavit sedes diebus 36.

Sub finem vitae cum continuis morbis torqueretur, cogitavit Carolum Cardinalem a Lotharingia (b) et Canonicum Trevirensem in Coadjutorem assumere. Sed Capitulum restitit, et eidem Lotharium, postea successorem, in consiliarium et solatium ordinavit.

Sub hoc Archiepiscopo (Joanne) circa annum 1590. quaedam Margaretha Bockenheim, poenitens prioris vitae, qua concubinam egerat cujusdam Capitanei Fronsbergeri, sacellum in foro equorum in honorem S. Annae ex domo sua propria construxit (c).

(*) Anno 1588. idem (Joannes) transfert nundinas a festivis diebus in postriduanas, auget ornatum templorum, et restaurat opera publica in Ehrenbreitstein et alibi. — Guisii occumbunt in Gallia; sane crudelissimum Henrici Regis factum! (**) —

— Anno 1591. Philippus et Ferdinandus Bavariae Duces in tyrocinio Canonicorum Trevirensium sunt (***).

— Anno 1592. Joannes Archiepiscopus impertit Confirmationis Sacramentum Ecclesiae regali viduae Sveciae (†).

(a) Cod. Ms. Eb. Cl. et Browerus addunt: „Exta et cor in templum Societatis Coufluen„tiae, cujus fundator erat, delata sunt.“ —

(b) Hic Carolus et Antonius Vaudemont (ex familia illustri et tum temporis famosa Guisiorum) primario Collegio Canonici adscripti dicuntur. Caroli mater erat Claudia, Regis Henrici II. Galliarum filia, anno 1558. Carolo II. Lotharingiae Duci nupta. Alter, Antonius de Vaudemont, Aloisiae Ludovicae Reginae et uxoris Henrici III. frater erat.

(c) Hoc sacellum S. Annae anno 1679. in ecclesiam et monasterium monialium S. Annae mutatum, et tandem nostris diebus in domum ordinis, quem dicunt liberorum Caementariorum (Freimaurer) transformatum est.

(*) Hucusque Gesta hujus Joannis in Lindeni Msto. Quae pauca jam sequuntur, addimus ex cod. Eberh. Clusano.

(**) Anno 1589. Henribus Guisius (Dec. 23.), postridie frater ejus Ludovicus Cardinalis a regio stipatu confossi sunt.

(***) Philippus Ratisbonae Episcopus ac deinde Cardinalis, et Ferdinandus frater, Wilhelmo Duce et Renata Lotharinga progeniti.

(†) Scilicet Caeciliae, calamitosissimae sortis viduae Regis Erichii XIV., anno 1569. Sueciae regno pulsi et in custodiam dati, qui an. 1577. mortem cum misera vita commutavit.

— Anno 1593. Cornelius Loseus (a), patronus causae sagarum, cogitur ad palinodiam a reverendissimo domino Petro (b) Binsfeldt Suffraganeo Trevirensi, Reinero Biwer Abbate S. Maximini, Bartholomaeo Bodeghemio Officiali Trevirensi, Georgio (c) Helffenstein S. Theologiae Doctore, et Joanne Collmann J. U. Doctore Commissariis. — Anno 1594., VII. Kal. Julii (d), Treviris tanta fuit grandinis tempestas, ut terra crure tenus obrueretur. — Anno 1595. Trevirensis patria repletur praedonibus, ductore Cornelio von der Hardt (e), donec in eum et socios supplicio animadverteretur. — Anno 1596. Epternacense monasterium spoliatur, et Joannes Bertelius Abbas abducitur (f). — Anno 1598. reverendissimus dominus Petrus (g) Binsfeldt Suffraganeus moritur peste, et sepelitur ad S. Simeonem.

CAPUT CCCII.

De Lothario Archiepiscopo Trevirensi.

Die 7ª Junii anni 1599. (*), trigesimo septimo post obitum Joannis Archiepiscopi die, Canonici Majoris ecclesiae in loco capitulari solito, Lotharium a Metternich ex Scholastico Archiepiscopum crearunt, qui vicarias vices sui praedecessoris, magna populi et cleri satisfactione, aliquoties gesserat. Sereni mores, humanitas, benevolentia, linguarum Latinae, Germanicae, Gallicae, Italicae, Belgicae notitia sedem in hoc Principe fixerunt.

(a) Vid. animadv. ad hoc caput.
(b) In edit. Honth. false: Joanne.
(c) False etiam ibidem: Gregorio.
(d) Ibid. dies non notatur.
(e) A promissa coma Langhaar nomen inter praedones obtigerat. (Brow. et Chron. Limb.)
(f) Plura narrat ipse Bertelius, qui has adversitates passus est, in Historia sua Luxemburgensi, p. 181. sq.
(g) False denuo ap. Honth.: Joannes. — Joannes Binsfeld circa annum 1636. Decanus erat ad Simeonem. Petrus vero Binsfeld, Suffraganeus, obiit 24. Nov. 1598., et sepultus est, non in aede ipsa S. Simeonis, cui Praepositus fuerat, sed, quod olim erat in votis, in medio vestibulo. —
(*) Ad hunc annum Thilmannus Emmel, scriptor Limburgensis, notat sequentia: „Aliquis festo S. Joannis Baptistae uvam maturam Lothario neoelecto Archiep. obtulit, „accinente versificatione:
„Maturas uvas reperit Baptista Joannes.“

Non tamen caruit haec electio difficultate propter quendam Philippum Jacobum Husman a Namedey Archidiaconum, virum singularis ingenii et raro cum caeteris Collegis sentientem. Vicit tandem Lotharius, quem ipse Archidiaconus Husman electum de ambone, et primo Archiepiscopum dixit, sive sorte, sive votis ad hoc lectus et deputatus. Missis deinde Romam Georgio ab Helffenstein ss. Theologiae Doctore, Decano S. Simeonis, designato Suffraganeo, Joanne Guilielmo Husman a Namedey Majoris ecclesiae Canonico, Augustino Zand; quibus adjungebatur Joannes Linden ad S. Simeonem inter Juniores Canonicus (a): a Clemente P.P. VIII. confirmationem et pallium obtinuit, et ipse Georgius Suffraganeus episcopalem benedictionem (b).

Lotharius statim ab electione Sacerdos a Nuncio Apostolico praesente, in Novitiatus Patrum Societatis Jesu sacello in platea Tetradii, ordinatus est. Confluentiae post in Archiepiscopum consecratus, pallio ornatus est (c). Cui Rudolphus Caesar regalia et principatus stabilimenta impertiit.

Archiepiscopatum accepit in spiritualibus quietum, nulla haeresi scissum; in temporalibus vero vacuum, quod sterilitati priorum annorum imputari debet. Lotharius tamen videns plerosque redituarios (*) opulentos et divites, ex eo quod nimis libere in bonis ecclesiae sub antecessore versati fuissent: eorum alios pecunia, alios suspendio

---

(a) Jurium Doctor, et horum Gestorum scriptor.

(b) Romae ab Octavio Cardinale Pallavicino in ecclesia S. Apollinaris ordinatus Fpiscopus Azotensis.

(c) Honth. edit. haec habet: „Confluentiae in aede S. Florini anno proximo, qui Jubilaeus „erat, consecratur. Pridie celebravit primitias in oratorio arcis, praesente Serenissimo „Ferdinando Coadjutore Coloniense.“ —

(*) Rem oeconomicam admodum collapsam, restituit Lotharius. „Antecessoris Ministri „(scribit Masenius), ne quid sibi potius deesset, quam Principi, studiose providerant.“ (Continuat. Annal. II. p. 436. —

Tempore Lotharii, Browerus patria Arnheimiensis in Geldria, qui ad hunc usque Archiepiscopum Annales suos absolverat, defunctus est die 2. Junii 1617. aetatis 58., a Fuldensis Collegii S. J. Rectoris officio ad historiae nostrae absolutionem Treviros reversus. Historiae Treviricae hic vir doctissimus per tringinta annos operam impendit strenuissimam. Immortali ingenii monumento, immortalem consecutus est gloriam Christophorus Browerus, quam nulla unquam oblivio in memoria eorum Trevirorum delebit, qui patriae res historicas tractare amant.

mulctavit, nonnullos officio movit. Mox deinde quicquid aula superfluitatem sapiebat, compressit, datis legibus sumptuariis, et ut Principi in dies singulos quis? quid? ubi? insumpsisset, in carta referretur.

Cum mox post electionem cives Trevirenses Electo sacramenta pro more dicerent, illis duo plaustra vini de cella sua privata (non enim erant in archiepiscopali penuario vina ad hoc apta) propinavit congiarii loco.

Anno 1600. in Martio patriae Statibus diaetam ad Confluentes indixit (*). Eodem anno navis epibatica ad Martyres, in die Palmarum, cum hominibus circiter centum ad festum in urbe properantibus, submersa est. Eo anno plurimi pontes per dioecesin inundatione aquarum rupti. Istum uf der Alfen Lotharius restauravit.

Fuit Lotharius vir apprime literatus, ut etiam crederetur in Juris studio graduatus fuisse. Acerrimi ingenii, facilis, laboriosus, mansuetus, et ex tempore ad quamvis quaestionem resolutus. Rei non minus publicae, quam suae augendae aptus, finium regundorum sollicitus. Quo factum, ut cum vicinis dissidia habuerit. Unde Joannes Dux Bipontinus, in ejus et antecessorum Archiepiscoporum odium, Annales Wilhelmi Kyriandri, Jacobi ab Eltz Archiepiscopi industria et expensis coemptos et supressos reimprimi et divulgari curavit (**).

Cum Luxemburgensibus perpetua dissidia habuit, et tantum non ad arma perventum ob conditionis et virium imparitatem. Tandem amicabilis tractatus instituitur, quo utrinque jura et privilegia ederentur. Regii (***), postquam propterea integro anno in S. Maximini monasterio haesissent, quod etiam tunc ab Archiepiscopo dissidebat, re infecta abierunt — et natus est ridiculus mus. Dissidii inter hunc Archiepiscopum et S. Maximini monasterium haec causa fuit. Erat

---

(*) His Comitiis Confluentiam indictis, patriae suisque necessitatibus consulere voluit.

(**) Vid. ad cap. 298 animadversionem nostram de Kyriandro suorumque Annalium editionibus variis.

(***) i. e. legati. — Anno 1616. Belgarum Princeps Albertus, ad componendas controversias cum finitima Luxemburgensi provincia et Maximiniano monasterio (cujus in hoc negotio causa non levis vertebatur) Treviros sequentes legatos destinavit: Dominum ab Aichlen Concilii privati Senatorem, Philippum ab Hatstein ex Luxemburgico Concilio: quibus accessere Joannes Wilthemius graphiarius, et Cornelius Neufforge Procurator generalis. (Masenius l. c. p. 460.)

eodem tempore Reinerus Biwer, ejusdem Abbas, tunc corpore, ingenio et prudentia insignis; at ubi apoplexia tactus, judicio quoque debilitatus fuit. Hic more suorum praedecessorum caput et primas cleri Trevirensis, os ejusdem dicebatur, comparueratque propterea in Provinciali diaeta ad Confluentes anno 1600., cum eoque clam reliquis Archiepiscopus tractaverat, ut postulationi subsidiorum liberaliter annueret, quo caeteri primores facilitarentur ad similem liberalitatem, Abbati spem immunitatis a reali praestatione faciens. Qua fretus Abbas efficit, ut summa magna promitteretur. Sed cum pro rata sui monasterii praestare cogeretur, exceptione promissae exemptionis non audita, objecit ille, se suumque monasterium Archiepiscopo non subjici, ut sibi quispiam imperare possit (*). Et cum Archiepiscpus Abbatem captis pignoribus adigere vellet, Luxemburgenses, quibus Abbas adhaeserat, irruptione facta, nocte Ss. Innocentum anno 1601., oppidum Erang astu capiunt, depraedantur, exercitisque repressaliis per officiaturam Welschpillich et Eifliam, coegerunt Archiepiscopum pignora restituere, et jure de ea quaestione experiri.

Restituit Deus cum eodem Archiepiscopo aëris desideratam diu clementiam et annos uberes; sic ut omnia ad victum humanum neces-

---

(*) Monasterium S. Maximini usque ad novissima tempora propugnabat, sanctae Sedi immediate subjectum esse. At quam infirmo haec sententia stet pede, ex variis bullis Pontificum pronum est cognoscere.

Notamus hocce loco argumentum chartarum duarum authenticarum, quas nuper accepimus, scilicet:

1) Innocentii II. Papae confirmatio sententiae in causa Abbatiae S. Mazimini, favore Archiepiscopatus Trevirensis a Conrado III. Rege Rom. latae. 20. Dec. 1140.

Hanc memorabilem bullam Honthemius quidem imprimi fecit (Hist. Tr. dipl. I. p. 547.), non ex originali charta, sed ex libro, cui titulus: Archiepiscopatus et Electoratus turbatus (per monachos S. Maximini), — Treviris 1633. — Huic bullae in hoc libro primum typis editae opposuit suo tempore Zyllesius (in Defens. Abbat. S. Maxim. P. II. Sect. VII. §. 2. p. 99.): non fuisse visum ejus autographum! — Sed id, optime conservatum, ante oculos nostros positum est.

2) Bulla Innocentii IV., qua sententiam excommunicationis ab Arnoldo II. Archiepiscopo contra Abbatem S. Maximini latam, ratam habet. (15. Oct. 1250.) — In eadem charta Papa mandat Comiti Namucensi, ut eidem Archiepiscopo obedientiam et reverentiam exhibeat.

Haec charta non legitur in diplomatariis impressis. De argumento hujus bullae silent etiam Gesta Arnoldi II., quae in volumine I. editionis nostrae leguntur.

saria parvo pretio venderentur, penuaria etiam Principis frumento et vino replerentur. Hanc abundantiam conservavit singulis ejus parsimonia et provida administratio, augebantque collatae a Statibus contributiones et subsidia.

Arcem Erenbreitstein magnis sumptibus firmiorem amplioremque reddidit, adjectis et de novo constructis aggeribus et ductis vallis sive fossis. Quod opus continuo labore, die nocteque, festis et feriatis diebus, jam pene perfectum, ipsa omnium SS. nocte 1603. corruit: et aggeres in valles seu fossas procumbentes, omnia plana et in primam faciem restituerunt; coactusque est Princeps, magno populi labore et clamore iterum et firmius aedificare.

Post haec anno 1614. coepit palatium in urbe construere, tota hyeme illius fundamenta fodere; cujus primum lapidem jecit primo vere, et sex annis ad eam perfectionem perduxit, ut ipse illud in latere orientali inhabitaret (*).

(*) Cod. Eb. Cl. in edit. Honth. habet haec: „Lotharius aedificat Treviris novum palatium juxta veterem hypodromum.“ —

Qualem destinationem hoc opus Romanum, omni ex parte latericium, primitus habuerit? sub judice lis est. Pars hujus aedificii occidua adhuc extat. —

Broweri sententiam in suo Msto Annal. Trev. legimus, scilicet: „Est moles e „cocto latere suffectoque calce. — Vastus omnino et excelsus hujus est aedificii complexus, „et fenestris undiquo ad summum apicem ferme ingentibus assurgit. — — Fenestrarum „magnitudo et murorum ipsae coronae locum coelo patenti expositum fuisse, „et non tam habitationi, quam ludricis spectaculis et certaminibus antiqui„tus loquuntur fuisse consecratum. Equidem de ipso aedificii genere, cum „multi multa, tam exteri quam domestici scriptores olim ex ingenio „suo confinxerint — nihil in praesens habeo suspicari, quam quod vel Circo vel „Hipodromo structurae vetus forma sit persimilis.“ — Conf. quo modo haec leguntur in Masenii edit. Brow. Annal. Trev. I. p. 47. —

Ortelius, Broweri aequalis, in suo Itinerario (Antverp. 1584. p. 62.) hanc pronuntiat sententiam: „Ex Theatro reliquum esse videtur fragmentum illud operis latericii.“ —

Alex. Wiltheim (in suo Msto Luxemburg. Roman.) refert: „In summo hujus „aedificii per quatuor angulos turriculae quadratae, ceu speculae, interjecta am„bulatione subdivali pinnata.“ Addit vir doctissimus: „An per Romanorum „tempora fuerit palatium, aegre explico, nec magis explicavit adhuc Tre„virorum eruditissimus quisque.“

Rejicienda certissime est inepta illa assertio, temporibus etiam nostris a quibusdam rerum nostrarum scriptoribus minus exploratis ventilata — hanc molem fuisse Constantini M. palatium!! — Basilicam Romanam fuisse, opinantur alii scrip-

A Comitibus de Sayn oppidum Rheinbrol ad oram Rheni cum adhaerentibus juribus acquirit (*). Incolas et subditos ab haeresi Calviniana ad Catholicismum reducit.

Ecclesiam suam Metropolitanam, vetustate squalidam, fenestris et picturis illustriorem fecit (**); et dum circa hoc opus fabri lignarii incautius collocassent ligna fabrilia, tres operarii e summo chori fornice deorsum praecipites acti, fractis quidem tibiis et brachiis, vivi evaserunt. Ingentem campanam, ab Archiepiscopo Richardo fusam, et hactenus in vestibulo ecclesiae relictam, prodigium peregrinorum, in turrim elevari et usibus divinis aptari fecit. Eam postea perruptam successor Philippus Christophorus transformari curavit anno 1628., et in harmoniam musicam redegit.

In Beurich, quam ecclesiam Richardus Archiepiscopus sacello miraculoso ornaverat, et domum collegio quinque vel sex Presbyterorum necessariam construxerat, Patres Ordinis S. Fraucisci de observantia introduxit. Et in urbem Capucinos anno 1615., illisque ecclesiam et monasterium (***) dedit, adjutus benefactorum subsidiis. Cujus ecclesiae

---

tores eruditi nostrae aetatis. Vid. Baudenkmale der Römiſchen Periode und des Mittelalters in Trier, von C. W. Schmidt, Architekten. II. S. 32. Trier, 1839.

(*) Vid. chartam Heinrici Comitis de Sayn, de anno 1601. — ap. Günth. (Cod. dipl. &c. V. p. 413. sq.) —

Iste Heinricus se dicit: „Graue zu Sain, Herr zu Homburg, Monklar und Meinzberg.“ Cod. Eb. Cl. haec habet: „Feudum comitatus Chigni redit ad ecclesiam Trevirensem, „nec non Freysburg et Bergbroll.“ —

(**) In cod. Eb. Cl. haec legimus: „Anno 1614. Lotharius Archiepis. curat sibi Treviris „epitaphium in summo templo — et tunc effossus magnus ille scapus columnae, qui „ibidem adhuc visitur.“ (ad templi vestibulum). — Vid. notam ad calcem vol. I. p. 38. edit. nostrae.

(***) Domum cum sacello (S. Sebastiani) pro septem viduis non ita pridem fundatum, nonnulli Franciscani instituti cultores, qui Capucini dicuntur, tum (1615.) acceperunt inhabitandam. Vid. Hist. Prov. Rhenanae Fratrum minorum Capucin. Lib. 1. cap. 1. p. 2. 1715. —

Cod. Eb. Cl. haec panca habet: „Consecrat crucem Capucinorum eo loco, ubi olim fuit Judaeorum Polyandrium.“

Deinde novum illud monasterium huic Ordini aedificatum est, quod extitit usque ad nostra tempora, et quidem eo loco, ubi in aevo Romanorum unum ex balneis publicis fuisse, opinatur Joan. Phil. a Reiffenberg in suo Msto s. t. Notae et additiones ad Brow. et Masen. Annal. Trev., hoc argumento nixus: „Anno „(ait) primo hujus saeculi decimi octavi, operarii latrinam monasterii emissuri, inci„derunt in pavimentum, cujus crassities pedem aequabat, sub illo lateritius murus pe-

primum lapidem benedixit et jecit, crucemque in vestibulo erexit, clero adstante.

Sub idem tempus in urbem recipiuntur virgines quaedam ex Anglia ob Catholicam religionem profligatae, vitam communem sine clausura ducentes, quae etiam puellas in literis et manuum factura erudiunt. Harum institutum, quod jam longe lateque per Germaniam et Belgium patebat, circa annum 1629. disolvit Urbanus PP. VIII., facta eis nubendi licentia: ideo quod militaret contra constitutionem Bonifacii VIII., relatam in C. periculoso. de statu Regular. in 6^to.

Duorum Imperatorum electionibus interfuit. Dum scilicet Mathias I., die 13 Junii anni 1612., fratri suo Rudolpho II. (qui calamo magis quam gladio doctus fuerat sedare motus Germaniae) die 12. Januarii ejusdem anni defuncto, Francofurti ad Moenum surrogaretur. Et deinde huic anno 1619. die 20. Martii defuncto, etiam Francofurti die 28. Augusti istius anni, legitima electione post multiplices tractatus ac protestationes Statuum regni Bohemiae aliorumque succederet Ferdinandus II. Dum in hac Ferdinandi II. electione Principes tumultuarentur, et cives Francofurtenses ad arma conclamarent: inter eas tempestates Archiepiscopus Lotharius sic caute et industrie incessit, ut ab utraque factione arbiter pacificus et prudens acclamaretur.

CAPUT CCCIII.

Anno 1609., die 30. Augusti, Electores ecclesiastici Joannes Schwickardus Moguntinus, Lotharius Trevirensis et Ernestus Coloniensis Archiepiscopi, videntes omnia in suppressionem Catholicae religionis praeparari ad bellum, convenierunt (*) inter se invicem de

---

„dis altitudinem excedens — totius quadrati lateris crassities quatuor digitorum — „columellae autem erant altae tres pedes. In pavimento, cui illae insistebant, caminus „et ignis reliquiae et indicia, cinis videlicet et fuligo apparebant — Aliae porro sub„structiones et rudera vasti operis detegebantur. — Urgebam (ait porro) continuatio„nem, et ut ulterius inquireretur — sed id frustra fuit.“ —

Hic vir, harum rerum peritissimus, pavimenti detecti figuram calamo delineatam nobis reliquit.

De tempore novae ecclesiae exstructae vide cap. 375.

(*) Confluentiae, scribit Masenius; Moguntiae, affirmat Joannis in vita Svicardi

tuenda patria, religione et justitia contra omnem hostem, quod periculum unius foret omnium. Huic unioni accesserunt Episcopi Wormaciensis, Spirensis, Argentinensis, Basiliensis, Osnabrugensis, Bambergensis, Eistetensis, Herbipolensis, Augustanus; Abbates Fuldensis et Campidonensis; Praepositus Elwacensis; Magnus Magister Equitum Teutonicorum; Dux Bavariae (*). Laudarunt et approbarunt hanc unionem Papa et Caesar.

Aliam similibus legibus, diverso licet fine, sub specioso titulo libertatis Germanicae tuendae pepigerant Calvinistae et alii hasresium fautores, Germaniae Principes et liberae civitates, vocatis in foedus externis Regibus Angliae, Daniae, Sueciae, Duce Transilvaniae, Turca, Hollandis, Republica Veneta, Regni Bohemiae Proceribus, Ungaris &c., Heidelbergae, die 15. Martii anno 1604. Hujus unionis caput constituebatur, qui ejus loci erat, Fridericus IV. Palatinus Elector, quod ipsius epitaphium albo marmore sculptum in templo S. Spiritus Heidelbergae non obscure innuit his verbis:

„Fridericus IV. D. G. Comes Palatinus Rheni,
„Dux Bavariae, S. R. Imp. Archidapifer
„et Princeps Elector, qui vi unionis pro
„ libertate et religione apud Principes
„Imperii prima fundamenta jecit &c. &c.“ —

CAPUT CCCIV.

Sub idem tempus Lotharius domum Universitatis ad Columbam dictam, olim Professorum incolatui servientem, deinde a Jesuitis sub titulo Professorum inhabitatam, in habitationem Vicedomini seu Locumtenentis convertit, et pro ea aliam Universitati, ejusmodi mutationem coacte ferenti, tradidit.

(Rer. Mogunt. I. p. 913.) — Interim hic scriptor concedit, primum horum Archiepiscoporum conventum, an. 1606. institutum, Confluentiae fuisse (p. 912. —

Anno 1616. rursus conveniunt Confluentiae ad colloquium Joan. Svicardus Archiep. Mog. et Ferdinandus Colon. Archiep. (Cod. Eb. Cl. in edit. Honth.

(*) Dux Maximilianus caput hujus unionis designatus est. — Catholici Principes Ligistae dicti sunt.

Anno 1610. Patres Societatis Jesu novarum scholarum fundamenta in contiguitate Collegii jecerunt (*), quas et aliquot annorum continuo opere absolverunt, Statuum, Principum et diversorum patronorum expensis. Structura hac aliqualiter perfecta, omnia utensilia, scamna et cathedras cum campana et horologio ex scholis antiquis ad suas transtulerunt. Et campana mox seu casu seu data opera rupta est, et de novo conflata, ut non amplius restitutioni obnoxia, sed sua ceu nova videretur. Lapides ex antiquis turribus apud S. Barbaram tulerunt, et magnam earum antiquitatum partem demoliti sunt (**).

(*) Deserto in Tetradii platea (Diederichsgasse) academico Collegio vetere ac ruinoso, hodierni Gymnasii fundamenta juxta Collegii S. J. aream jacta sunt. In hanc rem impensam non minimam fecerunt Lotharius Elector, ejusque successor Philippus.

(**) Joan. Mechtelius his de rebus haec narrat: „Die Rdl pres Societatis Jesu zu „Trier haben biß daher a tempore Rmi Dei Jois a Petra (qui et lumen Imperii vocari „meruit) die Borß zur Scholen ingehabt, so da waß gelegen bey der Ketten in platea Thetradii nechst St. Ciciliae Hoff über; — — nachher verlassen und die scholen hinuff ahn das „Collegium SSmae Trinitatis nechst der Engelgassen ort ahngefangen zu bauwen in anno 1610. „Von wounderbarlichen infellen zu schreiben:

„Es wareu nechst St. Barbara obig Trier duae moles, daß ist, zwoe große ohngeschaffne „seltzam gemaurte Thorme, einer breitlig, der ander gleichvierkantig hoch, sey hatten keine „Dohren, sonder ingebrodene locher, und nenneten sey die Heydtnische gebeuwe, da sey doch bey „den Christen tempore Valentiniani et Gratiani ob portam contra Gallos? victoriam zu „Triumpffseulen uffgerichtet worden; selbiger gebeuwen eins, daß großest und starckest haben die „Rdi pres Societatis cum consensu midt der neuwe erfundene Kunst abgebrochen. — — „Es befinden sich im fundament Steine so groß und schwer, daß man selbige mit cranen mussen „herauß winnen, und woll von einem Stein 3 Kahren beladen worden, daß Wounder wie sulche „schwere lestige Steine dahin mogen gebracht werden.“ — Ex ipso Mechtelii Msto autographo Chronici Limburg., N. 48. sig. et in bibl. Trev. asservato.)

Audiamus et Browerum in Antiquitatum et Annal. Trev. Proparasceve, qui haec refert: „Via S. Barbarae, ante hujus urbis moenia, parte australi, spectata mu„nificentia sese offert — arcus honorarius, quem erectum in triumphi Valentiniani „Imp., et Gratiani filii memoriam, de Germanis Augustae Trev. acti, non levibus „olim causis inducebar ad suspicandum.“ (Post operis descriptionem pergit his verbis): „Ita facies erat hujus operis, me Treviris adhuc vivente. At intervallo annorum, „cum a Collegio Societatis hic fundus esset aere quaesitus, et fabricae scholarum, „quas Collegium bono publico suis tunc et liberalium hominum magnis „extruebat impensis, ex hisce ruinis materia compararetur, ut lapidum sane vis „ingens e fundi visceribus, indefesso labore, extracta: sic mirifica sub terris opera, „quae latebant, a nostris hominibus inventa.“ — — In fine adhuc haec: „Tentavit molem „Maximilianus I. Imp. anno M. D. XII. quo Treviris conventum agebat, aliquot fer„eis globis ingenti machina excussis, verum excipiente vim latere, injuriae non cessit.“ Masenii notae hac de re, de substructionibus nempe ibi inventis, explicatius trac-

Eodem anno Lotharius Archiepiscopus a Caesare ad sedandos motus Colonienses, eo fine ortos, ut Catholico Senatu suppresso urbs subderetur haereticis, qui hoc tempore bellum contra Catholicos parabant, destinatus fuit. Ubi vero eloquentia sua et dexteritate non penitus discordias sustulit; Consulum sagaci postea consilio plebs a tumultuariis aversa, et haeretici urbe pulsi sunt. Eodem anno, nocte quae festum S. Michaelis insequitur, dum Prior Ord. S. Dominici Praedicatorum, Michael vocatus, propter patroni sui festum Conventum liberalius tractasset, dormitorium cum bibliotheca et majori monasterii parte conflagravit ex lumine male custodito. Et anno vix decurso Carmelitae, non multum dissimili incuria Prioris Petri Borgii, ignem suis cellis immisserunt, quem statim cives extinxerunt, ut tantum damni non intulerit.

Anno 1618. bellum, quod hodie adhuc saevit in Germania, aperto Marte prorupit in Bohemia, dum Pragae tres Consiliarii Caesaris e

---

tant. Audiamus et Alexand. Wilthemium, (Luxemb. Roman. Ms.), hac de aede, de qua hic sermo est, hunc in modum disputantem:

„Illustre humanae caducitatis exemplum est immanis moles ad S. Barbaram. — Mi„ris post se relictis sub terra arcanis, Eruditorum cruciamento non mediocri, tandem „intellectum est mea memoria (saec. XVII.) fuisse thermas, (non arcus triumphalis, „non officina monetaria).“

Auctor attentius illustrat molem forma quadrangulari, majestate Romana, et icones ruderum subjicit. Comparat porro haec thermarum vestigia cum illis thermarum potioribus ruinis, adhuc existentibus muroque civitatis interjectis.

In fine doctissimae disputationis in quaestionem vocat: „tantae molis tantique orna„tus thermae fuerintne Lucii Consularis Belgii, laudati in Gestis (†)? Ejus uxorem „cum Avitus Imperator fraude circumventam Treviris vitiasset, maritum insuper hoc „dicto amarissime momordit: cum pulchras thermas habeas, frigide lavas! — — „Nota est Principum Romanorum, Magnatumque popularis indulgentia, praebentium „plebi lavationem in suismet saepe thermis (privatis ergo), quin et promiscue cum ea „lavantium: quod nec a Lucii munificentia alienum esse potuit.“ — —

Nobis verisimile est, nixi effossis etiam nostra aetate (1825.) lapidibus magnis opere perpulcro caelato formatis, in hac regione prope pontem quondam extitisse, praeter has thermas, alia praeclara aedificia. Opinamur nempe, ibi fuisse palatium Imperatorum et fortasse etiam, secundam traditionem antiquam, arcum triumphalem. —

Nihil, post hanc destructionem, hocce loco nobis reliquum est. Adeo hominis et structurarum commune est fatum, tandem humo condi!

(†) Gesta Trev. Vol. I. c. 35. p. 60. nostrae edit.

fenestris praecipites acti fuere. Eodem anno die 1. Julii Ferdinandus Archidux coronatur in Regem Ungariae.

Die 20. ejusdem mensis Cardinalis Cleselius captivus Vienna abductus fuit (*). Hoc eodem anno haeretici in Hollandia conciliabulum celebrarunt, de quo versus:

Est synodus, nodus; Patrum confessio tota
Conventus, ventus; sessio, stramen. Amen.

Eodem anno ingens Cometa in his partibus apparuit, a festo Divi Andreae duobus circiter mensibus (**), praenuncius belli, pestis, famis et persecutionis, juxta illud:

Prodromus est belli pestisque famisque Cometa,
Nec quisquam flagrantem vidit impune Cometam.
Non leve venturum nunciat ille malum.

Eodem anno Comes Anhaltinus cohortem militum pro servitio Caesaris sustinuit in campis juxta Palatiolum (infra Treviros); cui numerati sunt 22,000 flor. Francofurtenses, ut patriae huic parceret, quod tamen minime praestitit.

Anno 1621. die 13. Junii, cum ob Jubilaeum, quod Gregorius PP. XV. indulserat, Treviris solennis processio esset instituta, qua ipse Lotharius Archiepiscopus S. Eucharistiam usque ad portam novam praeferebat, succedentibus sibi per vicos Abbatibus infulatis; et Nicolaus (***) S. Maximini Abbas ad Majorem ecclesiam Venerabile Sacramentum referret, ac statio in medio ecclesiae servaretur: ipse Nicolaus Abbas, manibus tenens S. Eucharistiam, correptus apoplexia corruit, et per manus ministrorum in vicinam domum delatus, ibidem in sacris vestibus expiravit. Cui successit Petrus Freudeburg, invitus electioni iteratae de se factae consentiens; nec multum supervixit. Eodem anno dedicatum est templum S. Maximini, superioribus annis

---

(*) Cleselius Cardinalis, hac tempestate, summus rerum in Austria administer erat.

(**) Cod. Eb. Cl. in edit. Honth. habet: „Anno 1618. Treviris et alibi longo tempore „apparet cometa, quem secuta est mors Matthiae Imperatoris, rebellio Bohemorum, „aliaque mala.“ — Masenius scribit de hoc cometa: „Cauda minaci cometes Novem„bri mense Martem inter et Mercurium, amici belli sidera, exoriens, per tropicum „cancri ad Septentriones triginta dierum progressus itinere, totidem annorum bella „Germaniae denuntiare visus est (?) — — (Annol. II. p. 464.)

(***) Nicolaus Honthemius.

noviter aedificatum. Et die 29. Augusti Antonius Episcopus Vigiliarum, Nunciatura Apostolica defunctus, celebravit translationem SS. Basini et Weomadi Episcoporum Trevirensium (*), eademque corpora e crypta ecclesiae S. Maximini desumpta decentius collocavit super duobus altaribus juxta chorum.

Anno 1622., scripto numeroso peditum et equitum milite, Archiepiscopus primo vere coactus est, bella gerere defensiva (**). Durarunt haec bella ad quinque menses, quibus decursis, miles sacramento solutus est, cum dioecesin expensis magnis afflixisset; quarum partem tertiam ipse Princeps de sua mensa ex conventione cum Statibus solvit.

Tandem Archiepiscopus, multiplici labore et gravi aetate pressus, viribus omnibus sensim deficere coepit, et die 7. Septembris anni 1623., Ecclesiae sacramentis rite munitus, pie obiit. Princeps optimus, et talis qualem ecclesia Trevirensis hoc tempore desiderare potuit. Sepultus est in sua Metropolitana, die 23. Septembris juxta altare Omnium SS. (***), ubi clavus Domini populo exhiberi consuevit, quod vivens magnifice reparari, et sibi sepulchrum juxta illud parari curaverat. Aetatis suae anno LXXV., regiminis XXIV.

(*) Conf. Vol. I. Gestorum, p. 70. — — Haec ecclesia cum monasterio hodie mansio militaris est.

(**) Principum Protestantium copiae tum Trevericae quoque patriae armorum metum incusserant; de Rheni enim et Mosellae possessione infra Palatinatum occupanda constitutum fuisse credebatur. — Hac occasione, praeter conscriptum militem, et juventus scholastica, armis ferendis idonea, millenario pene numero apud Treviros collecta, statisque diebus militaribus exercitiis culta, operam urbi defendendae praestare jussa est. Trecenti etiam robustioris aetatis delecti, qui ad omnem militiae usum praesto essent, egregium armatae Palladis spectaculum praebuere. Ibant aecincti gladiis hinc Germani, illinc Galli suis sub ductoribus in centurias distributi. Cumque signum pro scholis academicum insonuisset, suas quique classes armis succincti adibant, eadem manu librum, et si necesse, gladium tractantes! — — Interim intra solum timorem Trevericae ditionis pericula substiterunt. —

(Ex documentis domesticis Mss. Collegii S. J. — quibus et Masenius usus est.) — —

(***) Juxta tertiam a dextris columnam sub ara B. V. Assumtae dicata, quam tum dixere Omnium Sanctoram. Cor Principis ad ecclesiam Soc. J. delatum, atque ibi ante aram summam terrae mandatum est. —

(*) — Anno 1603. Novitiatus Trevir. S. J. ampliatur emptione areae a Mediolacensibus. — Fons salubris ac celebris infra Treviros juxta pagum Schwichum, vulgo Schweigh, magis magisque celebratur hominum frequentia; multi sanitatem receperunt (**).

— Anno 1606. cornu memorabile haud procul Lymburgo ad Loganam flumen in praerupto amnis Elbae (quando etiamnum trias Principum Septemviralium Confluentiae subsistebat) repertum est, juxta montem maculosum, quod medici minerale dicunt: monocerotis illud vulgo habitum fuit. Expa rte densiore cavum, ex tenuiori solidum, in longitudine et crassitie ingens, ac molis tantae, ut quatuor modiorum frumenti aequaret pondus, hominisque unius justum onus censeretur. Dolendum, quod aviditate invenientium in multas dissectum partes, spectaculo et admirationi posteritatis relictum non fuerit (***).

— Anno 1609. Ferdinandus III. Imperator nascitur. — Ignatius Lojola beatificatur. — Henricus IV. Rex Galliarum a sicario interficitur.

— Anno 1610. Juliacum occupatur a Brandenburgico, ope Gallorum et Hollandorum (†).

— Anno 1613. filia Regis Angliae Elizabetha datur Friderico Palatino uxor.

— Anno 1615. Pater Nicolaus Trigaucius Soc. Jesu e China

(*) Hucusque Gesta Lotharii in Msto nostri Linden. Addimus adhuc ex cod. Eb. Cl. panca quaedam.

(**) Legi meretur hoc loco Mechtelii Chronicon Limb. (ap. Honth. in Prodr. p. 1150 sq.) Haec relatio, sani judicii et salis plena, reimpressa legitur in foliis: Trieriſche Chronik, anni 1825. p. 49. sqq.

(***) Mechtel in suo Chronico haec refert: „Am Fleckenberg ein großes Horn, zum Theil „hohl, und ohngefehr 4. Semmern Korns ſchwer, ausgefallen in die Lahn, geachtet vor Einhorn, „zerſchlagen, die Stuck verſtreuwet — were Wunder zu ſehen geweſen, da es ganz plieben.“ — Fortasse reliquiae unius illarum bestiarum iugentium, quas dicunt ante-diluvianas?

(†) Anno 1609. feuda Ducatuum Juliacensis ac Cliviensis aperiuntur. Mox certant Saxonica in has terras jura — Brandenburgica jura — Comitis Palatini Neoburgensis jura — Marchionis de Burgau, Comitisque Palatini Bipontini, in hos Ducatus jura. —

Brandenburgicus Elector, Neoburgicus Comes Palatinus, possessionem horum Ducatuum arripiunt, ac speciali conventione, Tremoniae, V. Id. Febr. inita, de iis paciscuntur. Tum Imperator sequestrationem illorum exigit — et jam Brandenburgicus, Neoburgicusque foedere junguntur Regi Galliae (1610.) —

Indiae venit Treviros petitum reliquias, quas a Lothario Principe impetrat. — Magnam superioris anni siccitatem secuta est magna vindemia. — Anno 1623. Lotharius Archiep. moritur Treviris 7. Sept. sepeliturque in summo templo (*) aetatis 75. (**).

Epitaphium (***).

Sta, lege, bene precare viator.
Hic jacet ex nobili stemmate nobilior Princeps
Lotharius ex patre Metternich, matre de Petra,
Is aetatis 75. regiminis 4. et 20. anno,
A terreno principatu ad coelestem, ut spes est, transiit.
Fide erga Deum, Ecclesiam et Imperium (a) Rom. semper integra,
Prudentia, humanitate, clementia, pacis studio,
Pietate in Deum filiali, in subditos paterna
Dignis Principe virtutibus,
Posteris reliquit exemplum, Trevericae infulae decus,
Gloriam immortalem sibi, et gaudium suis.
Fave, Lector, applaude, sequere.

CAPUT CCCIV.

De Philippo Christophoro Archiepiscopo Trevirensi (†).

Cum ecclesia Trevirensis ob obitu Lotharii octodecim diebus vacasset; legitima electione die 25. Septembris ad hoc indicta, unanimi Capitularium consensu in loco capitulari, paucis diebus ante e Nemetum mansione per nonnullos Capitulares huc accersitus, magna exspectatione electus et renuntiatus est Archiepiscopus Trevirensis

---

(*) „Ex funda summi templi (scribit coaevus Meelbaum in sua Sylva academ. p. 181.) „cum Lothario Archiep. nuper sepulchrum foderetur, immanis formae, et stupendi „lapidis columna fuit extracta.“ — Conf. Additam. ad Vol. I. p. 38.

(**) False in edit. Honth.: 73.

(***) Hoc epitaphium quondam erat destinatum, sed in nuda marmoris tabula nondum est exaratum.

(a) Imperatorem: minus accurate in Honth. edit.

(†) Philippi Christophori Gestorum aliquam tantum partem Linden exarare potuit. Haec pars jam sequitur. De fatis nostri scriptoris audibimus infra.

Philippus Christophorus a Soeteren, familia nobili et antiqua Trevirensis provinciae (*).

Vir statura magna, corpore gracili, ore subtristi et minaci, vultu macro, oculis retrorsum recedentibus et vehementi obtutu scintillantibus, supercilio prominente, naso non adeo magno, rara barba, capillitio tenui nigro canitie admixta, sincipite calvo, aetatis circiter 55. annorum. Valetudine hactenus semper usus est prospera, vix autem unquam medicorum opera, quanquam in victu non admodum exquisitus. A teneris annis ad studia literarum totus conversus, ingenium optimo liberalium artium studiorumque delectu graviter instruxit. Omnium disciplinarum, linguarum item Latinae, Italicae, Gallicae, Germanicae cognitioni, a primis annis vitae integritatem adjunxit, et animum ad ecclesiasticae vitae institutum propensum prae se tulit. Unde etiam aliquot metropolitanarum Cathedralium et equestrium ecclesiarum illustria sacerdotia tenebat. Ob singularem oeconomiam, qua credebatur pollere, anno 1610. Episcopo Spirensi in spem successionis adpositus Coadjutor; Episcopi honores anno insequenti integros adiit, et episcopatum aere alieno plurimorum millium gravatum intra brevissimum tempus liberum reddidit, aedificiisque exornavit ad invidiam vicinorum. Magistratum civicum Spirensem, fabricae palatii juxta suam cathedralem ecclesiam anno 1616. se opponentem sibi, compescuit, et, oppositione hac non obstante, fabricam ad perfectionem deduxit. Spirae sanctioris tribunalis Judex pro Caesare strenue justitiam administravit.

Anno 1618. satis praevidens instantem belli necessitatem, ex Caesareo consensu oppidum Udenheim suae dioecesis trans Rhenum vallis ac propugnaculis egregie munivit. Hoc attendens Comes Palatinus

---

(**) Refert Masenius (Epitome Annal. Trev. p. 740.) Schwickardum Electorem Moguntinum legato Capituli Trevirensis, electionem hanc nuntianti, dixisse: periculosum vobis et Imperio virum cooptastis! —

Legimus vero in litteris authenticis cujusdam Cardinalis (S. Georgii) ad Lotharium Archiepiscop. has Phil. Christ. laudes: „Tantam virtutis ac pietatis opinionem de se „apud nos excitavit Philippus Christoph. a Sotern, ut eum quovis honore dig„num censeamus. Quod igitur concordibus suffragiis ei delata nuper fuerit eccle„siae vestrae Trev. Praepositura, id vero nobis pergratum accidit, qui talem virum „optamus quam honestissimum. — Romae die 15. Jan. 1605.“ —

Elector, cum manu suae sectae et unionis idem fortalitium die 25. Junii demolitus est. Ea demolitione Episcopus Philippus Christophorus nihilo remissior factus, mira animositate illud cito et majoribus expensis restaurat.

Anno ergo et die, ut supra, in Archiepiscopum lectus, facile regalia a Caesare, et pallium a Papa obtinuit, statimque animum ad magnificas structuras adjecit vir magni consilii et animi.

Fontem ergo in castrum Erenbreitstein introduxit: reliquias veteris castri Helfenstein demolitus est, ne ex illo adversi quidpiam Erenbreitsteiniano accideret.

Regiam molem in pede castri, Archiepiscoporum habitationi convenientem, forti animo inchoavit excisa rupe et valle complanata, ac quinquennio complevit. Et Vallem molarem de suo nomine Philippicam dixit.

Treviris septentrionale et occidentale latus novi palatii St. Petersburgh ab illo nuncupati continuavit: ubi intuenti apparet diversitas structurae prioris et modernae. Et ne impediret antiquitatis monumentum, deformaretque opus novum, molem eam quadrangularem lateritio opere structam, ventis et aquis perviam, dejecit industria admirabili (*).

Mirum fuit omnibus, quod tantillo tempore idem Princeps egit in mediis bellorum motibus, Treviris et Confluentiae. Quo etiam tempore in episcopatu Spirensi licet absens, a simili structura civitatis et fortalitii Udenheim, quod Philipsburgum indigitavit, non destitit. Multo gloriosius erat, quod inter haec civitatem et satrapiam Limburgensem, Hassiae Landgraviis oppignoratam, redemerit 1626 (**). Annis sequentibus Comitatum Veldentiae, qui jurisdictionem Trevirensem excusserat, jure vindicavit et ad fidem Catholicam reduxit. Idem fecit in Comitatu Nassovico, reintroducendo Catholicismum, et repetendo monasteria, collegia, conventus et ecclesias; religiosos utriusque sexus in iis collocavit et praebendatos instituit.

(*) Vid. supra textum capitis 302. et notas marginales.

(**) In nota marginali (c) Vol. II. p. 325. haec adjecimus: „Facta fuit horum omnium „reluitio, ni fallimur, sub Carolo Casparo Archiep.“ — sed. ut nunc edocemur planis verbis, haec reluitio jam per Philippum facta erat.

Non parum afflixit, statim dum rei summae admotus esset Philippus Christophorus, dioecesin, quod illius ad urbem Legatus pro pallio (*) ab Urbano PP. VIII. impetrando Abbatiam S. Maximini, tanquam ex obitu vacantem, apud sedem, ob vitiosam electionem de Agritio Reckingen celebratam, et ideo propter processus informitatem cassatam, pro Archiepiscopo in Commendam obtinuerit. Misso enim Regis milite sub Comite de Isenburg, officiaturae Kilburg, Welschbillig, Manderscheit et Daun depopulatae sunt.

Sed hic jubet Plato quiescere; cum ante funera satius sit silentium. Deum Opt. Max. obtessor, ut Philippus Christophorus bene recteque pro domo Dei, gestis rebus plurimis, maximis, utilissimis quamplurimas paginas adimpleat(**)!

CAPUT CCCV (***).

Philippus Christophorus a Soeteren, Episcopus Spirensis, Praepositus summi templi, et Imperatoriae Camerae Judex, Archiepiscopus eligitur 28. Sept. anno 1623. — Episc. 107. Archiepisc. 81., pallioque ab Urbano VIII. simul abbatiam S. Maximini (Freudenbergo Abbate anno 1624. defuncto) in Commendam, ut ajunt, admittit: quae res Caesare, Hispano et coenobitis obstantibus, dissidii non levis occasio fuit. Ut, licet occupatum teneret, Hispano tamen milite patriam

---

(*) Guilielmus Husman de Namedi, aedis Metropolitanae Praepositus, Romam pallii obtinendi gratia venerat.

(**) His verbis, quod dolendum est, desinit scriptor noster, Joannes Linden, J. U. D., ad S. Simeonem Canonicus. Syndicus Cleri electus, patriam et Principem haud levibus officiis sibi demeruit, etiam sub Philippi Christophori regimine. Strenuum autem et indefessum veritatis studium et forti animo suscepta veri rectique defensio molestias huic viro exhibuit. Postquam enim anno 1633. Cleri nomine ad Nuntium Apostolicum Caraffam intercessionis rogandae gratia adiisset, Philippus reversum Ehrenbreitsteiniano carceri inclusit, quo multis aerumnis per quadriennium afflictus, Archiepiscopo jam captivo, sua industria elapsus est (Vid. infra). Inter vivos esse desiit 26. Jan. 1639.

(***) Sequimur nunc, cum Honthemio, codicem Eberh. Clusanum, quem eodem saeculo XVII. continuavit Joannes Kenn, Cantor ad S. Florinum Confluentiae. Hic codex jam synchronus, in annum 1677 productus est.

affligente, deserere et renuntiare coactus sit, et Agritio Abbati cedere (a).

Anno 1628. tria aedificiorum opera, brevi absoluta tempore, suis, magnificas inter epulas, titulis vult donari. Arcem Trevirensem a Lothario incoeptam, et quatuor absolutam a se alis, in Apostoli honorem Petriburgum (b), sub rupe Erenbreitsteiniana Philippivallem, uti et Udenheimense castrum Philippiburgum, suo ex nomine dici voluit.

Anno 1628. Treviris Novitiorum Societ. Jesu hoc tempore domus, angustiis rei familiaris pressa, reperto thesauro argenteae supellectilis antiquissimo, et ex Romanis saeculis sub terra asservato, levatur (c). Hortus Novitiatui amplissimus, ad occupandos agrestibus quandoque laboribus Novitios, adjacet. Hos (d) post collem (qui Calvariae a Christi patientis insignibus dicitur) operum manualium distributor, quem manuductorem appellant, ad locum sterilem suffosione corrigendum distinarat. Multa ex antiquis aedificiis rudera, frugibus inimica, campum oppleverant, quae effodi submoverique jussit. Sex tyronibus labor commissus, qui per designata his operibus tempora lapides primum subterraneos eruunt, moxque in argillam pinguiorem foecundandis agris idoneam lapsi, vas lapideum succutiunt, remotoque quod tegebat operculo, patinas quasdam detegunt, prima fronte ex stanno, mox ex (e) argento compertas. Supellex cibaria, postquam eruta fuit, apparuit. Lances magnae fuere decem, quarum octo rotundae, quadratae et oblongae geminae; aliae puri operis, aliae, in umbilico maxime (f), sigillatae. In una illarum effigies Caesarei capitis, ut videbatur, eminebat aurata caesarie, corymbis (g)

(a) Conf. Masenium (Annal. Trev. II. p. 476.) qui, etsi saeculi hujus aequalis, tamen, ut videtur, in variis locis codice supra laudato usus est.

(b) Signata extant plura hujus Archiepiscopi documenta his verbis: in palatio S. Petri Trevirensis, aut Trier zu St. Peterśburg. — „Hoc opus (addit Masenius) „magnificas inter epulas Nobilitati, Praelatis ac Proceribus in aula sua praeparatas, „ipsa SS. Petri ac Pauli festivitate, Petriburgum voluit nuncupari. Qui titulus ab „omnibus liberali vini Mosellanici haustu fuit confirmatus. —

(c) Quae nunc legitur narratio memorabilis, ad verbum relata est in Masenii continuatione Annalium ad annum 1628.

(d) huc: ap. Masen., sed minus accurate.

(e) Male in edit. Honth.: mox et argento.

(f) Ibid.: maximae; sed false.

(g) corymbiis: male ap. Honth.

taeniisque eleganter implexa, quae viginti quatuor librarum erat. Alia venationem in medio exhibebat, fuso opere et eminente, cum inscriptione: AUDENTIA NICETIO. Crepido lanciis, venatoriis quoque figuris erat illusa, librarum tredecim. Tertia binas facies viri foeminaeque in medio tantum sociabat, non nisi librarum quatuor. Quarta in umbilico pugiles, in margine alia gentilium aenigmata complectebatur (*). Praeter has lances fusiles, octonae aliae, sine corona, magis concavae repertae, quae poeticis emblematibus interiore facie, exteriore variis parergis ornabantur. His jungebantur catini totidem, sine ansulis, et phialae sex cum operculis, ornatu nullo; situla aureis hominum et ferarum simulacris aspera (**); lagena auratis belluarum emblematis; ampullae quatuor angustioris, sed amplae crepidinis, quibus cymbium, naviculae specie, adjunctum erat, et haustrum ahenumque rudioris operae (***). Disci gemini (****) recentioris videbantur operis, quorum margines caelati e regione quatuor exhibebant capita, ut Sanctorum solent, radiis illustrata (†), cum epigraphe: PETRUS, PAULUS, IUSTUS, HERMES.

Apparatus prior Hymeneum quippiam nuptialemque prae se gentilium AUDENTIÆ et NICETII pompam ostentabat, quam Persei et Andromedes (a) inductae e fabulis figurae confirmabant, virique ac foeminae effigies sociata. Illo opus apparuit instructum tempore, quo sub Romanis Graecisque Imperatoribus apud Treviros residentibus, utriusque nationis populi huc traducti permixtique vixere, cum Audentia Romanam, Nicetius Graecam originem referat; sed adjuncti

---

(*) In scheda Trev., quam quidam coaevus Soc. Jesu Presbyter memoriae causa accuratissime descripserat, et quae ad manus nostras pervenit, hoc loco interponitur, quod neque Gesta nec Masenius habent. Est autem hoc: „Lanei septimae fundo „insculpta venatio, crepidini intermista Cybeles turritae capita; tergo incisum fuit „manu sculpendi parum perita: BASILIA cum notis PXVI., librarum quinque."

(**) aspersa: ap. Honth.

(***) „Ahenum sine ulla coelatura, et haustrum cum manubrio ex solido argento rudissimi „operis." (Scheda supra laudata).

(****) „Disci parvi duo, pei intervalla aurati, modice in medio depressi, qui recentioris „operis, quam superiora judicabantur, &c. &c." (Ibid.)

(†) Indicium saeculi quinti labentis, quo fere tempore radios Divorum capitibus addi coeptos, ab eruditis viris observatum est.

(a) De his figuris non loquitur scheda nostra.

disci Christianorum aevo manuque conditum non vane thesaurum ostendunt. (a).

Universa haec argentea supellex, ad stateram examinata, ducentas quinquaginta libras effecit argenti, et quater millenis imperialibus fuit aestimata (b). Magnum id temporis Novitiatus, alieno aere, nisi Deus subvenisset, graviter premendi subsidium.

CAPUT CCCVI.

Philippus Christophorus a Soeteren nobili antiquaque familia, qui sive acre excellensque spectares ingenium; a puero inter aequales semper excelluit: sive insignem tam in politicis quam ecclesiasticis eruditionem atque experientiam; suprema Judicis authoritate Caesarea in Spirensi Camera justitiae praesidebat; sive existimationem dignitatemque; jam tunc Spirae Episcopus et Treviris summae aedis Praepositus, vulgi Principumque exspectationem et venerationem concitarat.

Oratio (c) Principis plus majestatis, quam vultus praesentibus ingerebat: audiri proinde quam spectari visus dignior. Statura supra mediocritatem eminebat procera. Et licet vivaciori adhuc juvenis virque florens indole spectatus, tamen aetas in senium inclinata multum detriverat, ut macilento ac decolori vultu, oculisque sub lata fronte introrsum recedentibus, peracri tamen scintillantibus obtutu, supercilio eminente, naso gracili, rara sed longiori per mentum barba, capillicio tenui, ac syncipite jam calvo, nescio quid triste ominosumque spectantibus objiceret (d).

(a) Turbulentissimo illo saeculo post Christum quinto haec cimelia unica sipe dubio terrae commissa fuerant — cum per eadem tempora Franci aliique Barbari Treviros multoties vastaverint.

(b) i. e. suo pondere: „majus longe, scribit prudenter Masenius, (Epitome Annal. Trev. p. 746.) „habitura pretium, si integra cum figuris suis ad Principum manus pervenisset, cum temere liquatione transfusa sit, ut praesenti necessitati consuleretur, quae optimi non semper consilii est capax. — Disci, superius memorati, aliquo adhuc tempore reliqui erant, sed tandem cuncta haec supellex, etsi non calamo tantum, sed penicillo dignissima, conflata est — ! et sic, ut notat Al. Wilthemius in suo Luxemb. Rom. Ms., erepta nobis disserendi materia.

(c) Ap. Hont.: Gratia.

(d) Conf. supra.

Interea tali in corpore, vellicantis etiam podagrae doloribus obnoxio, mens vigil atque excitata minus idoneum hospitium nacta videbatur. Neque enim deerant argumenta, quae alterum in Philippo Lotharium patriae redivivum sponderent. A teneris enim per omnia liberalium artium scientiarumque studia excultus, inter primos tam ingenio quam sedulitate eminuit, et Magisterii lauream in scholis Patrum Societatis non vano titulo occupavit. Inde juris utriusque variarumque linguarum cognitione imbutus, quascunque prensabat disciplinas, has ingenii perspicacitate facile penetrabat. Quas cum exercitatione deinde atque experientia firmasset, civilibusque juxta atque ecclesiasticis negotiis appareret idoneus: Spirensi Episcopo deficienti, anno hujus saeculi decimo, adjutor datus est, anno proximo eidem morienti surrogatus. Et qua erat in aula (a) parsimonia, et domi forisque solertia, Episcopatum aere alieno praegravatum, non paucis persolutis debitorum millibus, brevi tempore in libertatem asseruit, multisque et splendidis aedificiis, ad invidiam vicinorum, exornavit.

(b) Anno 1631. turris altissima B. M. V. Treviris, et turris Horrecnsium (c) vehementi vento dejicitur in festo Visitationis B. Mariae V. — Heu omen multorum malorum!

Anno 1631. Magdeburgum a Tillio et Pappenheimio exciditur 20. Maji. — Eodem anno 7. Sept. fit ad Lipsiam acerrimum praelium inter Gustavum Adolphum, Sueciae Regem, et Tillium: exitus pugnae Lipsiensis Tillio funestus accidit (d).

Anno 1632. (e) memorabile praelium ad Lutzenam in Misnia, in quo occubuit Gustavus Adolphus Rex Sueciae, et Pappenheimius 5. et 6. Novembris.

Anno 1632. Philippus Christophorus a Metternichiis (f) et Capitulo dissidens, cum hi ad Caesaris, ipse ad Galli (g) opem (Sueci, ut

(a) Ap. Honth.: in casa.

(b) Addimus ex aliis documentis Msstis sequens factum ad annum 1630.: „19 Martii, „more Trev., edictum generale de solvendo floreno de quovis plaustro vini vendito „promulgatum est.“ —

(c) Ecclesiae ad. S. Irminam.

(d. In edit. Honth. haec de proelio ad Lipsiam desiderantur; inepte autem ad hunc annum 1631. additur: „Galli occupant Trevirim.“ —

(e) Male hoc quod sequitur factum in Honth. edit. ad an. 1631. refertur.

(f) Carolus, Emmericus, Wilhelmus, et Lotharius — fratres Metternichii.

(g) Tum Richelius Cardinalis, sub Ludovico XIII., omnia pro arbitrio moderabatur. —

ferebat, avertendi gratia) confugit, eique apud Spirenses Philippiburgum, apud Confluentes Ehrenbreitsteinianam arcem obtulit; sed hoc solum accepo, urbs Suecis juxta Gallisque aperta est, ut locum per pontem haberent (a).

Anno 1633. Treviris quoque obsessa Gallis cessit, quorum ope subditos ad contribuendum pro libitu adegit (b). Patrum Societatis Jesu scholas, extera juventute urbe submota, exhaurit, eosque ad tributa cogit. Canonicos proventibus spoliat, et excommunicatione damnat. Metternichiis aliisque e Nobilitate proscriptis (c) alios in ecclesia Cathedrali sufficiendos esse decernit.

Anno 1634. Caraffa Apostolicus Legatus contradicit proscribitque sacris Canonicos ejus fautores. Deinde Richelium Cardinalem, suum in Archiepiscopatu adjutorem, contradicentibus Germaniae Principibus ac Caesare, frustra destinat: quando anno 1635. Caesarei Philippiburgum improviso, Gallis ejectis, occupant, et hanc ad Rheni possessionem viam intercludunt.

Anno 1635. Elector, occupato Philippiburgo, Treviris metuens, Religiosos urbe, imprimisque Novitios Societatis Jesu pellere statuit (d). Quibus ad preces versis, urbs ab Hispanis Duce Embdano (e)

(a) Rex Galliae (sive potius Richelieu) sua apud Gustavum Adolphum intercessione hoc obtinuit, ut Philippo Trev. Electori neutrarum esse partium liceret, si arcem Ehrenbreitsteinianam et Philippiburgum, cum Treverica et Confluentina urbe Gallis cederet; Suecis tamen ad Confluentiae praesidium admissis, quo tutus illis per Mosellae pontem ad regionem Coloniensem pateret aditus. Sic res acta est anno 1632. Vid. Khevenhiller (Annal. Ferdin. vol. XII. p. 77 — 79.) — Ottonem Senheim, O. S. Dominici et Suffraganeum Trev., apud Regem Galliae legatum habuit. Vid. literas in Honth. Hist. Trev. dipl. VII. p. 370. sqq. — Adde Defensionem honoris quorundam Praelatorum et Capitularium summae aedis (Ehrerrettung und Defenſionsſchrift) ibid. p. 373. sqq. In hac scriptura legimus, Philippum se jactasse his verbis: Er ſeye Pabſt und Kaiſer in ſeinem Landt! — — Conf. additamenta ad historiam hujus Archiep.

(b) Joannis (Rer. Mogunt. I. p. 942.) haec notat: „Treviri querebantur Ordines Sta„tuum, quod Philippus Christophorus populum nimio tum tributorum tum militum onere „gravaret, ac quod verbis non posset, hoc vi exigeret imperioque. Is vero absoluta in omnibus potestate suis se praeesse contendebat, flecti nescius in semel destinatis. — Adde Masenium (Annal. Trev. II. p. 511.) —

(c) praescriptis: In Honth. ed.; sed male. —

(d) Statuit quoque, S. Simeonis aedem, olim Portam Romanam, in propugnaculum convertere.

(e) Tum gubernationi Luxemburgicorum ab Hispanis praefecto.

noctu invaditur, et Elector captus (a) in Belgium abducitur; Metternichiis subinde rerum potitis. Et civitas Trevirensis recuperatur ab Hispanis in festo Annunciationis B. M. V. (b).

Pragae interea cum Saxone aliisque Protestantium conflata pax, cui Sueci et Hassus, Gallorum ope freti, non accessere. Philippus tamen subscripsit, spemque concepit, in Ratisbonensibus Comitiis comparendi, sed ubi prope aberat, Lintzium abstractus est (c). Frustra cum Palatino adversus Ferdinandi III. Imperatoris (d) electionem protestatur.

(a) Juvabit, momentum hujus captivitatis ex tabulis memorialibus, quibus et Masenius usus est, propius cognoscere. Occupata jam urbe, Elector in suo palatio exitum tragoediae praestolabatur. Erat cum Hispano ingressus milite Carolus a Metternich Archidiaconus, qui per praemissum cum militibus secretarium Maillardum, jubet sibi aperiri palatium, quod ubi Praefectus aulae, licet invito Archiepiscopo, fecisset, adfuit Metternichius ipse. Maillardus vero, praemissus ad Philippum, monuit, quod Caesareae Majestatis et Hispaniarum Regis nomine adesset, ut ipsum tueretur: cumque Princeps sciscitaretur: Quisnam esset? respondit: Ego iste Maillardus sum, cui nuper, si praesentem haberes, patibulum minatus es. Veni igitur, ut me sisterem. — Sed nondum, ait Princeps, te vocavi. — Supervenit, ingressus conclave Metternichius, atque se adesse, ut suae Eminentiae inserviat. At respondit Princeps, hoc se ministerio non egere declarare vero se illi omnibusque sui palatii invasoribus, quod latae in tales excommunicationis poenas incurrant. Cui Metternichius, vim nullam inferri, tantum postulari quod aequum est, ut Caesareae pareat Majestati, ejusque defensionem admittat: justum hoc obsequium esse, ejusque impetrandi curam sibi tam a Pontifice (Urbano VIII.) quam Caesare Ferdinando commissam esse. — Sed miles interea per palatium effractis ostiis fusus, quidquid opibus eximium repertum est, hoc in praedam abstraxit. Princeps vero cum tribus fidelibus in captivitatem est traditus.

(b) Die 26. Martii. — Hoc anno obiit eximius S. J. Presbyter in Collegio Trev. Fridericus Spee. Gallis, per Hispanorum irruptionem in urbem Trev., pluribus laesis afflictisque tanto charitatis Evangelicae praesidio adfuit, ut, cum sibi non parceret, contracta demum lue, aliorum vitae suam moriens impenderit — 7. Augusti. In crypta ecclesiae quondam S. J. tumulatus est cum hac inscriptione simplici: Hic jacet Fridericus Spee. In omne tempus spiritum vere Evangelicum hujus viri, divinum, ut ita loquamur, ejus ingenium, fecundum pectus, venustatem et dulcedinem suorum carminum (†), quasi specimen et exemplar memoret grata posteritas. Intaminatis fulget honoribus, dicimus cum Horatio. — Plura de hoc viro diximus in additamentis ad cap. 301., et anno 1820 in foliis: Trieriſche Chronik.

(c) Jam ut Imperatoris captivus.

(d) Regis Romani electionem, quae facta est prid. Id. Nov. an. 1636.

(†) Carminibus, quae inscribuntur: Trutz-Nachtigall, maxime inclaruit. Eorum Mstum originale asservatur in bibliotheca Trev.

Anno 1637. Quam deinde in captivitate indigentiam questus, jubetur occulto Luzelburgi thesauro frui. (a).

Treviris quoque ob onera militaria clerum inter populumque orta seditio per Metropolitas componitur: minusque illa, quam apud Leodios cruenta.

Confluentiae venditum unum maldrum siliginis 100. fl., et pluris anno 1636.

CAPUT CCCVII.

Anno 1637. Arx Erenbreitsteiniana recuperatur a Joanne de Werd. Insederant hoc tempore Trevirensem patriam pro hibernis Bavari, magna patriae vastatione et mortalitate, cum fame in vulgus sparsa, quod rustici militum exactorum severitatem vitantes, in sylvis latibulisque ferarum, miseriis et fame enecti, agros culturamque vinearum destituerent; illo tamen Imperialis militiae bono, quod inclusum Erenbreitsteiniana in arce Gallorum praesidium cum vi expugnare non possent, ad extremae necessitatis terminos adigerent. Illatum secundo quidem Rheno annonae quoddam subsidium fuit; sed deinde advigilatum acrius, ne impune auderent.

Hassis igitur Hollandisque, ex inferiori Rheno subventuris, datum a Gallis negotium est. Verum ad Joannem Werdium, non impigrum ejusmodi insidiarum (b) exploratorem, ea res allata est. Is Tribuno Neuneccio militis haud procul colligendi relicta cura, descendit Coloniam, mediaque illic nocte, intellecto hostium adventu, repente praevolat, seque haud procul arce, post montem Grenzhausanum (c), in-

(a) Haec satis jejune dicta uberius illustrantur hoc modo: Princeps Trev. captivus Imperatori quendam ex Ordine Capucinorum, notum gratumque Ferdinando III. virum misit, qui calamitatem Philippi explicaret et praesentem ejus in custodia inopiam. Qui ubi hieme inter nives nudipes ad Imperatorem venisset, et causam itineris exposuisset, Ferdinandus respondit: „Age, refer Electori tuo, ut ex thesauro illo suo, quem Treviris Metas, Metis Luxemburgum transtulit, aliquod subsidium et sibi et mihi praes„tet. Equidem tam illum lautum esse intelligo, ut utrisque ad praesentem necessitatem „possit sufficere“ — (Ex documentis Mss^tis Colleg. S. J. Trev.)

(b) insidiatorum: ap. Honth.

(c) Grenlibausianum: in ed. Honth.

observatus cum suis constituit; ita ut priores jam munitioni, et prope sub tutela bellicarum machinarum laeti exploderent. Tum Werdius cum suis insidiis in hostem erumpit, acriter resistentibus, ac demum inter curruum munimenta receptis, post non levem cladem, fugam victoriamque extorquet, totoque commeatus apparatu, aspectantibus in arce et nequicquam frementibus Gallis, potitur (a). Quare et hi non multo post (b), jam spe omni opis decollata, pacisci deditionem coepere: tanta rerum extremitate conflictati, ut frumentis (c) equisque jam omnibus consumptis, canibus muribusque ob saevam famam pascerentur. Ad 60. asinos et 80. (d) canes muresque innumeros consumpsisse memoratur. Ipse Marschallus campi, Bussi, 80. glires absumpserat, singulos duodecim facile sestertiis emptos. Saludi, arcis superioris gubernator, trecentos sexaginta daleros imperiales pro senis frumenti modiis persolverat (e).

Arcis custodia Archiepiscopo Coloniensi est credita, ut eam suo deinde Electori aut successori illius traderet. Defecerat et pulvis tormentarius, licet minorum sclopetorum vasa pyria facile trecentena, cum egregio armorum militarium apparatu superessent. Caeterum Galli milites, quos fames luesque non absumpserat, suis instructi armis vexillisque exire permissi, incolumes per Rhenum ad Batavos usque deducti sunt; et sedes illa futuris ad Rhenum bellis destinata, magno Gallorum dolore, Caesareanorum gaudio, ad Imperium 27. Junii rediit. Fransmanni ex arce Erenbreitsteiniana de nocte discesserunt, et nostri intrarunt 29. Junii.

(a) In foliis coaevis Germanico idiomate scriptis (vide infra) legimus: „Den 31. Jan. „1637. des Morgens zwiſchen 4 und 5 Uhr haben Jhro Excellentz Herr Johann von Werth „130. Wagen mit korn, ſambt einer Conſoi 400. zu Pferd und 600. zu Fuß geſchlagen, alles „bekommen. Dieß iſt geſchehen bey Hinder Grenſau im Iſenburgiſchen Land." — —

(b) Post quatuor circiter menses.

(c) frumentis: desideratur in Honth. edit.

(d) Male ibidem: octo.

(e) De hac obsidione copiosius disserunt folia mss. supra notata, quae imprimi fecimus Trieriſche Chronik 1817. S. 104. f. 123. f. sub titulo: Die unglücklichen Jahre 1635., 1636., 1637. für das Trieriſche Erzſtift. —

Desinunt haec folia his verbis: „Den 21. Juni der accord geſchloſſen. Den 27. Juni „des Abends umb 8. Uhr die Frantzöſchen von Ehrenbreitſtein ab, und die Redliche Deutſche „bald eingezogen. Gott Lob!" —

Doctor Linden cum aliis quinque personis ex arce Erenbreitstein per funem descendit, et sic liberati a Fransmannis (a).

Johann de Werd decessit cum suis militibus Confluentia 22. et 23. Julii.

Anno 1638. Brisacum a Bernardo Wimariensi ad deditionem compellitur, propugnaculum hactenus Germaniae adversus Gallos fortissimum.

Anno 1639. Piccolomineus et Beckius (b) Theodonis-Villam obsidione liberant.

Treviris et alibi terrae motus. Lamboius (c) victor Castillionii, idem victus a Guebriano.

(d) Trevirenses Togam Christi aliaque ecclesiae cimelia Coloniam (e) transferunt, quo tempore et Theodonis-Villa a Gallis obsessa Piccolomineo Duce liberatur. Metu vero Wimariensium, jam fines Trevirorum subeuntium, Beckius a Theodonis-Villa liberata redux, an. 1640. in urbem (Trevirensem) cum magno etiam clericorum onere et quaerela, pro defensione admissus est, ita ut jam plerique ad Philippi Archiepiscopi sui reductionem aspirarent (f).

Anno 1641. Archiepiscopus, quem hoc suorum desiderium non latebat, jam Viennae sub Caesaris et Pontificis custodia detentus, fulmen excommunicationis in Metternichios et Hausmannum, libertati suae obnitentes, obtorsit. Oblatam vero Adjutoris electionem respuit.

(g) Anno 1642. Officialis etiam clerusque minor, tributis et milite pres-

---

(a) Idem ille Joannes Linden, qui nobis reliquit Gesta Trevirorum usque ad sua tempora. Conf. quae adnotavimus capiti 304. — Adde Instrumentum exceptionis, protestationis et appellationis Metrop. eccles. Trevir. &c. ap. Honth. (Hist. Trev. dipl. III. p. 392. sqq.)

(b) Illo tempore Gubernator Luxemburgensis et dominus in Beaufort, quae est ejusdem Ducatus communitas.

(c) Lambojus Dux Caesarianorum.

(d) Perperam in edit. Honth. hic notatur annus 1640.

(e) Ad Patres Carthusianos.

(f) „Perpetua his annis nunc Boicorum, nunc Caesarianorum militum hyberna, quae ab„sente Electore pro arbitratu quisque suo occupabat, patriam exhauserant.“ (Bootz Series Abbatum in Himmenrode. Ms.) — Revera Trevirenses multis dominis servire cogebantur, uno capto. — Dicere fortasse poterant Treviri cum poeta quodam ejusdem saeculi: Omnibus his populi commissa est causa: veremur,

Ne pro re populi, rem sibi quisque gerat.

(g) „Verbis explicari non potest, quot et quam ingentia damna hoc anno patria passa „fuerit a milite Lotharingico, miseros Trevirenses sub tot dominis populante.“ (Cod. Ms. supra notatus.)

sus, Metternichios aliosque Archidioecesis moderatores, ob illatam sibi vim, excommunicatos denuntiavit, quos iterum Legatus Apostolicus conciliavit; Beckio ab urbis praesidio digresso, sed Lotharingo undique, titulo defensionis, patriam exhauriente. Unde querclae non leves adversus Hispanos, protectionis nomine abusos, Ratisbonae ad Comitia delatae sunt; Electore hac dissensione laeto; qua suam levari causam existimabat. — Anno 1643. Theodonis-Villa capitur a Duce d'Enghien (a), et in manus venit Gallorum; ab eodem occupatur Philippiburgum, Spira, Wormatia, Moguntia et Binga. Ludovicus XIII. Gallorum Rex moritur (b). — In vigilia Penthecostes Confluentiae illustrissimus D. Cardinalis Rosettus, Legatus a Latere, honorificentissime exceptus est a clero et introductus in ecclesiam S. Florini, anno 1644.

Eodem anno (1644.) Archiepiscopi liberatio plerorumque consensu dioecesalium postulata est; et perficere Galli omne pacis consilium, ante restitutionem illius, denegant. Quae illa demum lege a Caesare oblata est, probante Romano Pontifice Innocentio (c), ut Philippiburgum a Gallis reciperet, offensasque cum Capitulo et Ministris aboleat, paci Pragensi insistat: ea lege regalia illi a Caesare collata sunt Viennae decima Aprilis. Nuntius Apostolicus a sua custodia, qua detinebatur, post ejusdem Archiepiscopi cum Caesare transactionem, liberum dimissit anno 1645. Sed vix Confluentiam liber appulit; cum anno eodem (d) per Turennium Gallorem Ducem, licet Hispanis ultro

(a) Qui, post obitum patris, sub nomine Principis de Conde celebris extitit.

(b) Sub finem praecedentis anni (4. Decemb. 1642.) fatis concessit Cardinalis Richelieu. Rex qui non diu post superstes fuit, audita morte ejus, dicitur a lacrymis non temperasse, quas utrum luctus, an gaudium expresserit, vulgo dubitatum est.

(c) Innocentius X. ad Legatum suum Viennensem, Camillum Meltium rescripsit: „nihil „probatum esse, propter quod juxta canonicas sanctiones, retineri et custodiri debeat.“ Vid. Masen. Annal. Trev. II. p. 833. Ibidem etiam legitur rescriptum Ferdinandi III., quod conditiones libertatis Philippo oblatas continet.

(d) Anno 1645. 18. Nov. ad portam pontis Philippus advenerat, et Gubernator urbis Comes de Laverne, Regis Hispaniarum nomine, claves obtulit. At Philippus Archiep. nonnisi per Gallorum Ducem Turenne reduci in palatium sedemque Episcopalem voluit, Hispanis Luxemburgum remissis. — Adeo sibi Rex Galliae honorificum duxit, Philippum e captivitate liberasse, ut nummum cudi fecerit, in quo Gallia coronata exhibetur, Electori Trev. una cum clypeo Francico Archiepiscopale pedum gladiumque porrigens, cum hac epigraphe: Tutelae Galliae Fidelitas. In exergo legitur: Elector Trevirensis in integrum restitutus.

cedentibus urbe, Treviros reduci voluit, ac Wimarienses etiam sibi juratos in praesidio retinere, munitaque urbe (a), Capitulares (b) et S. Maximini Religiosos, frustra Caesare vetante, persequitur. Sex literas quoque appellationis ad Pontificem Romanum anno 1647. comburit, et Religiosos quidem restitantes expellit. Capitulares quosdam beneficiis privat, aliis, etiam ignobilioribus, in locum illorum suffectis. Cum vero Capitulares summae aedis jam imminere fulmen illud Archiepiscopale, aliorumque in possessa beneficia introductionem senserunt, literis ad Pontificem Innocentium datis impetrarunt, ut abesse biennio ecclesia Trevirensi, salvo beneficiorum fructuumque jure, possent: sed Philippus, ut comperit, suae omnes sententiae insistere, non exspectato dierum, quem praefixerat, ad festum Sanctorum Omnium termino, de totius Capituli subversione, atque alterius novitii ad suum ingenium formandi institutione cogitationes suscepit. Igitur Canonicos aliquos, velut jure devolutos, ad alios transtulit; in quibus primus fuit dominus Otto Senheim, Archiepiscopi in spiritualibus Suffraganeus, Episcopus Azotensis, Dominicani instituti Religiosus (c), quem ignobilem genere, cum more novo, atque hoc loci inaudito, per diploma solenne inauguravit 1647. Sept. 7. (d).

(e) Anno 1646. 14. Martii talem sententiam adversus S. Maximini Religiosos, per Consiliarios et ecclesiasticos ac seculares (ut ajunt) a juramento sui Principis absolutos judices pronuntiavit, qua illos „tanquam rebelles, et excitati ante annos aliquot ab Hispanis belli „autores, libellique Zyllesiani (f) falsitatibus et scommatibus repleti

---

(a) Tria propugnacula erigi jussit: primum ponti Mosellano intra urbis moenia vicinum; secundum apud monasterium S. Martini, huic urbis portae imminens; tertium ex opposita urbis parte ad portam, quam olim dixere albam, in thermarum Romanarum ruderibus exstructam.

(b) Praecipua contra illos accusationis capita vide ap. Masen. (op. cit. p. 535.)

(c) Idem ille, quem ut supra adnotavimus, anno 1633. oratorem in aula Regis Franciae agentem Philippus destinaverat.

(d) Hoc diploma legitur in Masenii Continuat. Annal. p. 539., et ap. Honthem. in Hist. Trev. dipl. III. p. 522.

(e) In editione Gestorum ap. Honth. hocce loco textus incipit his verbis: Quocirca Elector &c. quae in editione nostra inferius sequuntur. Honthemius recte adnotat: Hic videtur aliquid desiderari. Revera multa desiderantur, ut lectori editionis nostrae patet. —

(f) Jussu Philippi Archiep. anno 1633. Treviris editus est libellus hoc titulo: Archi-

„vulgatores, et hactenus contra dominum suum legitimum, a sede „Apostolica praepositum Commendatorem Archiepiscopum, refracta„rios; non tantum ad patrias contributiones, verum etiam damnorum „Archidioecesi illatorum refusionem; tum de inde neglectum hactenus „tributorum onus simul exsolvendum, damnat, aliorumque, nisi obtem„perent, Religiosorum substitutionem interminatur, iis solum relictis, „qui debitam Archiepiscopo obedientiam non detrectent.“

Neque cunctatus, quod animo destinaverat, exequi, missit D. Ottonem Senheim, Episcopum Azotensem, in spiritualibus Suffraganeum, qui novum hoc imperium detrectantibus proscriptionem minetur. Illi contra obtendebant, „quod praeter Agritium electum Abbatem suum, „alium sibi impositum dominum ignorarent: neque duobus servire ex „aequo possint. Orantque, ut Archiepiscopus transactionis Witlichi„anae, ubi juri suo renuntiarit, memoriam revocare dignetur: omnem „se venerationem suo debere atque etiam offerre Archiepiscopo in „ceteris rebus paratos; ad libertati, sibi jam olim indultae, et tot „Caesarum decretis firmatae renuntiare non posse.“

Quocirca (a) Elector tribunum cum militum cohorte monasterio immisit, qui, obfirmato portarum aditu, per muros ingressus, abstractos e choro, nec sine violentia in D. Priorem Valentinum Adami exercita, Religiosos, cum ad praestandum Archiepiscopo subjectionis juramentum adigere non posset, cellis inclusos mutuoque congressu abstractos, inedia ad obsequendum Principi impellere conatus est, aqua tantum ac pane sat parce subministrato.

Alia subinde ex vicinis monasteriis, ut sanctorum Matthiae, Martini, et Martyrum, tum etiam e Prumia Religiosi a Principe evocati, atque in chorum cellasque, cum pertinaciter suo proposito Maximiniani adhaererent, substituti sunt, ceteris ecclesia coenobioque eliminatis, qui nec vicinis quidem recepti monasteriis, Archidioecesi tota exulare sunt coacti (b).

---

episcopatus et Electoratus Trev. per refractarios monachos Maximinianos aliosque turbati. — Maximiniani huic scripto opposuere Defensionem Abbatiae Imperialis S. Maximini per Nicolaum Zyllesium &c. &c. Treviris, 1638. (2da edit. Coloniae, 1640.) Impressa rarissima, quae arti diplomaticae viam aperuerunt.

(a) Hic am continuat Honthemii editio. (b) Vid. additamenta ad hoc caput.

Romanus Pontifex Urbanus VIII., mortuus in mense Julio, raro Pontificum Romanorum exemplo, primum et vigesimum regiminis sui annum habens, aetatis vero septuagesimum septimum assecutus, tam prope ab annis Petri abfuit, quos nemo in illa sede hactenus adaequavit. Huic post dies quadraginta, post multas Cardinalium lites (a), Innocentius, decimus ejus nominis, ex Phamphiliis Romanis est surrogatus, qui columba olivifera, quam suis insignibus praeferebat, pacis Europaeae omen dedit 1644.

CAPUT CCCVIII.

Anno 1648. Pax universalis Germaniae perficitur Monasterii Westphaliae, quae multas ab Imperio provincias avulsit, necessitate magis, quam honestate composita.

Pace dein Monasterii constituta, Philippiburgum apud Gallos, solo protectionis titulo, mansit, Erenbreitsteinium cum Hammersteinio Principi Capituloque junctim restituitur, milesque utrisque sacramento obligatur. Pax haec parum accepta Archiepiscopo (*), cum religionis status in annum 24. saeculi reducendus, non paucas archidioecesi Catholicae ecclesias subtraxerit. Nec domi quies placuit; nam Capitularibus novis inhaerens, ex his Baronem a Reiffenberg in Adjutorem elegit (**).

Anno 1649. munimentum ad pontem urbis excitatum (***) Gallico tribuit militi. Sed cum, favente urbe, de Petra et Cratzius (a) admissi, sibi addictum induxissent militem, et munimentum et Princeps in potestate illustris Capituli fuere, ut jam denique conclusas per arbitros pacis leges aliumque Adjutorem sibi dari permiserit, spe de

---

(a) Haec: post multas Card. lites, absunt ap. Honth.

(*) Hac ex causa pacis conditionibus non statim subscripsit. Philippi acceptatio pacis est de 1. Aug. anni 1650. (Vid. chartam ap. Honth. Op. cit. III. p. 659. sq.)

„Illi etiam, scribit Masenius (Ann. Trev. II. p. 542.) „qui ab ipso Monasterium „sub exitum anni 1645. destinati sunt, gratia ipsius exciderunt universi.“ — Legati erant: Hugo Fridericus ab Eltz Canonicus summae aedis, — Joannes Theodoricus Bruer Officialis, et Joannes Anethan Cancellarius.

(**) Haec infra clarius demonstrantur. (***) Vid. cap. antecedens.

(b) Carolus Casparus a Petra et Hugo Everhardus Cratz. Vid. infra.

Cratzio adsummendo concepta; sed praeter exspectationem suffragiis plurium Carolus Casparus a Petra proclamatus est, Pontifice et Caesare electionem probantibus. Remedium deinde de liberanda a Lotharingo milite patria Coloniensibus Principum Comitiis quaesitum, ac sedulitate denique Adjutoris impetratum est. Qui Confluentiae agens, Ernestum Hassiae Landgravium cum Eleonora conjuge, fidem orthodoxam Coloniae coram Maximiliano Henrico Electore, et Philippo Wilhelmo Neoburgi et Juliae Principe in summa aede professum, indeque ad S. Goarem revertentem perquam honorifice excepit (a).

(b) Trevirica hoc anno archidioecesis nunc comica, nunc tragica permutatione rerum exuta, coeptum quondam a Principe lusum continuavit. Cum enim recentis Capituli innovationi, per alios Capitulares Treviris inductos (c), Philippus inhaereret, ut sibi jam senescenti novum Coadjutorem D. Philippum Ludovicum Baronem de Reiffenberg, Gallorum favore et commendatione fretum, surrogaret: ne vota trium deessent Capitularium, inprimis laborabat. Quare Ludovicum jam

---

(a) Hoc factum referendum est ad annum 1652.

(b) In Honth. edit. hic male notatur annus 1650., omissis verbis: hoc anno. Quae nunc sequuntur, copiosius illustrant jam brevius dicta ad annum 1649. — Eodem anno 1649. in hoc turbulentissimo rerum statu prodiit, jussu Principis, documentum quoddam (impressum Treviris per Hubertum Reulandt, archiepiscopalem typographum), cujus exempla rarissima sunt; nam neque Masenius, nec Honthemius hujus opusculi notitiam habuisse videntur. Haec folia hanc prae se ferunt inscriptionem: Rationes et fundamenta juris quibus, post violentam invasionem et abductionem Dom. Archiepiscopi Trevir., a Capitularibus usurpatum regimen electorale confutatur &c. &c. — Scriptor rationibus decem asserere studuit, regimen sive administrationem Archiepiscopatus, post abductionem Philippi Christophori, Capitulo in hoc casu competere non potuisse. — Rationes primariae sumuntur ex eo, quod ab omnibus de dioecesi obediendum sit Episcopo, et quod, etsi Capitulo competat regimen sede vacante, illud sit et dicatur restrictive tantum et limitative, juxta Conc. Trid.; numerantur vero tres vacandi modi: 1) per mortem veram; 2) per mortem fictam (captivitatem (†), suspensionem, privationem, resignationem); 3) per absentiam. — De his variis vacandi modis prolixius disputat scriptor.

(c) Treviros inductae: ap. Honth. Nostram lectionem firmant sequentia.

(†) Cum scilicet Episcopum a paganis vel schismaticis capi contigerit. Ad hunc locum animadvertit auctor libelli: „Quamvis denique Turcae et Saraceni Dominum Archiepiscopum cepissent, Capitulo tamen administrationi „sese immiscere non licebat, nisi consulto quantocius Papa et Sede Apostolica, cujus solius, non alterius „Magistratus laicalis, interest, Ecclesiarum providere necessitatibus. Id autem non contigit."

inter domicellares, quos vocant, admissum, superiori quidem anno receptum inter Canonicos, ad Praepositurae sedem; qua Hausmannum publico decreto privarat, solenni inauguratione induxit. Unde hoc denique anno evectum ad Coadjutoris dignitatem, sua magis quam aliorum in Capitulo praesentium sententia, transtulit. Cum enim solus D. Wolfgangus Fridericus a Koppenstein, sui (a) potius commodi, quam Principis studiosus, inter nobiles Capitulares substitisset hactenus, donec collecta in granariis frumenta et in caveis vina (quas potissimum opes possidebat) sensim consumpsisset et distraxisset, nunc parentis aegritudine conficta, repente se ad alios Capitulares Coloniam subduxit, et secreta quaeque aulae consilia prodidit, ne tam insolenti Adjutoris creationi suo ipse suffragio adfuisse videretur. Sed Archiepiscopus, velut illius jam ante indulti, tum Ottonis Suffraganei, ipsiusque Reiffenbergii voto fretus, solenni programmate eundem Coadjutorem suum 28. Aprilis nequicquam renuntiat.

Verum Capitulares oppositis huic electioni votis, ceu clavum clavo repulsuri, in Praepositurae successorem, annuente Husmanno, jam ante annum delegerant Emmericum a Metternich, hactenus in ecclesiastica professione pro libertate patriae vindicanda, Caesareo militi praefectum. Sed neque hanc, neque illam Pontifex electionem ratam habuit: veritus hinc Gallorum Regis, inde Caesaris offensionem.

Capitulares etiam formidantes, ne Princeps, licet jam propemodum capularis (b), et larva magis quam homo, pertinacissimae tamen in osseo corpore animae vitaeque, ante mortem, Gallorum ope stabiliret, quae coeperat, novum ineunt de recuperanda per vim armatam urbe consilium. Delecti ad eam rem tam ex urbe (c), Hartsteinio Commendatore indulgente, quam arce Confluentina milites, iisque, quibus aliunde poterant, aucti copiis, post Meginam et Cochemium interceptum, Trevirim sub duorum Capitularium ductu (d), D. Caroli Caspari a Petra, et D. Hugonis Everhardi Cratzii perveniunt: cumque ad suburbana SS. Paulini et Maximini aedificia inobservati penetrassent, Carolus Casparus ad S. Simeonis portam excubiasque istic mo-

(a) qui potius &c.: ibid.
(b) licet jam prop. cap. non habet editio Honthemii.
(c) Confluentina.
(d) ductu: male abest ap. Honth.

rantes praevolat, et quos civium militumque istic nactus est, humanissima oratione compellans, docet, cum aliquo se comitatu militum venire, ut his in urbem una cum aliis Capitularibus dominis admissis, pax securitasque inter Electorem Capitulumque magno patriae totius commodo stabiliri aliquando queat: nihil civibus militique urbano, cum pro sola Capitularium tutela veniant, metuendum; nihil sibi suisque magis cordi fore, quam ut universali jam sancita per Imperium pace, Augusta quoque Trevirorum civitas eadem gaudere tandem possit.

Cumque ad haec cives respondissent, sibi nullam cum dominis Capitularibus hostilitatem intercedere, neque idcirco aditu portarum exclusuros, quos securitatis gratia adducerent: ad nutum prope latens miles adfuit, portisque exceptus patentibus, urbe media ad forum usque incessit, atque hic in ordinem, perque praecipuas urbis portarumque excubias digestus (a): ignorante atque ad nuntium hoc stupente suo in palatio Electore. Qui, ut potuit evocatum per tribunos electoralem militem, se palatiumque tueri jussit. Verum hic in area collectus, positis armis, nil hostile adversus Capitularium copias tentandum esse statuit, ut ipsa etiam praetoria Archiepiscopi cohors, abjecta defensionis spe, inermis suo Principi adsisteret, pacem quam bellum se malle professa.

Quae res non mediocriter Philippum accendit, noluitque idcirco in illa rerum confusione, quanquam imperterrito hanc animo magnanimus Princeps sustineret, propugnaculi Gallici Commendantem, D. Albertum a Weiler, ad illius defensionem a se dimittere; ut illo ad urbani militis imperium ductumque ad suae aulae custodiam uteretur. At nihil contra Principem aulamque capitularis miles unquam molitus est: quin missis ad hunc ab Electore legatis responsum est, venire se ad Archiepiscopi sui Capitulique et urbis totius defensionem securitatemque, qua obtenta pacem inter utrosque inviolatam fore (b).

Anno 1649. Rex Angliae Londini capite plectebatur per securim.

(a) digressus: ap. Honth.

(b) Sed necdum pax erat. Gallus ab Archiepiscopo miles, Lotharingicus a Capitularibus, totam patriam, sub defensionis titulo, vastant.

Anno 1650. undecima Julii Carolus Casparus a Petra in Coadjutorem electus est (a).

Eodem anno Norimbergae difficiliores exequendae pacis Westphalicae nodi expediti sunt: in quibus ille etiam de castro Erenbreitsteiniano. D. Carolus Casparus a Petra, Metropolitanae aedis Cantor, in negotiis expediendis jamtum non minus compertus et felix, quam industrius eo destinatus fuit, qui a Caesareis aliorumque Principum legatis impetravit, ut, educto Imperatoris milite, Treverici imposterum juris potestatisque, ut olim, essent (b).

Ferdinandus Elector Coloniensis Archiepiscopatus sui anno 39. (c),

---

(a) Haec in Honth. edit. omissa sunt. — Concessit quidem Princeps novam in Reiffenbergii locum Coadjutoriae electionem; sed Carolum Casparum dixit nulliter electum. Vide Epistolam Philippi ad Cardinalem Panzerola adversus Coadjutoriam Caroli Caspari (Honth. III. p. 669. sq.) Interim non impedivit haec epistola, quin confirmatio novi Coadjutoris Caroli Caspari, 19. Jan. 1651. Romae publicata fuerit. Ad hanc publicationem Romanam Coadjutoriae Caroli Caspari (s. t. Archiepiscopi Rhodensis) litera quaedam mordax Philippi (authentica, a nobis nuper reperta) haec habet: „Ob nun auch wohl Wir dieſes der Päbſt. Heil., nobis invitis, nicht zugeben können; ſo haben Wir doch Päbſt. Heil. dieſes expedient vorgeſchlagen, nämlich: weil der Coadjutor albereit in terra infidelium, excommunicatorum et rebellium begriffen, ſo dürfte Er nit „nacher Rhodos ſich begeben — ſondern Wir wollen ex potestate Archiepiscopali, u. tanquam Legatus Apostol. Ihme ein placetum ertheilen, wie Er ſeine Pontificalia in Unſerem Unteren Erzſtift in Unſerem Nahmen exercire, darzu Ihme Tauſend Gulden rotatos (dan Er Wein und früchten vorräthig genug hat) aus Unſerer Landsrenthmeiſterey, vor allen „anderen Ausgaben, geben laſſen wollen — ſo were uff dieſes expedient ſowohl der Erzbiſchoff zu Rhodos, als der Coadjutor genugſam verſichert.“ &c. &. Sig. Trier zu St. Petersburg, den 18. Jul. 1651. Philips Chriſtoph.

(b) Horum etiam Comitiorum decreto, Moguntinensis et Coloniensis, cum Principe Bambergensi, ad statuendam inter Archiepiscopum Trevir. ejusque Capitulares et Status patriae pacem designati sunt. Quos Philippus desperatione magis rerum suarum, atque aetate jam in tumulum propendente, quam voluntate admittere coactus est.

Vide pacis Treviricae leges, seu recessum executivum (23. Aug. an. 1650.) in Honth. Hist. Tr. dipl. III. p. 663. sqq. —

Conventui Norimbergensi Capitulum Trevirense interceptam epistolam Philippi Christophori misit, qua, secundum Capituli assertionem, probatum esset, eundem allaborasse, ut Trevirensem Archiepiscopatum ab Imperio avelleret, et Galliae subderet! Quare Capitulum instabat, ut juxta conclusum trium Collegiorum ad Electoris depositionem, seclusa mora, procederetur. At renuit Legatus Moguntinus. — Conventu Norimbergensi non multo post soluto, ad ulteriora processum non est. — —

(c) Ferdinandus, Dux Bavariae, Ernesti praedecessoris Coadjutor 1595., Archiepiscopus 1612., obiit 1650.

vitae 73., Arensbergae 13. Septembr. defunctus; Coloniae 25. Octobr. in aede Metropolitana sepultus, successorem pridie exequiarum solenni ibidem ritu inauguratum reliquit Henricum Maximilianum, ex fratre Alberto nepotem, beneficientiae ac pietatis in Deum hominesque laude celebratum.

CAPUT CCCIX.

Moritur Philippus Christophorus a Söteren, Elector Trevirensis (a), anno aetatis 87., Electoratus 29., Spirensis Episcopatus 42., immortalibus adjunctus septimo Februarii (b); parvo mortalium luctu, ut fere in ejusmodi funeribus Principum solet, ubi succedentium novitate delectantur. Hoc tamen singulare Philippo accidit, quod illius mors, quam multis in diuturno ejus morbo exspectata fuit, tam isto die improvisa acciderit omnibus. Nam cum triennio facile jam clinicus ex podagra chiragraque (*) plerumque decubuisset — longum humanae calamitatis et patientiae exemplar —: illo ante Bachanalia die, quo baptismali epulo, aula, nihil Principi formidans, indulgebat, plerisque ipse ignaris exspiravit. Supervenit tamen ultimo sudore mananti chirurgus et custos accubitorque conclavis ejusdem. Hic (c), repente convocatis quibusdam, Confessario etiam Principis imminens periculum indicavit, qui ultimo agoni, jamque vix sibi praesenti adstitere. Quorum primus D. Decano aliisque Canonicis Philippi mortem indicavit; sed bene potus janitor, obfirmatis ostiis, aditum venientibus prohibuit: ut non nisi immissis per muros satellitibus reseratisque portis circa noctis undecimam penetrarint, signatisque conclavibus fida res quasque custodia munierint.

Haec talis mors ambiguo inter homines sermone jactata est; sed ut multos vitae, sic et in mortis descriptione adversarios Princeps

---

(a) Hoc etiam loco Masenius, fere usque ad finem capitis, iisdem verbis utitur.

(b) Anno 1652. Treviris, Carolo Coadjutore Confluentiae degente.

(*) Non tantum ex podagra chiragraque, sed acutis etiam herniae, utrosque renes ramosis lapillis (ut in apertura post mortem compertum) distringendis afflictione, vesicaeque gravissima obstructione dolores sustinebat. (Masenius).

(c) Hinc: in edit. Honth. sed minus accurate.

habuit. Ego dignissimis fide testibus, qui etiamnum supersunt, ea re auditis, infeliciorem ejus vitam, quam mortem esse censeo (a). Etenim ad extremum hunc agonem, sat multo ante provisum Principi, non omnino imparatus accessit; cum jam triduo ante sacra adhuc exomologesi et divinissimo Eucharistiae sacramento praemunitus hunc exspectavit. Hocque admireris, quod diem nullum sine Missae sacrificio, in suo conclavi celebrato, transmiserit; canonicas etiam horas usque ad ultima vitae tempora, cum nec manus ad tenendum volvemdumque librum posset extendere, religiosa devotione, objecto sibi volutoque per alios libro, exsolverit: et licet ad noctem usque aliorum adventantium colloquia, negotiorumque expeditiones detinuissent, hoc tamen pietatis officium nunquam sibi eripi est passus.

Incredibile praeterea est, quam magno infractoque animo quascunque adversitates, aemulorum persecutiones, captivitatem, corporis animique afflictiones exceperit; ut quamvis nonnunquam impetus vehementior in adversarios scriptis verbisque ultra humanitatis terminos abstulerit ferventem indignatione animum; tamen gravius sibi incumbentem fortunam imperterritus sustineret. Prima urbis palatiique occupatione, cum nonnemo sclopum admovisset pectori, nullam tamen extorsit a magnanimo homine timoris argumentum; cumque palatium quaquaversum immissus miles diriperet, ipse ex fenestra sui conclavis spectator, „hanc inquit, spero vestem mihi relicturi sunt.“

Captivitate urbis ultima, qua tamen palatium intactum mansit, nihilque injuriae illatum est Principi, cum intelligeret Caesareano jam milite urbem teneri, cutem aridi emaciatique usque ad ossa corporis, ut in lecto erat, manu apprehensam concutiens, „hanc opinor, ait, detracturi non sunt, ad quid enim utilis?“ Quosdam ex agricolis subditos, cum Archiepiscopum, vano rumore ducti, mortuum esse aliis nuntiassent (*), urbem ingressos ad se in aulam et conclave, ubi decumbebat, jussit evocari; moxque exporrecto supercilio et grandi voce affatus: „intelligo vos, inquit, meae mortis delectari nuntio, illam-

(a) Haec periodus non legitur ibidem; habet vero quoque cuncta haec Masenius.

(*) Legi meretur ap. Honth. (Hist. dipl. Trev. III. p. 515.) documentum germanicum, quod ibi inscribitur: Archiepiscopus Princeps Elector Trevirensis redivivus. Charta est de anno 1647. 27. Febr. —

„que ceu jam certam vulgare. Adhuc Superis volentibus supersum, „et ejusmodi nuntios digna mercede munerari possum; sed parco „simplicitati vestrae. Adesdum vero, et ut non tantum spectasse, „verum etiam attigisse vivum Principem domi forisque referre possi- „tis, date manum singuli, atque hinc domum vos recipite.“ In qua salutatione, cum nonnemo manum Principis plena vola apprehensam, velut affectum benevolum significaturus, strinxisset aretius, ille perstrictus chiragricis doloribus clara exclamare voce coepit: „Apage „trifurcifer! et tuos callosis his manibus rusticos ista civilitate saluta; „an me putas stivam tractasse?“ Moxque ad suos conversus: „ejus- „modi, inquit, medicis ad explorandam venam manus credendae non „sunt.“ Ita nonnunquam inter dolores suos jocari solitus.

EPITAPHIUM (*).

Viator sta, et contemplare jacentem.
Hic situs sum

Philippus Christophorus ex Familia Söteren.

Archiepiscopus, Elector, Archicancellarius, Episcopus, Administrator, Praepositus, Commendator, Judex, &c.
Sed tot titulos brevis clausit tumulus,
Ultima mortalium rerum meta.
Haec specta, et mundi vanitatem vivus (**) plange
Ne mortuus egeas lacrymis.
Ego morti subjectus sum, postquam praefuissem
Spirensibus Episcopus annis XLII.
Trevirensibus annis XXVIII. mensibus IV. diebus XIII.
Quam religiose, fortiter, prudenter, juste?
Quid litaverim Deo? Imperio? Mitris? Posteritati? Mihi?
Expende fastorum, foederum, actorum, rationum indices;
Conspice fana et profana palatia, turres, aggeres, rudera,

(*) Horum Gestorum scriptor in persona Philippi, hoc epitaphium non inelegans condidit. Inscriptio in ecclesia posita haec tantum habet:

Hic juxta jacet
Reverendissimus et Illustrissimus Archiepiscopus
Elector Trevirensis
Philippus Christophorus a Soetern
qui obiit 7ma Februarii anno 1652.
Cujus anima requiescat in pace. Amen.

(**) vivus: inepte deest in edit. Honth.

Et dic: satis est; quiescat anima et cineres
Sat multa fecit et passus est.
Habeat quietem moriendo,
Quam vivendo habere non potuit!

Haud multe post mortem 15. Februarii, in praesentia cognatorum defuncti Archiepiscopi, D. Francisci Philippi a Söteren, D. Comitis a Scharffenstein, D. D. ab Hedersdorf et Zandt, testamentariae Electoris defuncti tabulae apertae sunt, et ultima voluntate ipsius fideicommissi (*) haeres pronuntiatus est nepos a Söteren, declaratumque, ut funus Spiram ad Capellam S. Martini transferretur; sed cum viva voce ante mortem Archiepiscopus hanc voluntatem fecisset dubiam, sumptuum etiam vitandorum gratia, tripartitim funus divisum est, et cor Spiram translatum, corpus in aede Metropolitana Trevirorum, ad laevam ingredientium, ante aram S. Luciae (**), intestina apud Patres Capucinos (Treviris) deposita sunt: ut qui affectum in vivis diviserat per diversos, has nunc etiam partiretur exuvias.

CAPUT CCCX.

De Carolo Casparo Archiepiscopo Trevirensi.

Inauguratio Caroli Caspari Archiepiscopi Trevirensis anno 1652. Martii 12.

Praeerant id temporis Capitulo Emmericus Baro a Metternich, in Hausmanni, ante annum defuncti, locum suffectus Praepositus,

---

(*) Fideicommissum Soeterianum (Hospitale Philippicum) a Philippo Christophoro (6. Martii 1635.) erectum est his conditionibus: ut proximior agnatus, his fideicommissariis bonis principaliter gaudens, certis de familia aliisque annua stipendia inde praebeat: in casum vero deficientis nominis Soeteriani (quod extincta linea masculina una cum ejusdem familiae insignibus, a cognatis, hoc fideicommisso gaudere volentibus, adoptari jussit) omnia haec bona in causas pias impendantur — nimirum in sustentationem convenientis numeri alumnorum et stipendiariorum nobilium et ignobilium. Cujus fundationis perpetui inspectores et defensores deputantur Suffraganei Trevirensis, Spirensis et Metensis pro tempore existentes. — Conf. Transactionem inter Carolum Casp. Archiep. et D. D. de Sötern super hoc fideicommisso, 1654. 14. Oct. (Honth. Hist. dipl. III. p. 695. sqq.)

(**) Ignobile primum monumentum sub Philippi successoribus nobiliori locum dedit. Hoc novum monumentum sepulchrale ex marmore, in arae speciem, vicino muro innixum hodie spectatur.

alterque Decanus Damianus a Metternich ex Borscheidt, qui post solenne de Gregorio Magno sacrificium, duodecima Martii die, cum reliquo Canonicorum choro, obvium in vestibulo Metropolitani templi Eminentissimum Principem, inter Caesareum Legatum Comitem ab Hatzfeldt, et Moguntini Electoris Wolfgangum Henricum a Metternich in Borscheidt venientem, magnaque Nobilitate stipatum excepere, et ad chorum basilicae honorifice deductum stetere.

Ubi Carolus Legatis Caesaris Principumque stipantibus, tum Praeposito, Decano, ac subinde Praelatis Capituloque sequente incessit conseditque. Et postquam ad leges capitulationis praelectas solenne juramentum praestitisset (a), accesserunt congratulatum singuli, datisque atque acceptis manibus in fidem receptus est.

Mox Candidatus pluviali, ut ajunt, vestitus, cereumque ardentem manu complexus, ex Capituli loco ad summam perductus aram, cui ipse demum enixus impositusque sedit, dum musicis vocibus instrumentisque, Deo Superisque Ambrosianum hymnum Te Deum laudamus, chorus accinuisset: quo terminato, inter adminiculantium Praepositi Decanique manus ab ara digressus, ad sedem Archiepiscopalem, illustri apparatu instructam, iisdem ductoribus conscendit. Dumque istic, ceu possessione capta, quiesceret, sacrae aedis Metropolitanae organa, forisque tubae et tympana, militaresque stationes circa templum forumque, et per valla urbis distributae machinae bellicae, laeto sonantium plaudentiumque fremitu, insonuere: vivat atque floreat Archiepiscopus Carolus! haec fausta acclamatio ubique audita (b) est. Hinc denique inter confertissimam affluentium turbam, ad palatium, spectata inter caeteros eminentioris corporis forma, qua natus ad hanc dignitatem videbatur, Princeps incessit, longo Capitularium ac Nobilitatis deductus agmine. Ubi postquam ad aulae gradus, datae acceptaeque vicissim congratulantium Canonicorum dexterae, in ipsam demum majorem aulam progressus, a nuper inaugurato urbis Praefecto D. Lothario Braun a Schmidburg Ordinis Teutonici Commendatore, urbisque Consulibus ac Magistratu Treverico salutatus,

---

(a) Moser (Staatsrecht des Churf: Erzstiffts Trier. S. 11. f.) disserit de his capitulationibus, in Electoratu Trevirensi usitatis. Conf. Gestorum caput 279. Vol. II. p. 338.

(b) Pessime in edit. Honth.: „fausta acclamatione inauditum palatium est.“

civitatis claves demisse oblatas accepit, benevoleque, Cancellario Anethano interprete, restituit.

Quibus finitis, Caesareus Moguntiacusque, ac caeteri deinde Legatorum ad salutandi gratulandique officia admissi sunt, et diei reliquum laeta convivantium exultatione, non in aula tantum, sed urbe tota, novi Principis proclamatione gaudente, peractum est.

Die postera Martii 13. in fidem Archiepiscopi sui urbs solenni juramento concessit, quodque supererat diei, gratulationibus, plausibus epulisque datum est; ut urbs ad novi Principis, tanquam solis exortum revixisse, velut longis calamitatibus jam dudum sepulta (a), videretur (*).

Carolus Casparus in templo Carthusianorum Trevir. consecratus 15. Sept. 1652.

(a) Carolus Casparus mox etiam curas suas in subditorum commoda convertit, inter quas ex primis fuit publicatio Edicti de restaurandis et aedificandis domibus in urbe Trevirensi (1652.), — tum publicatio Recessus Comitiorum Provincialium Trevirensium (eodem anno). Conf. Honth. Hist. Trev. dipl. III. ad hunc annum.

(*) Hic desinit Masenii continuatio Annalium. — Jacobus Masenius S. J. variorum operum auctor est. Scripsit poemata, res rhetoricas, politicas, asceticas et historicas. Operum series videri potest in Hartzemii Biblioth. Colon. p. 147. sq. — Obiit Treviris 27. Sept. 1681.

Litera Caroli Caspari Archiep. de an. 1668., quam in originali possidemus, nos edocet, Masenium suam Annalium et Metropolis continuationem circa hoc tempus potissimum elaborasse. Nunc quae haec litera habeat, indicabimus:

„Wir Carl Caſpar von Gottes Gnaden Ertzbiſchof zu Trier ꝛc. ꝛc. ꝛc. Thun kundt hier„mit. Nachdem Wir zur Illustration der Trieriſcher Historien eine nothurfft undt „dienſt zu ſein befunden, in Unſers Erzſtiffs Abteyen, Clöſtern und Collegiis deren Archiva, „Documenta, briefſchafften undt antiquitäten durchſuchen, undt darauß waß zu vorberührtem „Endt dienen mag, außziehen zu laſſen: daruber dan gegenwertiger P. Masen, Prieſter der „Societet Jesu, welcher darzu von Unß undt ſeinen Superioren außgeſehen „undt verordtnet worden, die Commission williglich ubernohmen. Alß befehlen undt ge„ſinnen Wir ahn alle undt jede Unſers Ertzſtiffts Eingeſeſſene Praelaten und der Collegien „undt Clöſter Vorſtehern, fort Menniglichen hiemit ggſt, Sie wollen beſagtem P. Masen nicht „allein zu ihren Registraturen undt Archiven den willigen Access geſtatten, ſondern Ihme „auch in dieſem ſeinem zu des Ertzſtiffts Dienſt, Zier undt Ornament vorhaben„dem guten Werck allen geneigten willen, vorſchub undt beferderung erweiſen zu laſſen. ꝛc. — „Geben zu Cärlich under unſer eigenhändigen subsignatur undt vorgetruckten Churf. Siegel. Den 2ten July A. 1668. Carl Caspar A. El.“

An haec commendatio promtos et exoptatos rei progressus ubique habuerit, valde dubitamus. — —

CAPUT CCCXI (*).

Anno 1654. Hispani recipiunt Mardick, Grevelingen, Rocroy et Dünkirchen (a). — Ferdinandus IV. coronatur in Regem Romanorum; qui 1654. mortuus est (b). — Anno 1655. Hispani caeduntur in obsidione Atrebatensi (c). — Eclipsis horribilis in plagis septentrionalibus in sole, ita ut meridies a nocte parum, vel in quibusdam locis nihil differret. — Sueci invadunt Poloniam, totam pene occupant, quibus-

---

(*) Sequitur jam alius Gestorum scriptor, horum temporum aequalis, qui codicem. Ms. Eberh—Clausanum continuavit. Ipse, ut videbimus infra, nomen suum edidit his verbis: Ego ipse Joannes Kenn, Cantor ad S. Florinum (Confluentiae).

(a) Bello tricennali per pacem Westphalicam anno 1648. sopito, Germania pacis fructus sperabat. Sed bellum Galliam inter et Hispaniam continuabatur, in detrimentum patriae nostrae. Vid. infra.

(b) Ferdinandus IV., filius Imperatoris natu major, Aug. Vindel. Rex Romanus anno 1653. electus, moritur 1654. Sic accuratius.

(c) Atrebatae, h. Arras. — Scriptor novus in hoc capite paucissimos eventus in Treviris, sed alios sui temporis, secundum suam sententiam, memoratu digniores, satis autem jejune refert.

Miramur, scriptorem Kenn tacere de edicto Caroli Caspari Archiep., hoc anno 1655. 20. Febr. Treviris publicato, pro exhibitione publica Christi tunicae et clavi, in Metropoli Trevirensi. In hoc edicto legimus: „Haec sacra monumenta prop„ter graves et fere continuos bellorum motus et inquietudines, a septuaginta et „amplius annis, publicitus exponi non potuisse.“ — Legimus porro: „Ad impe„trandam afflictissimae Germaniae, et speciatim Archidioeceseos nostrae ulteriorem „respirationem et tranquillitatem, sacram Domini nostri tunicam et clavum (†), alias„que notabiliores reliquias publice in Metropoli nostra spectandas et venerandas exhi„bere decrevimus. Ac proinde eum in finem, de venerabilis Capituli nostri con„silio pariter et assensu, diem 6m Maji a. c., in quam anniversaria Ascendentis „Domini cadit solennitas; nec non 16m et 23m mensis ejusdem, quibus Pentecostes „et SS. Trinitatis festa celebrantur; 24m item Junii S. Joannis Bapt., et 29m SS. „Apostolorum Petri et Pauli celebrari sacram delegimus.“ Tandem addit Archiepiscopus: „Ut autem universis, sive bello adhuc implicitis, sive tranquillitate pacis gau„dentibus, tutior ad nos aditus pateat et accessus; Reges, Duces ac Principes, qui „arma nondum deposuerunt, requisivimus, ne a militibus eorum ulli omnino, qui reli„gionis causa ad Metropolim nostram accedere instituerit, quicquam aut impedimenti „objiciatur, aut molestiae afferatur. — De unico tamen omnes monitos volumus, ut „quotquot ad Metropolim nostram adire statuerint, neque ipsi morbo contagioso cor„repti, neque cum Archidioeceseos nostrae ac peregrinantium periculo, ex ullo loco „contagione infecto, advenire praesumant.“ — —

(†) Tunica (non vero clavus) et hodie in Cathedrali nostra asservatur, quae postremum, anno scilicet 1810, per dies decem et octo publicae veneration exhibita est.

dam ad eos ex Proceribus deficientibus: verum 1656. aliquoties caesi, ex ea rursus magna ex parte ejecti sunt.

Anno 1656. Christina Regina Sueciae, Gustavi Adolphi filia (abdicato regno, eoque in Carolum Gustavum Palatinum anno 1654. translato) in initio hujus anni fidem Catholicam Romae amplexa atque professa est. Item hoc anno Veneti insigni victoria navali adversus Turcas potiti sunt, hostium triremibus ultra centum captis depressisque. — Jubilaeum secundum Alexandri VII., qui anno 1655. Innocentio X. in Pontificatu successit. Prius Fabius Chisius (a) vocatus, tractatibus pacis Monasterii Westphaliorum, Legatus Pontificius interfuit, eosque, tamquam religioni Catholicae nimium detrimentosos et praejudicosos, ratos habere noluit.

Anno 1657. Discalceati Patres admittuntur in civitatem Confluentinam. Cocti sunt lateres, hic Confluentiae: Ziegelſtein. — Pontifex in Vaticanum, vulgaris morbi solutus metu ascendit, Christianum sacrificium solenniter obtulit: quo oblato, gratiarum hymnus, qui sanctorum Ambrosii et Augustini dicitur, ut per symphoniacos amabilissime decantaretur, curavit. Gemina hujus laetitiae causa affertur: Una, quod priore anno Deus opt. Venetis contra Barbaros luculentissimam in Hellesponto victoriam, pro totius Christianae gentis honore gloriaque, concesserat; Altera, quod epidemiae lues Dei benignitate Romae grassari desinebat. His enim aliisque temporibus interclusus Pontifex Eucharistiam seu Christi sacrificium offerre pro Venetorum victoria publice non poterat. Tantum vastitatis hominum generi pestilens aër Romae attulit, ut in quatuor millia supra noningentos morbosorum reperirentur, et quaque hebdomade (b) invicem nunc quadringenti, nunc trecenti, ducentive tabe illa in mortem darentur.

Archiepiscopus Moguntinensis (*) visitavit Julii 5. nostrum Archiepisc. Trev. in Cärlich, absque dubio ratione electionis novi Regis. Discessit 7. Julii.

Hoc anno (1657.) visitata sunt collegia aliqua et monasteria aliqua

---

(a) Fabio Chigi.

(b) quot hebdomatis: male in edit. Honth. — Ibidem haec periodus minus apte post tres sequentes periodos sequitur.

(*) Joannes Philippus a Schönborn.

monialium Confluentiae et in caetera dioecesi Trev. (a). — Commissarii Reverendiss. Trevirensis Archiepiscopi profecti Francofurtum ad praeparanda initia electionis novi Regis: Augusti 14.

Ante diem III. Idus Februarii Ferdinando III., Romanorum Imperatori, filiolus Flavianae (b) oritur; cum felici nixu, sed minus valentulum natum ediderat Eleonora tempore antelucano, qui vesperi ab Apostolico Nuntio baptizatus, Ferdinandus Aloysius Josephus vocatur. — Flavianae in Austria Ferdinandus III., Romani Imperii moderator, cum antea semper tenui valetudine fuisset, post quartam Quadragesimalis jejunii Dominicam ita affligi morbo coepit extremo, ut decumbere continuo in lecto debuerit usque in solennem Coenae Domini diem: is enim cum advenisset, assurgit paulisper ex morbo, et Christi sacrificio, quod in palatii sui sacello pii sacerdotes faciebant, cum rosarii sui preculis assistit. Aderat simul et conjux charissima, quae paulo ante, ut puerperarum est mos, benedictione accepta ad officium redierat. Ubi excedendum sibi urgente morbo e vita mortali sensit Imperator invitus, in viam immortalitatis se dedit, animi conscientiam confessione eluit, absolutione sacerdotis accepta, poenitentiae absolvit injunctum, Christi Corporis hostiam catholica mente sumpsit, animam Servatori reddere omni hora paratissimus, et moritur Viennae piisime (c). Inter Reges, quos Vicarios Imperii nominamus, tres fuere hoc tempore. Unus in Italia: Carolus Gonzaga (d) Mantuae Regulus (e); duo in Germania: Bavarus et Saxo Electores; quartus etiam se his addere, aut Bavari jus ad se pertinere voluit Octovir (f) Palatinus. De Caesaris obitu Moguntinum Antistitem, ac caeteros deinde Octoviralis collegii Principes viros Archidux Leopoldus certiores fecit. Quo cognito, qui Majorum pietatem non abjecerant, pro anima Caesaris Deo supplicarunt, Christianas preces et sacra adhibuerunt.

(a) Lectio editionis Honth., hic et passim, confusa est. Haud raro sive per incuriam, sive per inscitiam amanuensis, quo Honthemius noster usus est, errores in scribendo commissi sunt.

(b) Flaviana castra Vindobona, Vienna Austriae.

(c) 2. Apr. 1657.

(d) Pessime in edit. Honth.: Gamaga.

(e) Rectius: Dux Mantuanus.

(f) i. e. Elector.

Anno 1657. Mommedium (a) obsidione capitur 6. Augusti, dum Coloniae Ubiorum peregrini ex Ungaria publice supplicatum irent. Mommedium in Luxemburgico Ducatu forte ac munitum oppidum Galli obsidere incipiunt. Quarto denique Junii Magnipratanus (b) equestri corona, ut solet fieri, initus obsidionem, circumducit Mommedicenses. Equitatus Fertaci (c) circumvallat, fossas agit et lineas. Oppidi praesidio ab Hispaniensibus erat impositus Malandrius (d), vir fortis, qui, commeatu et copiis paulum adjutus, obsidentibus multum negotii facessivit, impressionem facientes repulit, dies ac noctes vigil in stationibus fuit. Circitorem et militem et ducem se strenuum praebebat; donec in tertium mensem fortitudinis bellicae clarissimis editis exemplis, palangae externis operibus vi tormenti disjectae libramentum in corpus adigeretur, et naturae debitum redderet, cum spiritum patriae defendendae fortiter impenderet (e). Subiit idem sortis legatus ejus, et sexto Augusti die, quum pavide adversis rebus civi et militi animus caderet, in Gallorum potestatem certis conditionibus Mommedium venit.

Anno 1657 ad 1658 frigidissima hyems (*). — Moritur Adolphus Fridericus Dux Mecleburgensis, cujus ditiones moderandas filius, nomine Christianus, suscepit.

Anno 1658. Archiepiscopus Trevirensis Francofurtum ad electionem Regis profectus Mart. 21. — Idem Archiepisc. Elect. Trevir. Francofurtum introducitur. Processere illi obviam cives in equis Bocconaemicam extra portam, et solenni applausu excepere Mart. 23. Coloniensis Archiepisc. secutus Francofurtum, pernoctavit Confluentiae April. 24., et 27. April. Francofordiam honorificentissime ingreditur et excipitur.

Fridericus Wilhelmus Brandenburgicus S. Romani Imperii Elector

---

(a) Ap. Bertholet (Hist. eccles. et civile du Duché de Luxemb. VIII. p. 105. sqq.) legitur Journal du siége de Montmédy 1657. —

(b) Sub hoc barbaro nomine intelligendus est Comes de Grandpré, Dux Gallorum.

(c) Verisimiliter Ducis Gallici de la Ferte.

(d) Jean d'Allamont. Seigneur de Malandry.

(e) Et hocco loco textus edit. Honth. confusione laborat.

(*) Tum Carolus Gustavus, Sueciae Rex, fretum Balticum majus, frigore congelatum, una cum exercitu ac re tormentaria superat.

Bromiobergae (a) excipitur a Poloniae Rege, et consiliatore Hatzfeldo Comite, reconciliatur cum Polonis. — Joannes Georgius II. Saxoniae Elector authoratur a Saxonibus suis solenni sacramento Lipsiae. — Episcopus Monasteriensis Monasteriopolim ingreditur (b). — Sanguine (!) pluit in Coloniae Agrippinensis vico aquario.

Leopoldus I., Ungariae Bohemiaeque Rex, Praga discedens, in iter se dat Francofurtum versus.

Soluto gelu, aquarum insolita magnitudo extitit Europae universae formidabilis (c).

Festo S. Josephi die sub meridiem init Francofurtum Rex Ungariae et Bohemiae, Leopoldus I. — Archiepiscopus Coloniensis pro felici Romanorum Imperatoris (d) electione preces horis quadragenis durantes instaurat Coloniae. — Adolphus Fridericus Dux Mecleburgi moritur. — Aquilae duae novae prope Genanum (e) visae. — Joannis Mauritii Nassoviae Principis, Electoris Brandeburgici ad Comitia Regia Legati, Francofurtum introitus. — Prodigia quaedam in Sicilia. — Terrae motus in Melita. — Controversia inter Bavarum et Palatinum de Vicariatu (f). — Neoburgico Duci filius nascitur. — Caroli Ludovici Octoviri Palatini Francofurdiam introitus 1. Maji. — Franci et Angli Ostendae inhiantes, Belgae cujusdam (Spintecletco ei nomen) stratagemate deluduntur. — Hanoviae (g) templo Lutherano primus lapis a Saxone ponitur. — Rex Ungariae et Bohemiae celebrat Francofurti notalem suum festo Pentecostes. — Moritur frater ejus natu minimus Ferdinandus Aloysius Josephus Flavianae. — Brandeburgici ad Suecum legatio inaudita remittitur. — Equestres variarum in personis gentium ludi celebrantur 10. Julii Francofurti. — De coronandi

---

(a) Brombergae (Bromberg). Hoc factum refertur accuratius ad annum 1657. — Conventio enim Velaviensis inter Fridericum Wilhelmum et Joan. Casimirum, Regem Poloniae, XIII. Kal. Oct. hujus anni facta, Brombergae VIII. Id. Nov. confirmatur. V. Pufendorf de rebus gestis Friderici Wilhelmi M.

(b) Turbae Monasterienses, inter Episcopum Christoph. Bernardum de Galen et cives urbis, copiose narrantur in Theatro Europaeo (T. VIII. p. 83. sqq.)

(c) Et in hoc loco, ut alibi, textus in Honth. editione supra modum corruptus est.

(d) Regis: ibid.; sic et in aliis locis.

(e) Fortasse Genabum?

(f) Lites de Vicariatu tempore interregni, inter Electores Baioariae Palatinatusque Rhenani, jam anno 1657. ortae sunt.

(g) Hanau.

Romanorum Imperatorem jure, lis componitur inter Moguntinensem et Coloniensem Principes (a). — Exteros omnes Francofurto excedere, tubicen jubet.

CAPUT CCCXII.

Invictissimus Princeps Leopoldus I., Ungariae Bohemiaeque Rex, in Romanorum Imperatorem eligitur ad 15. Kal. Sextiles (b), qui electioni Regiae dictus est dies.

Electores, qui aderant, et absentium Legati, in comitium Electorium (Romanus (c) dicitur) ascendere sub horam sextam matutinam; ad sonitum septimae signum campana majori datum est in templo S. Bartholomaei, ubi Reverendissimus Wormatiae Antistes Krazius (concedente illi hoc Archiepiscopi Moguntinensis Vicario) ad rem divinam pro electionis prosperitate faciendam sacros indiderat amictus, et chori musici principes cum Electoris Moguntini symphoniacis praesto aderant; sumpserant interim in Romano electoralem ornatum Principes, et equis inscensis ex comitii finibus ad templi vestibulum adequitabant. Moguntino Trevir ad sinistram erat, Coloniensis Bohemo ad dexteram, Saxoni Palatinus laevum claudebat latus, Bavaricum Brandeburgicus a dextera habebat. Ut basilicae S. Bartholomaei appropinquavere, descendunt per strapedes ab equis, et in chorum templi gradiuntur. Intraverant jam, et suo quisque loco recepti erant, quum Antistes, ad aram principem operaturus, in genua procumbit et Sancti Spiritus adventum, solemni antiphona cantu inchoata, adesse precatur. Excipiunt illum canendo symphoniaci; ille rursum suscipit: emitte spiritum tuum et creabuntur. Musici respondent: et renovabis faciem terrae; inde collectam claro cantu recitat, ut qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuit

---

(a) Controversia de jure, Imperatorem coronandi vel potius inungendi, inter Joan. Philippum Mogunt., et Maximilianum Henr. Coloniens., die Junii 25. 1657., lis finita est conditionibus, ut quisque in sua dioecesi, extra utramque vero alternis vicibus partes istas obiret perageretque, quae conventio dein in tabulas pactionum augustalium Leopoldi, Josephi et Caroli rite solemniterque confirmata est. Conf. Joannis Rer. Mogunt. I. p. 966.

(b) Die XVIII. Julii 1658.

(c) Vulgo der Römer.

Deus, det nobis in eodem Spiritu sapere et ejusdem consolatione semper gaudere.

His optatis in pedes assurgit Episcopus, et super infimum altaris gradum consistens, hinc Diacono, illinc Hypodiacono, quorum uterque sacris vestibus induti erant, simul respondente, psalmum secundum et quadragesimum, exhomologesin in absolutionem recitat. Quo facto in reliquos ad aram gradus ascendit, et osculo medio altaris ad Epistolae cornu progreditur. Introitum Missae de S. Spiritu legit. Symphonia et omni genere cantus modulantur. Sacrificii Christiani perennibus ordine suo ae ritu Catholico servatis, Sequentia etiam de Spiritu Sancto musice decantata, Evangelio, Symbolo, Consecratione et precatione Dominica aliisque ad hoc opus divinum pertinentibus, absolutis, casulam deponens Antistes, pluviale sibi circumponit, fibula per pectus aurea innexum; exemtilis arae decor vasaque sacra tolluntur, ut Electoribus, in ara super eligendum juratis, locus fiat: appropinquantibus ad aram explicatur Evangeliorum codex. Tum a Treviro Moguntinus adigitur ad jusjurandum; caeteros omnes Moguntinus adigit: Trevirum, Coloniensem, Bohemum, Saxonem, Palatinum, Bavari Legatum, Brandeburgici Legatum, quemque conceptis verbis sigillatim.

Dum id fit, hymnus de Spiritu Sancto, qui incipit: Veni Creator &c. &c. et S. Ambrosii carmen, per phonascos decantabatur, quum primum carminis dimetrum Episcopus praecinuisset. Dicto electionis juramento, in sedes suas redeunt Electores, quarum sedium quatuor ad dexteram chori partem, una in medio, tres ad sinistram fuerant positae. Prima illarum quatuor erat Moguntini; 2da Bohemiae Regis, 3tia Palatini, 4ta Legati Brandeburgici; in medio positam Trevirensis obtinebat; primam trium Coloniensis, alteram Saxo, tertiam Bavari Legatus. Hymno finito, Antiphonam denuo incipit, ornatus pluviali et mitra Episcopus, qua fidibus cantusque symphonia deproperata, Collectam ultimam cecinit: Actiones nostras &c. per Christum Dominum nostrum, Choro Amen! succinente. In vestigarii sacri conclave itum, ac de Romano Imperatore eligendo ab Octoviris deliberatum est. Dictis sententiis placuit, Serenissimum Leopoldum, Bohemiae Regem, Romanorum Imperatorem facere. Tes-

timonii causa in conclave statim recepti sunt. . . . . His in conclave testimonii causa admissis, clarissima enuntiatur voce, communi Electorum, nec dissidente inter illos suffragio, Leopoldum, Ungariae Bohemiaeque Regem, Romani Imperii moderatorem factum atque consalutatum esse (*).

Dicto inde Regiae ac Romanae fidei sacramento, inter Moguntinum Trevirumque medius e conclavi versus aram excessit Imperator Romanus, et Episcopus Wormatiensis ante altare consistens, in caput ejus conceptas orsus est preces. Psalmo vigesimo recitato, et Gloria et Kyrie et Pater noster continuo subjicientes, et ex eodem Psalmo repetentes illum versum, Domine salvum fac Regem, ℟. et exaudi nos in die, qua invocaverimus te. Salvum fac populum tuum Domine. Et Collecta finita ab ara dehinc Episcopus secessit.

Imperator Romanorum in altare ab Electoribus est impositus, et sublimi conspicuum e sella, vivere eum sibi laeta acclamatione populus optavit. Inpegma subinde ad portam aditi exstructum Illustrissimus aedis Metropolitanae Moguntinensis Praepositus ascendit, et clara voce omnibus iterum pronuntiavit: Regem habetis Leopoldum I.: valete et plausum date! Nec mora: Symphoniaci gratiarum actionis carmen, alternantibus carminis versibus, tubicinibus concinuere; aes campanarium ex omnibus templorum urbis turribus longe lateque assonuit; e centenis per muri orbem dispositis bombardis atque machinis tertio fulminatum est, populo: Vivat Leopoldus Caesar! ubique plausibiliter acclamante. Cum ad versum carminis: Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, cantus est promotus; genua posuere omnes, et Leopoldus Fridericus Hohenzollerae Comes, qui haereditarius Imperii Camerarius est, coronam Bohemiae regni,

(*) Sic Gallorum et Suecorum, imo et Principum Germaniae conatus, Domum Austriaeam dignitate Imperiali privandi, frustrantur. Mox a Ferdinandi Imperatoris decessu, tres Electores Archiepiscopi Cärlichii (haud procul Confluentia) convenerunt in commune consulturi — atque in particulari hoc coetu Bavaro imperialem coronam decernunt, quod iis Princeps opibus esset, sub quo nec ab hostibus Germania, nec Germaniae libertas periclitaretur. — — Moguntinus etiam de Phil. Guielm. Neoburgico cogitabat, Bavaro imperiale diadema abnuente. Tandem tamen Electorum vota in Leopoldum versa sunt.

quam Imperator Romanus capite gestabat, in manus sumpsit; eam deinde ad versiculum: Per singulos dies, Georgius Ludovicus Sincendorphi Comes, qui est haereditarius Imperii Quaestor, pro Octoviro Heidelbergensi, regio capiti rursus imposuit.

His rebus in basilica S. Bartholomaei perfectis, in praetorium Brunsfeldianum pompa ducitur. Praeibant cujusque Electorum contubernales aulicique per dispositos utrimque civium ordines; quinque sequebantur armigeri, Heroldos vocant: Austriacus, Bohemus, Ungaricus, Germanicus, Imperatorius. Ascenderant Electores quoque in ordinem speciose instratos equos, quos ante fores basilicae reliquerant. Bavari Legatus Nassoviae Principem a sinistris adequitantem habebat; Trevir absque socio erat. Joannem Jacobum Truchsesium Ciciliae Comitem, haereditarium Imperii Dapiferum, cum orbe Augustali, in medium acceperant Leopoldus Fridericus Hohenzolleranus Comes, et Elector Palatinus: ille a dextris cum sceptro Augustali, hic ad laevam cum diademate Imperatorio. Tum Saxo cum ense, Augustali modo, solus, quem Romanus Imperator Leopoldus, corona tempora incinctus, excipiebat. Hic a tergo impendebant, uno versu conjuncti, Moguntinus et Coloniensis; ille huic dextrum, hic illi sinistrum latus incluserat. Ad praetorium ut venere, exhibita Romanorum Imperatori, in Brunsfeldiam concedenti, reverentia: diversi domos repetunt. Omnia prospere ac felici ordine administrata sunt.

Illustrissimus Hugo Fridericus Alisontius, vulgo ab Eltz, Metropolitani Senatus Treviris Princeps (a), qui in electorio conclavi hodie fuerat, subitis acuti morbi doloribus (b) correptus, animam agere incepit, et vel rupta intus vomica, vel forti apoplexia mortem inopinatam acclerantibus, humana reliquit, Julii 19. Francofurti.

Caesar Noribergae excipitur authoraturque; Augustoburgi in templum ducitur a clero. In Bavariam pergit, manetque aliquot dies Monachii, Electoria praecile nitidissime lustrata (*).

(a) In edit Honth.: Ugo. — Alisontius? Animadvertimus, abusum, nomen familiae genericum in latinum transformandi, tum modum excessisse. In aliis documentis hunc virum legimus notatum his verbis: Hugo Friderich von Eltz Obriſten Chorbiſchoff.

(b) doloribus: male abest ap. Honth.

(*) Ap. Honth. (Hist. Trev. dipl. III. p. 705. sqq.) legimus fragmentum protocolli do-

CAPUT CCCXIII.

Anno 1658. Trevirorum Pontifex renuntiat novae confoederationi (*). — Dani ad Hafniam, venientibus auxilio sibi Hollandis, liberantur. — Hispano Regi Philippo IV. filius nascitur, qui nominatus est Thomas Carolus (**). — Anno 1661. Princeps Coloniensis ipso Annae die festo, qui fuit 26. Julii, pernoctavit hic Confluentiae (***), et honorificentissime obviam praecessit noster Princeps cum rhedis 5. aut 6., et soluta arma bellica in arce, valle, et in novis hic munitionibus; cives in armis. Altero die mane, antequam discessit Bambergam (a), denuo soluta arma bellica. — Archiepiscopus Trevir. profectus Lymburgum, ad salutandum et accipiendum praedictum Archiepisc., August. 2 (b).

---

mestici legationis Trevirensis ad Comitia electoralia Francofurti congregata. 1657. — Ibid. p. 724. sqq. exhibetur protocollum ceremoniale aulae Electoralis Trevir. in conventu electionis &c. &c. 1658.

(*) Status Rheno adjacentes pacis fructibus frui nequaquam poterant, perstrepentibus in his provinciis Gallorum et Hispanorum armis. Adversus has molestias particularibus foederibus se muniunt, et quidem jam circa finem anni 1654. Electores Trevirensis et Moguntinus, Episcopus Monasteriensis et Comes Palatino — Neoburgicus foedus inierunt (Londorpii Acta publica. VII. p. 968.

Haec unio majori ansam dedit, Rhenanae scilicet, anno 1658. conditae (Francofurti, XIV. Augusti). In hoc novum foedus coibant Trevirensis, Coloniensis, Monasteriensis, Neoburgicus, Sueciae Rex qua Dux Bremensis, Brunsvicensis, Hassus. — Foederatis partibus postea accessere et alii (e. g. Dux Wirtembergensis, Dux Biponti, et tandem etiam Elector Brandenburgicus.) Vid. Pufendorfii Rer. Brandenburg. lib. IX. §. LXV. p. 605 — Adde Du Mont Corp. diplom. T. VI. P. II. p. 237. — Londorp. VIII. p. 417. Trevirensis et Monasteriensis vero protinus novo foederi renuntiant, cum, opinione Nuntii Papalis (San-Felicii) nixi assererent, perniciosi rem esse exempli, Catholicos miscere consilia cum Lutheranis. — —

(**) Anno 1661. — Post mortem patris, Carolus II. dictus est.

(***) Supra notavimus, horum Gestorum scriptorem, coaevum esse Canonicum Confluentinum.

(a) Minus accurate in Honth. edit.: Bamburgum.

(b) Hoc anno 1661. Elector Carolus Casparus per Commissarios ad hoc negotium delegatos, Damianum Emmericum de Orsbeck eccles. Trev. Metrop. Capitularem, et Engelbertum Brocardt Consiliarium, confoederationem cum Galliae Rege conclusit, qua Archiepiscopus Trev. jus Metropoliticum et Dioecesanum in Lotharingiae tractu exercendum recognoscitur et determinatur. In specie ibidem agitur de castro famoso Monclair ad Saravum, et de hujus postrema demolitione ad instantiam Electoris Trev. executa. (Dumont Corp. dipl. VI. P. II. p. 381., ex eo Honth. III. p. 738. sqq.) Gestorum hujus temporis scriptor hoc factum silentio praeteriit. — Nihil stabile in rerum natura et in hominum arbitrio. Circa an. 1679. Ludovicus XIV. declaravit illam confoederationem nullam amplius habere vim (Honth. III. p. 797. sq.) — Tandem

Caesa virgis una persona in civitate Confluentina, bene nota Catharina, quae multos homines, non solum hic, sed et alibi decepit splendide; fuit signata in dorso, praeter acceptas virgas, cum litera T, ex civitate juxta viam Metterigs ad Crucem, Sept. 6. — Anno 1662. Parum vini crevit. Siligo satis magna. Deo gratias! — Anno 1663. Parum vini crevit; siligo etiam satis magna. — Turca hostis Christianorum inimicissimus incepit grassari in Catholicos; ideo singulis diebus institutae sunt preces.

Fr. Otto Senheim (a) Suffraganeus Trevir. pie obiit in Lacu monasterio, et sepultus Confluentiae in monasterio Praedicatorum, cujus Ordinis fuit. — Pons navalis hic Confluentiae perfectus fuit Maji 21., quae fuit feria 2da SS. Trinitatis, et transitus factus, et ego die 2da transivi et sanus reversus, Deo sint laudes! et facta etiam damna interea, sed cum jactura mercatorum. — Anno 1664. convenerunt Archiepiscopi Trevirensis, Moguntinus et Coloniensis Francofurti ad conferendum contra Turcam nequissimum. — Successit in defuncti Suffraganei Trevirensis locum Joannes Holler, J. U. D. Decanus ad S. Simeonem Treviris (b). — Princeps Neoburgensis advenit ad vallem Philippicam vel molarem, Nov. 29., discessit Dec. 2. — Cometa visus in fine Decembris et in initio 1665. (Deus det nobis pacem et sanitatem!) cum longa cauda aliquot diebus in multis locis. Secuta dyssenteria et pestis, fere in omnibus locis. Contagio namque mense Junii 1665. Coloniae Agrippinae ab una alterave domo initio sumpto, ita per vulgi incuriam proserpere et sensim crescere perrexit, ut ad

---

sub regimine Ludovici XVI. (an. 1778.) nova concordata cum Electore Trev. conclusa sunt, et conventio anni 1661. iterum confirmata est. —

(a) In Honth. edit. false: Schenen. De hoc viro sub Philippo Christophoro sermo erat. — Obiit, secundum inscriptionem sepulchralem ab Honthemio (Hist. Trev. dipl. III. p. 212.) notatam, die 11. Nov. an. 1662.

(b) Is Epternaco, Luxemburgensi solo, natus, Treviris SS. Canonum Professor extitit; praebenda academica dimissa, aliam adeptus S. Simeonis Decanus. Sub Innocentio X. Papa ad Cardinalium Romae collegium Clericus nationalis, Ferdinando III. Imper. iterum confirmante, persistens, Archiduci Leopoldo egregiam in Episcopatibus Ollmucensi, Argentinensi et Passaviensi operam navavit; pallium Carolo Casparo Archiepiscopo Roma attulit nuntius Apostolicus. Roma redux Officialis Trevirensis salutatur, et demum Suffraganeus sub titulo Fpiscopi Azotensis, in spiritualibus Vicarius Generalis et Electoris Consiliarius intimus. — Conf. Honthemium op. cit. III. p. 212.

terminum anni 1666. perseverans, Ubios Menapiosque eorum vicinos, inter quos etiamnum hinc inde gliscere incoepit, plurimos tangeret, nonnulla oppida et arva civibus, colonis, ecclesiasticis, religiosis oppido viduarit, frumentariae segetes locis quibusdam cum jactura maturescerent, quod, defectu metuque messorum et collectorum, commodo tempore demetiri nequirent. Constat enim, nonnullos arcas sepulchrales sibi tempestive apparasse, in quibus, ubi morbo affecti se ipsos opercularent, ut certius citiusque terrae mandari possent. Defunctorum designatio in urbe Agrippinatum tum typis publicata, qui solum a 23. Augusti 1665. ad finem ejusdem anni in singulis paroeciis singulatim per hebdomades annotati et sublati sunt, continebant animas 4573., id est, quasi quadrimestri spatio: quoniam, qui anterius in Junio Julioque, item clerici et religiosi, item qui deinceps primo die anni 1666. toto pestifero tempore obierunt, non comprehenduntur.

Anno 1666. grassata circumquaque pestis. — Anno 1667. dyssenteria et pestis hic Confluentiae, et circa partes Trevirenses. — Schola gladiatoria hic Confluentiae incepta, Junii 19. — Domunculae factae circa muros Confluentiae, die Bracken, ut vocantur, pro militibus; sed statim destructae et ad nihilum redactae: factum inutile. Rustici incoeperunt fodere aquaeductum Confluentiae bey der Grein apud Mosellam, per quem Mosella flueret: et hoc nihil effecit, nisi labor perditus, Junii 20. — Hoc anno incoeperunt resistentiam glaciei, vulgo Eysbrech, facere prope parvam Confluentiam; potius ut dirigeret aquam ad alteram partem. — Anno 1668. Confluentiae Capella in honorem SS. Sebastiani et Rochi aedificatur pro peste avertenda, prope ecclesiam FF. Recollectorum Ordinis S. Francisci: quod et factum est, et cessavit lues. Deo ter optimo maximo sint laudes perpetuae. — Anno eodem (a) Junii 19. altare consecratum per Suffraganeum Joannem Holler. Princeps Neuburgensis circa septimam 1668. Julii 28. cum suis Principibus et tota domo advenit Confluentiam, cui obviam iverunt Archiepiscopi (b) Trevir. aulici nobiles, qui fuerant praescripti ad hujus ingressum. Directe per pontem ex civitate ad vallem usque ipse Archiepiscopus Trevir. ei obvians, ipsum cum suis huma-

(a) 1670.: perperam in edit. Honth. (b) Male ibid.: Archiepiscopus.

nissime accepit, introducens ad aulam suam den Bau. Postquam ingressi, omnia tormenta bellica in arce, valle, civitate, aggeribus explosa pro salve; lautissime tractati. Collegia Confluentina etiam suppeditarunt et miserunt eo lectos. Discessit; aliqua tormenta bellica soluta; aliqui ex aulicis, et plures pretiosissima dona ab illo acceperunt, Julii 31. — Viae e regione der Stuben juxta Brem, et in aliquibus aliis locis ampliatae et melioratae.

Anno 1669. Candia, quae diu obsessa, a Turca capitur. Papa Clemens IX. (a) moritur, aetatis 71. regiminis ann. 2. et 6. mens., Decemb. 9. — Siccitas tanta fuit circa has partes Trevirenses, ut hic etiam Confluentiae putei nullam plane aquam habuerint. Sicuti ego ipse Joannes Kenn (*), Cantor ad S. Florinum, habui in aedibus meis, in immunitate ad S. Florinum prope Mosellam in der Wind-Mühlen dictis. Bonus satis annus; sed in aliquibus locis nimis cito advenit frigus, quod causavit aliquibus plurima damna in uvis et vineis.

Anno 1670. magnum frigus fuit, incipiens ante festum Nativitatis 1669., et durans usque ad 16. Jan. 1670. Congelatus Rhenus (et Mosella) praebuit non solum pedestribus, verum etiam equestribus, curribus, vehiculis, vehentibus vina et ligna, qualiacunque ferentibus. Jan. 11°. incepit primus transire Rhenum, deinde 12°. 13°. 14°. 15°. 16°. maxima multitudo hominum, nobiles et ignobiles, juvenes et senes, jumenta, boves et oves, et asini sat multi. Die 14°. et 15°. Jan. magister scrinarius sive tabellarius ex Valle novam mensam super glaciem in medio Rheni fecit cum suis attinentiis, id est, duplicatam: et vidi ipsum laborantem. Venditum vinum ibidem, panis; saltatum, clamatum, stramen combustum. Die 15°. Jan. pluviae aliquae fuerunt. Die 16°. Jan. valde male ambulandum fuit super Rhenum propter illam pluviam et novam glaciem. Eodem die aliquis juvenis adhuc sutor, nomine Anthonius Zeutheim, soleas novas fecit ibidem, quem et vidi. Die 17°. adhuc aliqui homines transierunt Rhenum. Die 18°. mane post noctis mediam, glacie Rheni adhuc integra et tranquilla, ascendit glacis Lahnae super glaciem Rheni,

(a) Pessime ibid.: Innocentius. — Accuratius auctor Kenn scripsisset: Clementem IX. aetatis fuisse 69.; anno enim 1600 natus erat. — Anno 1667 mortuus Alexander VII. successorem habuit Clementem IX., sed qui vix per biennium sedem obtinuit.

(*) Ut supra diximus, nomen Continuatoris horum Gestorum.

et maxima vi et multitudine, ita, ut multae naves Confluentiae confringerentur et conquassarentur. De die etiam glacies Rheni soluta aliquas naves confregit, aliquas secum sumpsit. Maxima fuit miseria aspectu: per aliquot centena imperialium damnum non fuit recuperandum.

In CobLens transeVnt rhenVM peDItes In IanVarIo.

Statim denuo frigus valde durum et acre successit. Mosellae glacies secunda vice soluta Mart. 7. — Patres Societatis Jesu Confluentiae possuerunt primum lapidem structurae novae in Collegio, 24. Mart.

Confluentiae ad S. Florinum turres duae, proh dolor! combustae ex tactu fulminis infra primam et secundam noctis horam. Campanae 4. fractae, una mansit integra, quae dedit tertium signum; vocata Florina maxima, et secunda decanalis et minima destructae. Materia, Deo sint laudes! mansit, (22. Junii). Et per octo dies vigilatum secundum ordinem inter Canonicos, ob periculum novi incendii. Duae campanae, decanalis 1700., parva 700. lib., ex arce advenerunt ad collegium S. Florini, fusae ibidem ex materia destructarum. Pro fusione decanalis sumptus exposuit D. Joannes Werll Decanus. Fabri lignarii inceperunt (Nov. 17.) laborare pro reparatione turrium ad S. Florinum. Principalis magister cognomine Wolff, hic fecit illam ad ecclesiam versus Parochiam B. M. V.; alteram (turrim) versus Mosellam, cum 269. lapidibus, fecit alius bonus et sincerus magister, quem vocant den Schweitzer ex Suicadia: nullum vinum bibit. — Hoc anno Jubilaeum universale Papae Clementis X. — Vinum satis bonum, sed parum; siligo optima et satis abundans.

Eodem anno 1670. electus est in Coadjutoren Moguntinae civitatis Episcopus Spirensis Lotharius a Metternich Burscheidt, 15. Decembr. (*).

Treviris ad S. Antonium turres combustae ex tactu fulminis; campanae destructae; materia ex parte in sepulchris reperta. Mogun-

(*) Lotharius Fridericus, ex perillustri Metternichiorum in Burscheid ortus familia, patrem habuit Joannem Gerhardum, Archiepiscopi Trevirensis. Locum tenentem, et Satrapam praefecturae Witlichiae. Anno 1673. Joanni Philippo in Archiepiscopatu Moguntino successit.

tiae monasterium PP. Praedicatorum ex parte combustum ex incuria alicujus fratris, qui non bene lumen custodivit, ultimo Decembris.

CAPUT CCCXIV.

Anno 1671. advenit navigio Confluentiam ad Vallem Princessissa Lotharingica, Januarii 18. (*).

Fabri lignarii inceperunt attrahere ligna ad turres pro campanis et tecto, Jan. 8. Campanae benedictae in templo S. Florini Confluentiae et eodem die appositae et suspensae in turrem, Jan. 19. — Magistri lignarii finem impossuerunt structurae turrium in praedicta ecclesia, Jan. 21.

Joannes Jacobus Novesius et Joannes Finger, ad S. Florinum Canonici, capitulariter missi ad alias partes, etiam Hollandiam, pro postulando subsidio ad reficiendum illatum damnum turribus et campanis, qui etiam post tres menses sani et incolumes, Deo sint laudes! reversi, praeter exposita circiter centum imperiales attulerunt. Moguntiam missi Nicolaus Adami et Joan. Jacobus Novesius, Canonici ad S. Florinum, pro subsidio petendo ratione damni, praeter exposita attulerunt circiter 40. imperiales. Civitas Confluentina et Senatus dedit 24. imperiales. Clerus promisit pro fusione facienda campanae maximae 50. imperiales.

Novum aedificium in Valle prope Confluentiam ante palatium inceptum cum cubiculis et aliis pulchris aedificiis. Puteus in arcis monte ibidem erectus cum tecto. — Capella S. Martini Confluentiae prope collegium S. Florini destructa pro novo transitu vel itinere faciendo; sed ego vidi 1673. erectum prope stabulum! Lapides et alia materialia ex maxime parte retinuit collegium S. Florini. Denuo laboraverunt milites propter Mosellae transitum; sed in vanum. — D. ab Eltz Marschallus obiit; filius ipsius ex Kempenich successit, qui et Satrapa in Meyen (Sept. 4.). — Naves aliquot transierunt Confluentiam, onustae tormentis bellicis, pertinentes ad Gallos (Decembr. 10.) (**).

(*) Anno 1670. Galli Lotharingiam occupaverant bello.

(**) Rex Galliae bellum adversus Rempublicam confoederati Belgii inire statuit. Causa haec erat: Philippo IV. Rege Hispaniae denato, Ludovicus XIV. in Belgium Hispa-

Anno 1672. initium factum erigendae turris Confluentiae ad S. Florinum versus Mosellam, Jan. 22. — Attracta ligna pro tectis praedictae ecclesiae, Mart. 3. — Crux apposita primae turri versus Mosellam, Mart. 9. — Turris prima tecta totaliter; in secunda turri inceptum attrahere ligna, 14. Mart. — Secunda turris ecclesiam divae Virginis respiciens totaliter perfecta, quantum ad ligna et caput attinet, 23. Mart. — Tectores inceperunt, 2dam turrim tegere, 29. Mart. — Primam turrim obtexit versus Mosellam magister Joannes Waltrich, ex mediis collegii; 2dam turrim Conradus N. N., ex sumtibus Principis Electoris Caroli Caspari a Ley.

Joannes Hugo ab Orsbeck, Metropolitanae ecclesiae Trevir. Canonicus, ad S. Agatham in Longviono Chori-Episcopus, et Cathedralis apud Nemetes aedis Decanus, factus Adjutor Trevirensis, Jan. 7. 1672. (*). — Aliquot naves Francicae descenderunt prope Confluentiam, et aliquot ex rubro cupro factae, variis rebus onustae, Maji 25. — In diebus Rogationum delegatus Lotharingius adfuit in Valle Confluentiae Eminentissimo Trevirensi. — Galli ad utramque turrim Confluentiae ad S. Florinum superpositi. Aliquot diebus antecedentibus famuli tectorum utriusque turris portarunt per vicos et plateas civitatis Confluentinae, et in Valle molari, Gallos deauratos in magna laetitia et gaudio ovantes, Maji 29. (**).

---

nicum jura praetendebat. Quae cum recusarent Hispani, has provincias vi subjicere sibi statuit. Hinc 1667. bellum in Belgio Hispanico Comitatuque Burgundiae (Franche Comté) conflatum. Paulo post autem an. 1668. pax Aquisgrani sancita est. — Angli enim, Sueci et Batavi ad defendendam communibus viribus Belgicam foedus inierunt, quod sub nomine Triplicis foederis est notissimum. Scilicet praevidebant facile Batavi (secundum Petavii expressionem in Rationario) Ulyssis se sortem habituros, ut, subacta, quae Hispanis paret, Belgica, ipsi devorarentur extremi. — Sed aegre id tulit, et alta mente reposuit Ludovicus XIV. — Quas calamitates occasione hujus belli, Galli provinciae et urbi Trevirensi inflixerint, videbimus postea. — Urbs nostra hac tempestate Hispanis Gallisque interjecta, semper potentiori accessura erat.

(*) Joannes Hugo illustri Orsbecciorum et dominorum a Vernich Juliacae ditionis familia, generis paterni; matre vero de Petra, Electoris Caroli Caspari sorore, anno 1634. genitus est. Et hic Joannes Hugo in Collegio Germanico Romae sedulam studiis dederat operam. Cui Collegio legatum mille quingentorum aureorum reliquit, quod beneficium quotannis alumni recolunt, solemne pro eo sacrum facientes. (Vid. Jul. Cordara Collegii Germ. et Hungar. hist. p. 183.)

(**) Haec ecclesia ad S. Florinum modo Confessionis Evangelicae templum est.

Princeps Neuenburgensis venit ad Vallem molarem, Junii 2., discessit per pontem Mosellae lautissime et pompose, comitante Electore Trevir., explosis bellicis tormentis in arce et Valle, Junii 6. — Denuo descenderunt naves aliquot Gallorum, onustae bonis pluribus; aliquot naviculae ex rubro cupro, Jun. 3. Denuo militum 2500. descenderunt navigio, ferentes auxilium Gallis, omnes rubris induti casiacis; interius subductae vestes flavo colore: selecti sane milites, quos vocant Englender ex Anglia (*), secum ferentes necessaria, oves et boves. Interfuit juvenis Princeps Lotharingicus; omnes ferme juvenes, Junii 6. — Descenderunt aliquot naves ex Rheno, onustae militibus in occursum Gallis, Jun. 15. — In parva Confluentia (**) inceperunt fortalitia facere, immediate ante vindemiam. Ibidem juxta templum inceperunt rem novam facere propter aquam dirigendam ad civitatem. — Princeps Turenne cum armada Francica locavit in Mülheim infra Coloniam, Octobr. 7. — Mola molendinaria prope arcem Erenbreitstein exstructa, quae a vento agitatur, primitus probata et approbata, Nov. 10. — Pontones vel pons navalis, velivolans navis perfecta (***) ad praebendum iter; et tunc Galli illa usi, in utramque partem visitarunt, et magnum damnum hominibus intulerunt, tam in pecoribus quam in arboribus, Novembr. 18. — In civitate Confluentina inceperunt coquere schmigma, Seif. Vallis Philippica prope Confluentiam circumdata muris.

Golz, Generalis Major Brandenburgicus, pontem navalem juxta Neuwidt, prope Andernacum, cum suis militibus accessit, sub spe recuperandi et destruendi pontis, sed spe frustratus (quia omnia vidit bene disposita, munita et custodita per Gallos) discessit (†): cum tamen postea per glaciem ipse pons navalis sit destructus in Decembri.

(*) Ludovicus XIV. non prius quievit, quam triplicis foederis nexum dissolvisset. Omnes inprimis intendit vires, ut Angliae Regem Carolum II. a Batavorum societate averteret, quod et ei, artificioso auxiliante muliebris calliditatis impulsu, feliciter cessit. Tum etiam an. 1670. in partes suas pertraxit non modo illum Regem, sed et foedere jungitur Electori Coloniensi, ac Episcopo Monasteriensi, contra Batavos.

(**) Lützel-Coblenz, e regione urbis, prope Mosellae pontem.

(***) Quam dicunt germanice: fliegende Brücke.

(†) Hocce anno 1672. foedus sancitum est Imperatorem inter et Batavos, ut et Electorem Brandenburgicum — contra Gallos. — Sed anno sequenti Elector Brandenburgicus speciali pace Galliae reconciliatur

Coloniae, circa medium noctis, juxta Rhenum in praecipua et optima apotheca, quae fuit prope templum S. Jacobi, incendium magnum fuit. Apothecarius cognomine Franck, cum foemina, prolibus, famulis et famulabus, qui sine dubio inanes in primo somno fuerunt, comprehendit, ita ut nullus ex aede illa evaserit salvus; et tota domus cum omnibus pertinentiis funditus combusta; circumjacentes aedes maximo labore et ope salvatae. Unde et quomodo incendium exortum, nescitur. Oct. 29.

Anno 1673. (*) navigarunt ex Mosella Fransmanni in 18. navibus, bene muniti et vestiti griseis vestibus, excepta una, in qua erant induti rubris vestibus, 21. Aprilis. — Fulmine tactus Rhenus, Montabaur et arx Hadamar, 24. Apr. — Naves Franciae descenderunt ex Mosella: 25. Aprilis decem, 26. Apr. viginti, 27. Apr. octo, 29. Apr. octodecim, 30. Apr. decem, 1. Maji octo, 3. Maji duodecim, 5. Maji totidem, 7. Maji septem, 8. Maji viginti quinque, 10. Maji una navis cum Primatibus, 12. Maji duodecim, 16. Maji sedecim, 20. Maji undecim, 16. Junii novem, 19. Jun. duae, 23. Jun. quinque, 10. Julii duae, 7. Aug. tres, 29. Aug. duae.

Elector Trevirensis profectus Moguntiam. Reversus in Vallem, 27. Maji. — Carthusiani novam structuram Confluentiae in Cantu avium, ut vocant, quoad ligna erexerunt, Maji 25. — Renzell, qui multa mala rusticis et aliis militibus fecit, occisus est ab equitibus Principis Trev. prope Gyrelstein, in Junio.

(*) In cod. Ms. Himmenrodensi, auctore Bootz, legimus haec ad an. 1672: „Exercitus „Gallicus priore anno amice per agros Trevirenses et Colonienses in Hollandiam pe„netrans, cum plerasque urbes terrore potius quam labore occupasset, easdemque ex „metu Caesareani exercitus, per Westphaliam Rheno appropinquantis, hoc et sequenti „anno pari facilitate reliquisset; Caesareanis per Hassiam accedentibus, Gallus quoque „Rheno inferiori inhaerens, strato super Andernacum ponte navali, Archidioecesin „Trev. invasit, Duce Turennio initio mensis Nov. hyberna in quibusdam patriae parti„bus capessente, qui postmodum Principi Condaeo cum novo exercitu e Gallia adveni„enti locum cessit, et in aliis partibus stationem fixit.“ —

„Sub finem hujus et initium sequentis anni (1673.) Galli successive vastatam pa„triam Trev. reliquerunt — sed mox iterum Trevirenses premere coeperunt. — Post „quae Galli juste veriti, ne Elector Trevir., qui liberum ipsis hactenus transitum per„miserat, consilia mutaret, urbem Trevirensem Mosellamque cum ponte, potestatis „suae facere constituunt.“ — —

Confluentiae signatus aliquis ferro adusto in fronte ob furta templorum, Jun. 21.

Navis volans Francica advenit Andernacum, Julii 2.

Ecclesiastici hic Confluentiae vexati militibus, saltem quoad hospitium et lectum: ego ipse Joannes Kenn habui tres personas ab 8. Julii usque ad 17. Decembr. 1673. (*). Mühlheim et alii pagi in partibus Trevir. ex instinctu Gallorum combusti, Aug. 26. In parva Confluentia denuo initium sumptum in laborando die Eysbrech, Aug. 30.

Trevirim Confluentini milites, aliquot centena, pro defensione ejusdem civitatis contra Gallos, bene et feliciter intrarunt, cum maximo tamen periculo, quia circumquaque observabant Galli civitatem. In qua re maximo nautae ibidem adjumento fuere, quia portae juxta pontem erant clausae, per quas intrare intenderant, Aug. 31.

Civitas Trevirensis tradita Gallis, proh dolor! cum conditionibus, Sept. 8. (**). Milites, qui fuerunt in illa civitate, navigarunt Confluentiam versus. Naves Gallorum ascenderunt navigio per Rhenum, multis bonis et pecunia onustae, cum salva guardia Principis Trevirensis, cum tamen fuerint nostri offensissimi inimici. Galli desolarunt fortalitium apud Neuwidt, 2. Oct. — Galli denuo recepti in Andernacum, ex mandato suorum dominorum, Oct. 7. — Equites ex Confluentia profecti Wittliacum, 12. Octob.

Caesareanorum militum multae naves descenderunt contra Gallos in Bonna, Oct. 31., sicuti etiam 1. et 2. Novembr. ex Rheno. — Caesareani equites (multae Companiae) profecti per pontem Confluentinum contra Gallos in Bonna, cum multis curribus; etiam pedites, 3. No. 4. et 5. — Per integros dies maxima damna pagis intulerunt, ubi diversorium habuerunt. — Bonna recuperatur, ut infra invenies, per Caesareanos milites, et discesserunt Galli in Neuss, certis conditionibus et conductu salvo.

(*) Eo tempore Treviris pauperes moniales ad S. Joannem certe acerbius vexatae sunt. In Protocollo Msto hujus monasterii legimus: „In der nacht umb 11 Uhren seyn wir mit einem Capitein samt 3 Dieneren einlogiert worden. Nachdeme alsobalt ein ander samt 2 Dieneren, der 11 Monat blieb; nachmahlen 2 andere Capitein immer zu in servis und tractament gehalten, und unbarmhertzigst gequälet worden!"

(**) Vide additamentum ad hoc caput in fine.

CAPUT CCCXV.

Dominica, quae fuit 23. Julii (1673.) Rex Galliae cum tota aula sua Theodonis-Villam venit, quo tempore etiam Mons. de Fauville, Maistre de Camp Generalis, dioecesim Trevirensem cum 20000. equitum occuparant, et castra, hora una distante ab urbe et civitate Trev., in Igell metati fuerant. Praedicta dioecesis erat exposita, et in maxima contributione constituta, una summa 120000. Imperial. petita. Praeter Sarburgum, Palatiolum infra civitatem Trevir. occuparunt et impetrarunt. Eodem modo Wittliacum; in qua civitate claves granariorum, cellarum, cistarum vi acceperunt. Abbatia Prumiensis citata in Wittlich pro certa pecuniae summa danda. Pontem in Conz Galli occuparunt, Aug. 3., supra quem, 5° hujus, ante prandium 1200. equitem iter suum habuerunt in Numagium, et sic consequenter in territorium Honstein, Baldenau et Ursicastellanum (*), ab utraque parte a Treviris; hora distante ad civitatem Confluentinam erant Galli.

Galli proficiscebantur in totam Eifliam; omnes civitates et loca ad pecuniam dandam proscribebant. Praeter intolerabilem contributionem equites Fauvillesciani (**) in dioecesi Trevirensi ad beneplacitum suum vivebant; impressiones faciebant ex loco in locum; cum subtilitate et utilitate sua ex omnibus, ex animi sententia, contributiones exigebant. Civitas Trev. ita custodita, ut ne quicquam in eam adduci posset.

Majanum, vulgo Mayen, parva civitas dioecesis Trevirensis occupata fuit (***), in qua incolae sese generosos et animosos ad oppugnandum ostenderunt. Equites 9., praeter 4. equos, occisi. Inde Galli recesserunt re infecta, timorem incolis incutientes, se cum tormentis bellicis reversuros. Sed quamvis inimicus Gallus 1500. peditum et 2000. equitum cum tribus tormentis bellicis obsidionem in animo habuisset, attamen in nullum effectum rediisset. Generosus Dux cognomine Kob cum 130. militibus, praeter cives et eo adventantes ex circumjacentibus locis homines et rusticos, decem diebus ita se defendit et sese

---

(*) Berncastellum? — (**) i. e., quos ducebat supra dictus Fauville.

(*** De hoc eventu documentum publicatum est s. t. Beyträge zur Geſchichte der Stadt Mayen. (Chronik der Diözeſe Trier, Octob. 1828. S. 601. ff.)

opposuit, ut 130. extra civitatem ex Gallis partim occisi, partim vulnerati fuerint.

Cum autem Galli, quod cum militibus certandum, vidissent, et minae illorum prope muros civitatis in contrariam partem lusissent, multi vulnerati discesserunt; sed propter damnum illis illatum in illis partibus, et circa monasterium Meinfeldiae, agros late vastarunt, 16. pagos et aedificia incenderunt.

Gallus civitatem Trevirensem, 29. Aug. (*) circa meridiem incoepit 10. tormentis bellicis juxta portam antiquam (**) oppugnare et explodere, quo die obsessi plures explosionibus suis interemerunt: omnia quae possibilia erant, et explodere et continuare, tam intra quam extra civitatem, die nocteque non cessabant. — Galli ad S. Mathiam pontem navalem procurabant, ut pars parti alterae eo facilius succurrere posset. — Galli in inferiori dioecesi Trevirensi commorantes (***) post exactiones magnarum summarum pecuniae super Rhenum transvolarunt.

Postquam fere 14. diebus Trevirenses occupati fuissent, et cum 5. adhuc vel 6. magna tormenta bellica Metis, et ex Mastricht 2000. peditum advenissent, dare deditionem sunt coacti, et 8. Sept. adhuc in civitate Trevir. praesentes milites Archiepiscopi Trevir. cum clangore tympani, funibus incensis, secundum datas conditiones Confluentiam navigarunt. Econtra ante deditionem civitatis Marquis de Rochefort uno bombardae globo in humero vulneratus, 3. supremi et plures duces et centuriones, praeter 5. usque 600 ex plebe, mortui. Civitatenses a Gallis, postquam intrarunt, dearmati sunt. Civitas campanas 8000. Imperial. redimere debebat, et ex qua multum vini et alia Metas vecta. Sed ipsa civitas 2000. peditum et 400. equitum

---

(*) False in Honth. edit.: 20. Sept.

(**) Vulgo Altthor olim dictam, de qua jam saepius sermo fuit. In Chronico Ms. monasterii monialium ad S. Joannem legimus: „Die Frantzoſen haben binnen 5 Tagen die alt „Port gantz Preſch geſchoſſen, und alles zum Sturm verfertiget. Hierdurch der Magiſtrat undt „gantze Burgerſchafft zum accort erzwungen, welcher aber nit resonabel noch vorſichtiglich ab„geloffen, ſondern allein auff des Königs gnadt und ungnadt. Nach dieſem ſeint die ſpitzfindige „Frantzoſen den 5. auff einen Freytag, welcher ware Maria geburtstag bey 6000 Man, in „die Statt, mit Sack und Pack allerfreudigſt eingezogen, undt die Unſrige allerbetrübſt hinauß."

(***) commemorantes: ap. Honth.

munita. Ante civitatem una nocte 15. Officiales, inter quos 5. Capitanei ex legione Regis, et 53. milites, sine illis qui laesi fuerant, mortui fuere. Adepta civitate per Gallos, nullus tractus vel territorium fere fuit, in quo non 600. maldra avenae, 10. ad 12000. manipulos foeni, et tot straminis dare coacti fuerint, sicuti Galli taxarunt. Muri civitatis reparabantur, munimentaque aliqua erecta, ad quae incolae strenue laborare et adjuvare debuerunt, nolentes, volentes.

Bonnae, civitati Coloniensi, Caesareani milites in formali ordine et acie pugnandi contra obsessos Gallos, 4. Novembr. appropinquabant; eadem die strenue oppugnabant equites, qui pedites comitabantur, et ad muros civitatis equitabant. Ultra centum quidem explosiones factae, sed tamen ita feciliter successae, ut ne quidem unus mortuus manserit; solummodo unus magister vigiliarum ex Lotharingica campania in pede laesus fuit, et duo equi globis interfecti.

Generosus Werdtmüller nocte prima usque ad valvas laboravit; simili modo caeteri appropinquaverunt, ut Hispani et Hollandi, qui erant in altero latere, ut eo melius ipsis possent resistere. Caesareani per civitatem Confluentinam iter habuerunt, et profecti per 4. continuos dies, et in abundantia sarcinas secum habuerunt, causantes plurima damna in hominibus et agris et horreis. Quarta die post, excellentissimus Generalis Comes Montecuculi cum aliquibus legionibus equitum in Sinzig prope Breyssiacum subsecutus, ubi castra praecipua habuerunt, et cum Principe in Orania, apud quem etiam Generalis Hispanicus fuit, concilium habuerunt.

Obsidio civitatis Bonnae interea temporis vehementissime continuata, et locus iste cum 36. tormentis bellicis explosiones sustinuit, inter quae aliqua gravia, Confluentia 10. venerant. Die 11. Nov. de nocte ab Hollandis primus impetus fiebat, et mediam lunam recuperabant; sed aliqui occisi sunt; inter supremos Officiales Comes etiam a Königsmarck lapide aliquo in capite laesus occubuit.

Injectae quidem aliquae bombae, sed sine effectu aliquo, quarum una in templum S. Remigii cecidit, in quo altare unum, omnia vitra et scamna destruxit. Die 12. hujus de nocte impetus secundus, contra quem tres minae in paratis erant, subsecutus est; sed obsessi, postquam Caesareani praeter Hollandicos stellae portam et tria for-

talitia potiti erant, post obsessionem 7. dierum, sese dederunt, et statim 200. milites (*) pro unius fortalitii munitione in civitatem admiserunt. Obsessi duabus noctibus continuis in turri sublimi exposuerant lumina, liberationemque exspectarant; sed Generalis Sporck cum 6. vel 7000. equitum de nocte, stantes Gallos usque Novesium et Kayserswerth regredere coëgit.

Lunae 13. Novembr. Galli et Colonienses, fortes 1200., erectis vexillis, tympanis sonantibus, 2. bellicis tormentis et suis sarcinis Bonnam reliquere, quibus Novesium versus salvus conductus est datus: ex Germanis multi nomen militiae dederunt apud Caesareanos. Ante civitatem, in unum cum laesis et vulneratis, non ultra 280. sunt perditi. Suum diversorium ibidem excellentissimus Marquis de Grana cum toto suo exercitu habebat. In eadem civitate, praeter multa victualia et munitiones, etiam 10,000 (**) militum togas, caligas, calceos et ocreas invenerunt. Aula et cancellaria Archiepiscopi vigilia una custodita (***).

CAPUT CCCXVI.

Anno 1674. (†) mense Aprili, Patres Carthusiani Trevirenses venerunt Confluentiam, quia ipsorum claustrum atque ecclesia ruinosa et destructa erant (††), Cecidit eversumque est nobilissimum, etiam splendidissimum S. Maximini monasterium PP. Benedictinorum: monachis ibidem indicatum erat, quatenus salvas campanas servare vellent, absumerent ex turribus, alioquin evolandas etiam in aërem cum turribus (†††). Hoc monasterium prima sui ortus initia a Constantini

---

(*) In Honth. editione non legitur: milites, et perperam additur: in regimine.

(**) Ibid.: 30,000.

(***) Conf. Theatrum Europ. XI. p. 348.

(†) False in ed. Honth. annus 1673. notatur.

(††) In historia Msta antiqnae et novae Carthusiae S. Albani haec vastatio exhibetur his verbis: „Furibundus miles aliudque vulgus rapax ingentes arietes „admovit, et intra paucos dies totum dejecit Eremum, ut vix quidquam nostris deferre „licuerit. Nec ex ampla illa structura quidquam superest, praeter unicam partem cellae „vinariae solo paulisper supereminentem. — O furias orco dignas! Nostri igitur, cum „in Carthusia, ubi caput reclinarent, deesset, in alias Provinciae domos ad hospitan„dum missi sunt.“ — —

(†††) Hujus ecclesiae et monasterii ruinam graphice descripsit in suis Msstis, oculatus

palatio in sacram aedem claustrumque Deo dicatorum hominum verso, ducit (*). Jacet dirutumque est vetustissimum quoque D. Paulini Canonicorum collegium, aedem sacram multasque circum domos complexum. Uterque locus sanctorum hominum monumentis, et hic inprimis ossibus reliquiisque sanctorum Martyrum sub Rictio Varo occisorum plenissimus, exteris et incolis venerandus, et quotidianis fere processionibus hominum, Deum in Sanctis suis venerantium, adiri solitus. Etiam non puduit Gallos, pausationes sanctas, a quibus Barbari manus continuerunt, imo Sanctorum ossa et reliquias tali modo profanare et inhonorare, ut etiam Vignorii milites pedibus calcaverint, etiam invicem projecerint, et sese mutuo illis verberaverint, proh dolor!

(**) Excisum est funditus monasterium S. Barbarae, Patribus Societ. Jesu sustentandis attributum (***), et aliud religiosis Virginibus ad pontem Leonis jam olim vindicatum; postrata est funditus amplissima Carthusianorum Patrum habitatio, praeter ecclesiam plures domos complexa, quam Balduinus, quondam eximius Trevirorum Princeps, suae monumentum pietatis excitarat. Aedes S. Antonii in speculam (†)

---

harum rerum testis, Alexander Henn. Ex his opusculis, usque huc ineditis, id quod nobis maxime memorabile visum est, ad hoc caput in additamentis apponimus. Primi titulus est: Ephemerides Trevericae obsidionis per Gallos ab Augusto an. 1673. Alterum inscripsit: Excidium vere horribile, hoc est, Historia excidii monasterii S. Maximini O. S. B. prope Treviros sub Maximino Abbate, anno 1674. conscript. ab oculato teste F. Alexandro Henn, ejusdem coenobii religioso et postea Abbate. Tertii haec inscriptio: Excidium ecclesiae S. Paulini a Gallis illatum anno 1674. (Codd. mss. bibl. Trev., N. 1253. et 40. sig.,).

Hic vir egregius dolore tot hostilium eversionum, sui maxime coenobii, motus, calamum acrius in Gallorum militem et Officiales strinxit, accuratus de caetero tristium illorum fatorum narrator. — Archivii non minus quam fabricae sui monasterii restaurator Abbas Henn, defunctus est anno 1695., ingenti sui apud suos aliosque relicto desiderio. (V. Honth. Hist. Trev dipl. III. p. 227.)

(*) Scriptor Kenn, Confluus, hic Reichmani Auctario ad verbum usus est. Vid. additamentum ad cap. 314. —

(**) Et haec, quae nunc sequuntur, transcripta sunt ex laudato Auctario; sed quandoque minus accurate.

(***) Vid. cap. 300.

(†) Male ap. Kenn: speluncam. — Capella S. Antonii Eremitae filialis (canonice annexa) fuit ecclesiae B. M. V. ad pontem. Perrexit haec ecclesia, extra muros sita, esse parochialis usque ad annum 1519., quo anno initium est ecclesiae parochialis S. Antonii intra muros. Vid. Nellerum de Burdecanatu Trev. p. 17. sq. —

conversa, Uhrana (*) flammis consumpta; pluribus et monasteriis et ecclesiis destinatum exitium, nisi author malorum, Petrus Comes de Vignory urbis Gubernator a Gallorum Rege impositus, in ipsa machinatione (**) praeceps, fracta cervice occubuisset, finemque nocendi morte sua fecisset.

CAPUT CCCXVII.

Galli ab illo tempore non solum decem munimenta perfecerunt, sed et praesidiarios milites 3,500. inibi munierunt; aedificia circum jacentia destruebantur. Tum temporis in civitate Berncastel erant viri circiter 400., in castello 100., quod bene munitum fuerat. Tractus in Baldenau trecenta maldra avenae et 90,000. libras foeni Treviros advehi curare cogebantur; e contra in Wittlich tum temporis sua ablata pecora redimere noluerunt, in qua civitate jam Caesareani equites commendati; auf dem Hunßbuckel (***) 150. excursores obviarunt sibi invicem strenue. Hispani ex Luxemburgo 150. captivos acceperunt; etiam totam companiam cum Capitaneo et Signifero, volentes Theodonis-villam tendere, obviam secum Luxemburgum duxerunt (†).

Palatiolum juxta Mosellam prope Trevirim, quondam a Rege Dagoberto ejusque filiabus habitatum, muris et munimentis spoliaverunt et dejecerunt Galli.

Sole splendente, die Purificationis, nix major erit quam ante: hoc vere factum hoc anno; nam major nix et frigus fuit, quam ante, et duravit usque ad festum S. Mathiae, qui fregit glaciem (††).

Galli ex civitate Trevirensi denuo cum forti manu peditum et equitum Welſchbillig versum propter victualia; sed per Caesareanos aliquo modo impediebantur, 5. Febr. Ex duobus aliis pagis 50. pecora et

---

(*) Ap. Kenn minus recte: Olivana. (**) Ibid.: machinativa.

(***) Vulgo Hunicum dorsum, seu dorsa et montes Hunnorum, Hunsrücken.

(†) Quae jam sequuntur in textu scriptoris Kenn, usque ad verba: Palatiolum juxta &c. &c. &c., perperam hocce loco interposita sunt. Haec enim ex Reichmani Auctario transcripta textus noster capitis sequentis habebit; quaedam etiam in Additamentis nostris, ex Auctario ad caput 314. relatis, leguntur.

(††) De anno 1674. loquitur scriptor.

reliqua obviantia abstulerunt, 8. Febr. — Ex Confluentia Luxemburgum milites profecti 2050., Febr. 11.

Galli ex civitate Trevirensi exiverant, 300. equitum fortes, propter aliquot pagos circa Zellam, qui contributionem suam recusarant, incendio consumere; sed cum de nocte in Peters-Waldt, ut nominatur, pervenissent, a Caesareanis, illis obviantibus, ita salutati sunt, ut plures male vulnerati, et non pauci in nive mori debuerint: ex Caesareanis etiam aliqui morte interierunt, aliqui sauciati redierunt.

Serenissimus Princeps Oraniae (*) Principi de Conde, honorarii loco, 4000. omnis generis arbores, non communes, sed singulares transmisit, quas Chantillas in suo horto plantaret. E contra Serenissimus Princeps de Conde navem, in qua fuerant arbores ex Hollandia transmissae, vino Champagnisiensi onustam remisit.

Cum Princeps Wilhelmus de Fürstenberg (**), die Mercurii 14. Febr. à prandio circa 4., Coloniae ad S. Panthalionis monasterium visitandi causa, rheda ire vellet, infra antiquum murum et S. Mauritii coemiterium ab incognitis aliquibus, numero viginti quatuor, qui retro S. Mauritii templum vigilantes exspectarunt, in platea publica in illum inciderunt; etsi isti, qui assidebant, tres personae in rheda, nempe Secretarius nomine Berget, Comes de la Marca, et Chevalier Cort nominatus, et alii adhuc ipsius manuenses, scilicet duo Heuducenses (***), et pedissequae, qui bene provisi gladiis et pistolis erant, fortiter resistebant; ita etiam, ut non solum unus ibidem praesens Granensis ex Bonnâ (†) vulneratus ibidem occubuerit, postea statim in domo aliqua juxta S. Reinhardi monasterium mortuus; etiam Marquis Hoviz graviter ad mortem usque vulneratus. Accelerantes ergo magno cum impetu irruebant ad rhedam, illos in illa sedentes, et

---

(*) Uraniae: in Honth. edit.

(**) Eo tempore Maximilianus Henricus, Dux Bavariae, Archiepiscopus et Elector Coloniensis erat. —

Haec captivitas Principis Wilhelmi, qui Gallorum Regi potius, quam Leopoldo Imperatori favebat, fusius describitur in Theat. Europ. Vol. XI. p. 489. sqq.

(***) Vulgo Heyducken.

(†) „Dergeſtalt, daß nicht nur ein Graniſcher darbey geweſener Lieutenant aus Bonn auf dem „Platz blieben, ſondern auch der Obriſt-Lieutenant des Graniſchen Regiments Marquis Ho„witzky tödlich verwundet worden." (Theatr. Europ.)

quidem vulneratos, usque ad Principem ipsum extrahebant, rhedam ad S. Mauritii templum regredi curabant, et ad portam Gallorum vehebant, in praesentia circiter 13. aut 14. armatorum hominum, sine resistentia, per vigilias velociter extra civitatem; cum tamen ante portam et in plateis, per quas ipsis eundum esset, plures alii, et quidem equites exspectarent, ut praedictum Principem, qui solus fuit in rheda, eo velocius abducerent, et sic ex mandato Caesareae Majestatis Viennam adductus: comitatus ipsius fuit 2. in 300. equitum.

Dominica Martii 25. Galli Treviris, propter adeptam arcem Gray in Burgundia (*), triumphabant, tormenta bellica explodebant. Omnes ecclesiastici, cum certa poena emansionis, congregabantur in summo templo ad cantandum solemniter Te Deum laudamus! — Sequenti die, circiter horam octavam pomeridianam, incedebatur pagus, Platten nomine, a Gallis Trevirensibus, et incinerant 7. aedificia, in quibus etiam pueri combusti. Rusticos octo captivos, equos et pecora secum abduxerunt. Ex Wittlich quidem Caesareani insecuti, sed nihil effecerunt.

Pars pontis navalis ex Bonna advenit Confluentiam, Maji 9. et 13. Caesareanorum militum aliquot (1800.) descenderunt navigio ex Rheno, Junii 4. 6. — Dragones Domini a Reiffenberg (10. vexilla) per civitatem Confluentinam profecti, magnum damnum attulerunt pago, qui dicitur Crufft, pertinens ad monasterium Lacense, Julii 10. Colonienses milites (10. vexilla) ascenderunt navigio per Rhenum ex prato, quod dicitur Schardtwies, et per civitatem Confluentinam intrarunt: denuo naves ante civitatem. — Zantenses milites Luxemburgo reversi Confluentiam, Aug. 5. — Pontes duo Caesareani Confluentiam venerunt; 20. equi illos traxerunt, Aug. 11. — Pons navalis erectus in Lahna, Aug. 15. — Equitum aliquot millia et peditum per civitatem profecti per pontem navalem ex Valle, Aug. 16. — Caesareani vero

---

(†) In provincia, quam dicunt Franche-Comté, Dux de Navailles hanc arcem die 28. Feb. 1674. occupaverat. —

Eodem tempore poeta Mariotte in gloriam Ludovici XIV. hoc distichon adulatorium composuit:

Una dies Lotharos, Burgundos hebdomas una,
Una domat Batavos luna; quid annus erit?

milites in prato parvae Confluentiae, die Schardtwies, pernoctaverunt in suis tentoriis — 4. millia (*) per civitatem secuti sunt alios, Aug. 17. — Naves reliquae navalis pontis Bonna Confluentiam venerunt, Sept. 6. et 14. — Ex civitate Confluentina et ex arce Erenbreitstein Treviros milites profecti, Nov. 11. — Ex Bonna 7. tormenta bellica navigio Treviros vecta, Nov. 13.; sic et munitio, glandines, pons navalis Treviros missa, Nov. 15. — Ab initio Decembris milites, tormenta bellica, pons navalis, proh dolor! Treveris reversi, re infecta, cum maximis expensis.

Carolus Casparus a Petra

Archiepc. Elector Trevir. (**)

Sum petra (***) non moveor, stabili domus Austria nexu
Me ligat: incassum gallica cantat avis (a).
Sum petra, petrino non crescunt lilia fundo (b),
In petris aquilae nidificare solent.
Deserat Austriacum Germania tota Monarcham,
Carolus Austriacae spes erit una domus.
Ferrea (c) non frangunt, non flectunt aurea petram:
Caesaris illa fuit, Caesaris illa manet.
Obruat, infestet, disturbet singula Gallus (d);
Petra manet fixo, quo stetit ante, loco (e)
Nulla salus Gallo, per Gallum perdimur omnes;
Sub Gallo nullus vivere Theuto potest.
Libertas Germana jugum perferre recusat;
Sed nisi praevenias Theuto, vasallus eris.
Vera loquor, sed quis credit (f)? vix audior ulli:
Quae mala jam perfert patria, Theuto parat (g).
Quod si conjunctis Alemannia (h) viribus hostem
Impeteret, dudum Gallia nulla foret.
Nunc quia divisis ruit in contraria votis,

(*) 40. millia: false ap. Honth.

(**) Hocce loco interponitur carmen, quod sensum Caroli Caspari circa belli statum colore forti exprimit. Horum 34. distichorum auctor vero est Franc. Xav. Trips, Pastor in Honneff in Ducatu Bergensi, anno 1679. —

(***) Allusit poeta ad nomen von der Leyen, sive de Petra (Lay),

(a) dulcia Galle canis: lectio ap. Honth. (b) solo: ibid.

(c) Al. false: Terrea.

(d) — Obruat, invertat, disturbet et omnia vertat: — ap. Honth.

(e) — quo fuit ante solo. — Ibid. (f) credat: Ib.

(g) — perfert, haec sibi Theuto parat. Ibid. (h) Allemanniae: Ib.

Theuto suam proprio provocat ense necem (i
Ecce Ratisbonae quot (k) consultatur ab annis!
Haec consultandi quis, rogo, finis erit?
Est consultandi modus optimus, ensibus uti:
Consilium veterum quod fuit? ensis erat.
Quomodo Quinte tuas auxisti Carole palmas?
Consilium Augusti semper in ense fuit.
Hinc (l), Leopolde, tuam tandem quoque stringe machaeram;
Namque est consiliis, cum domus ardet (m), opus?
Ecce per Imperium latius (n) modo flamma vagatur
Gallica, quid longas nectimus ergo moras?
Frustra consulitur, jam consultando perimus (o);
Si quae (p) spes nobis restat, in ense latet.
Nostra facit tumidum languens vecordia Gallum,
Ut, quaecunque jubet, mox quoque facta velit.
Germani Proceres, quantum distamus ab illis,
Qui fuimus quondam? vah, meminisse pudet!
Invicti fuimus, Gallis Gothisque timendi:
Fabula jam mundi ludibriumque sumus.
Vendita (q) libertas, distracta potentia, Caesar
Pauca potest; veteris vix manet umbra status.
Ridet ad haec (r) Gallus, quid mirum? Gallia nunquam
Nobilius palmae tempus habere potest.
Quo virtus germana? fides quo prisca recessit?
Ergone, qui spernit lilia, solus ero?
Fidus ero, dum vivus ero, mihi lilia foetent
Tu, Leopolde, mihi gloria solus (s) eris!
Pro Leopoldina vivam moriarque salute;
Nil, Ludovice, tuas aestimo, Galle, minas!
Expugna Treviros, villas pagosque, domusque
Destrue, non moveor (t), non ero, Galle, tuus.
Exul ad Austriacas malo discedere (u) terras,
Quam subiisse tuum, subdole Galle, jugum.
Galle, potes patriam, potes eripuisse Mosellam;
Fac quoque (v), quod praeceps ira furorque jubet.
Omnia despicio: me nec jactura bonorum,
Nec movet in nostram stricta machaera necem.
Sum meus, imperio liber (w), sub Caesare Princeps;

(i) Al. — sibi propriam &c. (k) quod: ap. Honth. —
(l) Heus: ibid. (m) Non est cons., cum domus addet &c. ib.
(n) — jam dum: ibid. (o) — — cum consultando peritur: ib.
(p) — qua: ib. (q) Al.: Victa est &c. &c. (r) adhuc: ap. Honth.
(s) cordis eris: ibid. (t) morior: ib. (u) divertere: ib.
(v) Fac ea: ib. (w) Sum meus Imperii liber sub: ib.

Cur sit is alterius, qui suus esse potest?
Si peream: pulchrum est, cum libertate perire;
Non perit hic falso, qui ratione perit (x).
Si peream: Germanorum torpore peribo,
Protexisse suas, quos decuisset, opes (y)
Sed (z) peream, pereat mea patria, malo perire
Omnia, quam domino perfidus esse meo.
Mens mea sincera est, et Caesaris ardet amore;
In me nil minimum (aa) Gallia juris habet.
Cetera committo Superis, qui, quando putantur
Omnia jam prorsus perdita, saepe juvant.

CAPUT CCCXVIII.

Anno 1675. Damianus Hartardus de Petra, summi templi Treviris Praepositus, et Principis Electoris et Archiepiscopi Trevirensis frater germanus (*), consentientibus omnibus Capitularibus summi templi, in Archiepiscopum Electorem Moguntiae electus, Julii 3., deinde in resistentiam S. Martini aulam ipsum comitati sunt. Postea a Caesareae Majestatis Legato, Barone de Sternabergs, etiam a Resistente de Landtsee, sicuti etiam ab aliis Legatis, Praelatis, Comitibus et aliis Officialibus Equitibus gratulatum fuit. In actu ipso Caesareani et Moguntinenses milites tribus vicibus explosiones fecerunt, clamantes: Vivat Damianus Hartardus, cui Deus ter Opt. Max. regimen bonum vitamque longaevam (**) dare dignetur. Amen!

Episcopus Eicstetensis venit ex electione Moguntinensi Confluentiam, Jul. 7. — Discessit solatis tormentis in Valle et arce, 9. hujus.

Lotharingici equites per Confluentiam ad canis-tergum, circiter 3000., profecti, Jul. 19.

(x) Hoc distichon ibidem desideratur. (y) Praevenisse sua q. d. ope: ibid.
(z) Si: ib. (aa) minimi: ib.

(*) „Hoc memorabile ducendum (scribit Joannis Rer. Mogunt. I. p. 978.) quod uno tempore duobus archiepiscopatibus et electoratibus duo ex eadem gente praesules, iique fratres germani, praefuerint; quod nescio an cuiquam familiae ex illustri nobilitate contigerit.“ —

De hac familia illustri Rhenana scripsit plura Masenius in dedicatoria Annalium Trev., ad Carolum Casparum.

(**) Obiit autem morte immatura d. 6. Decembr. 1678.

(*) Gubernabat suprema in milites civesque autoritate urbem (Trevericam) Petrus Comes de Vignory, ferocia sua, Belgica jam ante gubernatione, celebratus, et plerisque suorum etiam, ut metuendus, ita ingratus, qui desipere illum prae furore in pluribus, insanumque palam etiam jactabant.

Muniendae tamen urbi expeditum in paucis ingenium attulit, quo intra anni mensiumque aliquot spatium, ita urbem, in quadro poene sitam, propugnaculis, vallis, fossis loricisque, atque ingenti palorum circuitu inclusit: civibus, milite, rusticisque quaquaversum ad laborem coactis, ut alia jam prorsus a priore urbs esse videretur.

Reductiones (**) (ut munimenta in medio campo excitata vocant) extra urbem tres, turri, valli, propugnaculis fossisque grandibus, ac palis dense lateque fixis, munitae erant. Quarum una lateritium (***) Mosellae pontem versus occidentem trans aquas tuebatur; altera versus meridiem dirutae propinqua Carthusiae; tertia septentrionem spectans perfectissimo opere ad ruris inclinati planitiem comparata erat, ac subterraneo curriculo, etiam machinis aeneis pervio, adiri ex urbis fossa poterat, expugnatu, ob diversa valla armatosque receptus, difficilis; illa vero urbis facies, quae orientem spectat, praeter ingentia duo in moenium flexu cornua, semilunatum in medio propugnaculum, maximis inclusum fossis, vallisque et recessibus egregie munitum lateque expensum continebat, quo hostem, ex vicinis montibus reductibusque atque amphitheatro inde ubi maxime formidandum urbi, arceret.

Haec munimenta dum instruit, impedimenta simul omnia, quae videbantur defensioni officere, submovet: sic quatuor in propinqua monasteria, quae erant singula intra curulis machinae jactum (†). — Illud

---

(*) Quae nunc usque ad finem capitis 319. sequuntur acta belli in urbe Trevirensi, scriptor Kenn ad verbum exscripsit ex Reichmani Auctario. Quae sequentibus in hoc Austario antecedunt, in additamentis ad caput 314. exhibuimus. Nec Kenn, neque hoc loco Hontheim Auctarii mentionem ullam faciunt. —

(**) Redouten.

(***) Quare Mosellae pons lateritius hic nominetur? nescimus. Pars extrema pontis ad occidentem, tum adhuc exstans, vel etiam totius pontis fastigium lateritii operis videtur fuisse. In Honth. editione deest lateritium; legitur autem ap. Masenium, et in ipso Reichmani Msto.

(†) Vid. supra cap. 316., et additamenta ad hoc caput. — Hoc loco, usque ad verba, Ipsi Gallorum &c. &c. quaedam desunt ap. Honth.

maxime admirandum, quod nihil horum, vel quicquam obsessis profuerit, aut obsidentes ex sua destructione remorari visum sit. Neque enim modo, neque alias, aperta vi oppugnata urbs ab his partibus hosti patuit, semper ab illis collibus, ubi nihil horum interjacet, impetita. Galli ipsimet, qui Carthusiam sibi pro sede delegerant, hinc tamen ad vicinum collem egressi, vim omnem admoverunt. Ut nil nisi furor et nocendi libido fuerit, tantis sacrorum profanorumque locorum ruinis, urbem, natura loci immunibilem, contra exercitum vimque grandiorem, ceu invincibilem firmare voluisse. Ipsi Gallorum Proceres hominis impietatem detestabantur, Regemque male ab illo de his rebus instructum sentiebant. Praecipuus urbis Praelatus, qui pro Principe in sacris aderat, amice tot aras destruentem Sanctorumque monumenta effringentem monuit: nunquam impune sacra haec vialata esse; cui respondit: Viderit Rex cujus jussa exequor. At plerique haec Turennio, qui ex propinquo consilia auxiliaque suppeditabat, imputabant. Quem eodem tempore, idem, quo bini hujus urbis Gubernatores cecidere, exitus involvit (*); observatumque est, intra annum plerosque hic praesentium Tribunorum, ut Fourille, Coulange, Bandeville aliosque succubuisse.

Defuit sane homini consilium in multis; neque enim militem, neque machinas bellicas, tot propugnaculis, in tam vasta urbe defendenda, pares exspectari ab illo, neque valles collesque aequari poterant (**) Magna itaque inquietus homo molitus, sed parvo suorum commodo fuit. Cuniculis pyrio technicis suffossa pleraque, sed frustaneo opere, et in Gallorum magis, quam hostium perniciem verso. Quemadmodum vero suis ipse machinationibus a Deo justo vindice fulminatus occubuerit, deinde patebit.

Fatale tempus et urbis restituendae et hominis evertendi praesentire visus est. Quandoque enim velut trepidus, aliasque ut furens, cum de obsidione instante ageretur, mutari in varias formas, sibique parum constare compertus est. Utque dissimularet angorem animi, vix potuit, quanquam de hoste adventante contemptim admodum et

(*) Anno 1675.

(**) Et hic rursus plura ex arbitrio omissa sunt in edit. Honth.

inter suos loqueretur, et literas ad Crequium militis subsidiarii ductorem daret, quae interceptae exercitus Caesarei Ducem Georgium Wilhelmum, Luneburgico-Cellensem Principem, cum fratre Ernesto Augusto Osnaburgensium, qui junctis copiis et imperio exercitui praeerant, magnopere acerbarunt stimularuntque ad maturandam vindictam.

Is quarto Augusti die 1675. octodecim circiter armatorum millibus eminus coepit urbem cingere, quinque Gallorum millibus defensam. Illis postea accessere Hispani Duce strenuo Louvigny, ac deinde fervente expugnatione mille circiter Moguntinensium ab Electore submissi. His Mareschallus Franciae de Crequi subventurus, novem, decemve, ut plurimi credunt, millium exercitu, properabat: quae causa, cur obsessuri velut otiosi subsisterent, nondum formatis ad expugnandum castris, sed plerique extra teli jactum haererent, speculaturi qua parte hostis, inter Mosellae et Sarae flumina procedens, aggressurus esset. Interea tamen pons Mosellae impositus infraque SS. Martyres fixus, suisque munimentis conclusus est, ac tormenta bellica educta de navibus; stationes ad oppugnandam urbem delectae, ad orientalem urbis plagam montemque Martis ac colles vicinos, prudentique Cellensis Principis arbitrio istic jungere vim jussi, ut ceteras urbis reductiones et ingentia opera frustranea redderent, sociatisque fossis et murorum ruinis quatuor maxime locis destinatis, auxilio sibi invicem contra erupturos adessent.

Equitatus Luneburgici pars maxima ultra Mosellam, oppositus S. Mathiae coenobio, in Uhren (*) substitit, ut, si forte hostis Mosellam alicubi vadabilem cum equitatu transisset, aditum pontis occluderet. Cum his, equitatus Gallorum egressus urbe, altero statim die velitari coepit. Sed quod utrimque, praeter turmas in campo explicitas, a tergo latenter structae insidiae, neutra pars aliam insequendo pressit; illi tantum aeneis aliquot ex S. Mathia machinis sunt petiti, paucorum, sed tamen Magistri equitum laesione. Intra urbem tormentum grandius explosione ruptum balistariorum praecipuum sustulit. Sexta Augusti Curens pagus, ad radicem collis Pauliniani situs, ne obsidentibus serviret, a Gallis inflammatus est. Septima die aqua saliens urbis

(*) Vernacule, Euren.

canalibus fontibusque subducta est, ac denique et aquaeductus ultro a Gallis, in fossis praecisus, ne subintrantibus serviret. Quia vero rumore vano sparsum, Caesareos irruptionem ad Mosellam juxta domum Teutonicam meditari; cives, religiosi clerusque omnis, et quotquot labori idonei essent, sub poena laquei, ad propugnaculum istic novum erigendum evocati sunt, diu noctuque alternata inter hoc opera (*). Quod tanto rigore mandatum est, ut carnifex arbori cum laqueis in manu adsisteret; suspensurus ex tempore laborem detrectantes, aut suspendendus ipse, si cunctaretur. Cumque senator quidam imperatum non implesse laborantium numerum crederetur, repente is praeceps crinibus ad suspendium raptabatur a militum operumque praefecto; donec mox intercedentibus aliis compertum, postulatum numerum ab eo exhibitum fuisse: idemque periculum scribae civitatis filius, ad S. Simeonem Canonicus, interpositis plurium precibus vix declinavit. Matresfamiliae cum infantibus, et duo in singulis monasteriis Religiosi ab hoc labore exempti, tum Patres Societatis (**), quod ante

---

(*) Hujus propugnaculi ad S. Martinum ichnographiam vide in Wyttenb. Geſch. von Trier. Th. V. S. 140. — Conf. cap. 324. — Plura sequentia iterum desiderantur ap. Honth.

(**) In impresso ap. Masen. haec interponuntur, quae in Msto desunt: „(non sine „invidia et obtrectatione aliorum)."

Hic favor pro Jesuitis aliter explicatur in aliis hujus temporis Mstis. Liceat hic quaedam addere ex Msto Maximiniano supra notato, in quo exhibentur Ephemerides Trevericae obsidionis per Gallos ao 1673. ab Augusto.

„Exhaustus interea (inquit scriptor) „miser clerus intolerabili illa tributorum ex- „actione, aliquam jam dudum ex aula Regia expectabat moderationem. Verum apud „Mahometem feliciores sacerdotes! Nova iterum iterumque nova imperantur tributa. „Impetraverant vero Jesuitae (intercedente Regis Confessario De la Chaise, qui magna auctoritate florebat) Carthusianique (hi tantum ex parte) „subdole a Rege ab „exactionibus exemptionem. — — Et praeter solita onera, licet intolerabilia, exigitur „summa 21,738 Rlr. persolvenda loco Jesuitarum. — Anno 1674. 20. Januarii cle- „rus militari executione coactus (nam soli nostro monasterio 60. pedites, 40. equites „executores erant deputati); pro Jesuitis ac Carthusianis restantias, ac prima hora, „solvere compellitur. — Solo nostro monasterio pendente, extra solitam propriam „taxam, ad 600 Rlr. — — Exspectaverant hactenus Franci, quo extorquerent nummos „istos Jesuiticos, exigere sanguinem Januarii a clero. Verum illis persolutis, mox „ad subitaneam elapsi mensis (Januarii) persolutionem, contra datam fidem, cogimur, „additis etiam accessoriis Jesuitarum quotis! — — Haerebant hucusque deputati nostri „Neander et Ludovici in secundum jam mensem Parisiis, aditum ad Regem ne- „quicquam exspectantes, nequicquam etiam per Cardinalem de Bouillon, ac Nuntium „Apostolicum sollicitantes, id demum responsi tulerunt: Si quid effectum vellent,

biennium hi contra Galliae Regem in urbe arma non susceppissent. Sed breve Manlianum (*) hoc imperium Deo disponente fuit.

Octava enim die (**), quae S. Cyriaco sacra est, cujus ante annum reliquias templo destruendo subtraxerat, Gubernator Vignorius exitium parabat S. Mathiae monasterio et D. Virginis ad Martyres. Utrumque D. Benedicti est, et ad Mosellam; illud supra, hoc infra urbem, extra grandioris tormenti jactum collocatum: quorum hactenus salus aere redempta. Haec igitur cum flammis injectis hosti statuisset eripere, ad S. quidem Mathiam sub noctem magno numero stipatus incessit. At cum jam a Caesareis occupatum munitumque excubiis et propugnatoribus comperisset, recepit ad urbem sese, non absque discrimine, cum a suis excubitoribus, immemor datae abs se tesserae, pro hoste habitus, solutis sclopis exciperetur. Admissus denique, cum nonnihil quievisset, ultima noctis hora inter tenebras ad forum pergens, peditum equitumque vim magnam consequi jubet, et Mathiae, ait, monasterium ab hoste praereptum est. Diabolus me hinc auferat, nisi Martyrum monasterium occupem evertamque! Progressus ad S. Simeonis portam, in ponte exstructi a se propugnaculi, equus, cetera mansuetus et obsequens, reluctari, nec velle ultra progredi (***). Cui impellendo dum ferocius calcaribus admotis agit, intereaque ex propugnaculo Maximinianis opposito tormentum in hostem, foris propius adversus excubias nostrorum instantem, laxatur; equus, velut fulminatus, ex ponte in fossas averso casu devolvitur, et pectori Vignory ephippio medio totus incumbit eliditque, fractis novem costis, praecordia, capite etiam ad

---

„Principem Trevir. disponerent, quo ipse supplicibus ad Regem litte„ris veniam sibi suisque deprecaretur; tum, non aliter, gratiam a Rege „sperandam. Verum cum id contra Principis, usque adeo a Francis laesi, tum „auctoritatem, tum etiam generositatem esset, potius patriae totius, quam illius jactu„ram facere voluit Archiep., maxime cum et alius hic lateret anguis in herba. Ergo „sub finem Febr. (1674.) deputatus cleri (Neander), et sub principium Martii Ludovici „(dep. urbis) revertuntur, uterque magnis factis expensis absque ullo effectu.“ — Vid. etiam additamenta ad caput sequens.

(*) i. c. severum. (**) Augusti.

(***) Chronicon Ms. germanicum monialium S. Joannis habet: „Damahlen ein „sehr großes Donnerwetter sich erreget.“ —

lapidem contuso. Equus salvus et integer, homo repente extinctus: miserabile exemplum contra Dei Sanctos pugnantium, et sic hominibus servientium, ut prae his Deum non formident. — Clamatum ab omnibus, D. Cyriacum cum sociis Martyribus sanctisque Episcopis, quorum sedem temere violaverat, vindices de coelo adfuisse. Sed et reliqua ipsius facta qui expendunt, mortem vitae conformem esse sentiunt: de quo quidam cecinit:

Vignorus in cumulum sacra tecta redegit et ossa!
Praecipitatus equo praecipitata luit (*).

Cadaver, ceu porci cujuspiam, sale conditum arcaeque inclusum fuit, in Gallias postea deportandum.

In locum defuncti Gubernatoris successit Major Capitaneus de Bovilliers, consiliorum licet factorumque particeps, quod obsistere vereretur; multo tamen aequior prudentiorque, et ad omnem casum imperterritus, atque idcirco militi civibusque longe gratior. Hic, nona die, imperia in cives, religiosos ecclesiasticosque moderatus, paucis laborantium acquievit.

Sub haec cum propius accedere memoraretur Crequius; Dux Lotharingiae (**) cum suis illi invigilans, Conzianum pontem, admotis tormentis, et praesidiariis aut dejectis aut deditis, occupavit. Subinde Luneburgensis equitatus, Uhrana statione deserta, infra urbem ad pontem (superiori ad S. Mathiam nondum exstructo) superandum hostique occurrendum, discessit. Unde novus Gubernator, decima mensis, ad deserta ista tentoria pagumque succendendum egressus est. Quod nemine illic jam resistente difficile non fuit, cum ex inferiori Mosella, ob montium interjectorum augustias, subveniri vix posset. Excusari hoc factum posse videbatur; at quod relictum cum molendino templum D. Helenae, olim reliquiis et incolatu loci celebre, misso postridie milite, flammis injectis subverterit, cum nihil hinc incommodi magnopere esset metuendum: hoc sacrilegum multis visum est. Eodem tempore scaphas curribus impositas, cum incustoditum hoc crederet Mosellae latus, subvehere in Eigel (***) conatus est, ut vel

(*) Hoc distichon neque ap. Masen. nec ap. Honth. legitur.
(**) Carolus IV. (***) Igel.

illic transituro Crequio sterneret, vel certe noctu impositum militem inferret urbi; sed hi latentibus ad Mosellam excubiis male excepti, sese receperunt.

Interea cum castra Crequius, munito utrimque montibus loco, Sarae inter ac Mosellae confluentes locasset, neque hinc sine magno Caesarei militis discrimine ejici posset, ideoque hi cis Saram collecti, numero circiter undecim millium, de aggrediendi hostem via consultarent; quod hoc stante nihil tuto in urbis expugnatione geri posset, singulari Dei providentia factum est, ut naves Gallicae, annona militari plenae, secundo Mosella allabarentur, litusque contra exercitum appulsae tenerent. Quas ut Princeps Luneburgicus conspexit, opportunum cum ceteris transeundi Conzianum pontem tempus adesse, hostemque ex suo recessu extrahendi ansam dari ratus, postquam alium jam quoque, infra lapideum, stravisset occulte pontem ligneum, repente divisis inter milites Caesareos, Luneburgicos, Lotharingicos, Trevericos et Monasterienses invadendi hostes partibus, ea lege, ut Caesarei (*), quos illustris miles Marchio de Grana ducebat, plerosque pedites, et Lotharingici, quorum Dux aberat, illis praevii equites, dexteram alam nostrorum, ad sinistram Gallorum per montes Mosellae adsitos eniterentur; Monasteriensis vero equitatus, quem exercitatus quoque ductor Granvillerius regerat, explorato, quod tenebant, Sarae vado transmitterent, dexteramque ex latere Gallorum alam impeterent (**). Luneburgici vero media sese post superatum montem planicie, pro corpore exercitus, Gallis, huc utique ad naves suas annonamque tuendam descensuris, opponerent, nisi hanc in conspectu perditam vellent; jam enim pro hac excipienda (***) currus iverant.

Marchio Crequius, Gallorum Dux, re cognita, magno animo defendendum commeatum suum ratus, neque existimans plenis castris tam subito hostem, superato flumine, posse in acie paratum consistere, magna spe victoriae vique tanta Luneburgicis incubuit, ut jam impares retro in flumen adigerentur: quos tamen egregia virtute cum Ernesto Osnabrugensi Holsteinius ductor sustentabat instaurabatque. Quando

---

(*) Male op. Masen.: Caesare.

(**) Haec: dexteramque ex &c. &c. absunt ap. Honth. (***) expedienda: ibid.

Lotharingicus equitatus, superato jam monte, ac dejectis excubiis tormentisque secum tractis, positisque in fronte montis, sinistrae Gallorum alae imminentis, machinis fulminare, atque ipse (*) cum Caesareis Trevericisque, paulo altius montem transgressis, sub animoso Tribuno Barone de Elteren tanta vi ex declivi montis in hostem coepit irruere, ut post breve certamen in fugam equitatus Gallicus et sinistra ala effunderetur, nudaretque reliquorum latera. Illos ergo cum Tabernas (**) usque persecuti depulissent, reversi per media hostium castra praedasque intactas, a tergo reliquos in acie stantes magna strage ceciderunt: Marchione de Grana egregii Ducis militisque partes implente, cum, armis quibus gravabatur abjectis, nudum (***), sese medios in hostes ingereret. Interea et Granvillerius, cum suis Sara transvadato, Gallis in alam (†) dextram improvisus incubuit, nec segnius rem egit, tormentis etiam in colle praeparatis, ut jam Galli undique armis premerentur (††), et in silva paludibusque, quas suo praesidio delegerant, in capturam adigerentur, premente jam a fronte Luneburgico, et reliquis a lateribus (†††).

(*) Holsteinius. (**) Tawern. (***) nedum: false ap. Honth.

(†) Ibid.: aliam; etiam false. (††) peterentur: ibid.

(†††) De hoc proelio famoso ad pontem Conziacum (11. Aug.) Conf. Calmet (Histoire de Lorr. III. in Probat.) qui literas Marchionis de Grana, Comiti de Montecuculi missas, exhibet, reimpressas ex Calmeto in Honth. Hist. Trev. dipl. III. p. 767. sqq. — porro Diarium Europ. XXXII. p. 595. — Theatr. Europ. XI. p. 792. — Pufendorff Lib. XIII. p. 35. — Wagner (Hist. Leopoldi Imp. p. 392.) — Adde Histoire de Metz III. p. 329. sq., et Wyttenb. Gesch. von Trier. IV. p. 95. — 111.

A Crequio dupliciter peccatum ajunt: primo, quod Saram transeunti hosti se non opposuerat; tum, quod nullo operae pretio e superioris loci opportunitate in locum minus aequum detrahi se scivisset. —

Hujus victoriae causa Carolus Casparus annuam supplicationem in festo Nativitatis B. M. V. ad S. Mathiam sanxit.

— Patriam Trevirensem, hoc nefasto bello involutam, Hispanicis subsidiis adjutam fuisse, testatur epistola Joannis Hugonis ad Carolum Regem, in qua de subsidiis, Carolo Casparo solutis, et de solutione restantium subsidiorum sermo est (de 1. Jul. 1685 — ap. Honth. l. c. p. 812.)

Respondit Rex Hispaniae Carolus II. (13. Sept. h. a.): „Literae Dilectionis „vestrae — quibus — praedecessori ex pactis debita fuisse, Dilectio vestra significat „&c. &c. — — speramus aerarium nostrum, praeteritis bellis non parum enervatum, „brevi sic restituendum, ut, quod Dilectioni vestrae etiamnum debitum fuerit, ex ae„quo jubeamus persolvi.“ — —

Hispani Luxemburgo in praesidium destinati, adeo festinatae aggressionis ignari, quae ex opportunitate properanda erat, adfuere serius, ingenti suo dolore. Hi enim, si a tergo, quod cogitatum, aggressi, viarum, ut poterant, angustias obsedissent, totus ad internecionem exercitus corruisset. Exitus igitur pugnae hic fuit, ut, post atrox trium horarum proelium, disjecto equitatu, peditatuque aut occiso aut capto, maxima pars hujus exercitus interierit. Caesa tria millia, capta duo cum Marchionibus de la Trouse, de Sourdis, de Anchure, de Genlise, et Longmaria, quorum tres ultimi graviter sauciati. Obtenta tormenta bellica decem, vexilla plurima, commeatus totus, ingens, quae vehebatur a Crequio in militiae subsidium — pecunia, argentea diversorum supellex. Crequius cum tribus quatuorve, reperto Sarae vado, Saraeburgum tenuit, Gallico adhuc firmatum praesidio, quod brevi post Dux Lotharingiae expugnatum dejecit, militibusque pro armis baculum (*) tradidit, jussitque Compostellam hoc in habitu peregrinationem simulare, ut rustici transituris parcerent.

CAPUT CCCXIX.

Inter haec Generalis vigiliarum praefectus Electoralis, Wolffgangus Fridericus de Ley, in obsidione urbis tanto periculosiori sorte substitit, quanto milite pauciore, statione potissimum (**), ad pontem infra SS. Martyres stratum, fixa. Huic sub vesperam nuntiata per Ducem Luneburgicum victoria, annulo signatorio in fidei tesseram submisso. Unde terna explosione machinarum grandiorum supra triginta est triumphatum, ex quibus terror ingens obsessis (***) incussus, non solum ob amissam victoriam, sed etiam tot machinarum in se destinatarum tonitru. Et fuisset res paucorum dierum contentione transacta, si tanto in urbem, quanto in campestrem hostem fervore atque impetu debellandum, incubuissent. Sed res geminae tardare sunt visae. Prima quidem, quod die sub noctem altero, Crequius Sarae-

---

(*) baculum album, ut alia documenta docent.
(**) potissima: ap. Masen. et Honth.
(***) Gallis scilicet in urbe Trevirorum. — Ibid. legitur male: obsidentibus.

burgo per nobilem sed infidelem (*) incolam, de Maleise, Trevirim, sub specie Lotharingi militis Caesareana transgressus castra, magno licet discrimine, et uno suorum apud urbem a Gallicis vigiliis trajecto, subierit: eo praecipue consilio, ut fortiter hic, aut moriendo, aut propugnando, amissae victoriae labem expungeret. Altera causa ex parte Luneburgici Principis minime festinantis magis occulta: mihi (**) inter diversas, quae ferebantur, illa visa probabilior est, quod ulteriorem in Lotharingiam, quam hujus Dux urgebat, et maturata victoria forte Caesar exegisset, expeditionem declinaret. Qua spe Dux Lotharingiae fraudatus, inclinatam senio vitam brevi post in morte deposuit — magnum ancipitis fortunae exemplum.

Ergo die mensis (***) tertio decimo pleraque exercitus pars spoliis locuples rediit, quibusdam adhuc Gallos, qui magna equitatus parte prope (†) Tabernas ex fuga se collegerant, persequentibus, donec altera post luce circa urbem frequentes, tubicine submisso, deditionem urbis postularent: qua negata, ex duobus e monte Martis suggestibus, uno altiore supra amphitheatri viam in vertice, altero ad pectus collis Maximiniani humiliore, orientale urbis latus quati coepit, cui tertius brevi suggestus ibidem adjectus est, et paucioribus primum tormentis, deinde quindecim, turres concussae murorum sunt, suggestusque machinarum in urbe dejectae, ac paulatim ad muros declinari coeptum. Pons etiam superiorem Mosellae partem, in insula fluminis D. Mathiae opposita, illud hostibus clausit, aperuitque transituris in utramque partem Germanis. Hunc frustra et cum clade bis aggressi Galli, licet nullis jam in Uhren castris hostis subsisteret, deinde intactum reliquerunt. Omissa vero propugnaculi ad domum Teutonicam cura, cives, quorum bini ex singulis domibus ad laborem vocabantur, in ruinis murorum, per objecta valla, fossasque instaurandis, magno discrimine tenebantur, cum tormentorum ictibus et cives et puellae aliquot discerptae ceciderint. Neque parcitum Gallis. Ipse Tribunus Bovilliers, successor Vignorii gestorum consilioque factove particeps,

---

(*) sed infidelem: non legitur ibid.; habet vero ea Mstum nostrum.
(**) Reichmano Treviro, scriptori coaevo.
(***) Augusti 1675.
(†) post Tabernas: minus accurate ap. Masen. et Honth.

festo S. Helenae die, cujus ante octiduum templum incenderat, inter urbis propugnacula obequitans, dum ad orientale latus militem pro excubiis stantem, subsistendo tantisper, commonet, moneturque de periculo explodentium subinde hostium: explodant mihi, inquit per ludibrium, in posteriora. Quod, ut dixit, momento grandioris balistae globo, medio tactus corpore, intestinis et posteriobus discerptus, cum equo suo albo (*) jacuit: praemium navatae in sacris locis diruendis habiturus operae. Cujus mors tanto plus admirationis habet, quanto minus cautionis; cum fassus ipse in scripto etiamnum relicto sit: sibi ante annum nocturno a spectro (**), aspectabili in forma, denuntiatum, dum noctu vigilans in lecto, de urbis contra hostem, qui instare ferebatur, defensione solicitus animum versaret: quid te affligis? urbs capietur, et tu occideris! Ad quod primo quidem exhorruit; sed post anni dimidium, cum hostis imminens urbi disparuisset, contempsit. Expertus tandem, quod fata nunquam divina fallant.

Nihil his tamen commotus Crequius, qui experiri extrema decreverat, de refugio in urbe contra hostem invasorem muniendo, quo suos in periculo reciperet, meditabatur. Hoc in altera urbis parte juxta Mosellae pontem primo moliri coepit, variis ad (***) hoc domibus praecipitatis, et vetusto desertoque templo incluso. At subinde mutato consilio, summam aedem, quae et perampla est, et cum Deiparae perillustri ecclesia communicato aditu ambituque jungitur, ut par militi praesidiario excipiendo hic locus esset, pro asylo delegit. Huc et annona, et pro equis devectum pabulum, vina etiam in cellam deportata, quin et aqua suppetebat de puteo haurientibus. Quaedam adhuc inclusae Canonicorum domus per palos, stellae radiatae in morem, cum loricis circumpositos. Palatium etiam Electoris, muris perforatis, pro anteriore ab urbis moenibus refugio aptaverat. Totus hortus, cum Electoris aula et conclavibus, quae orientem meridiemque spectabant, pertusis ad jaculandum muris, patebant. Vicinae etiam Canonicorum civiumque, ac Religiosorum domus ad parem defensionem

---

(*) suo albo: haec omissa sunt ibidem.

(**) Minime praetermittendae sunt hujus modi narratiunculae, quae genium temporis his in rebus signant.

(***) ab: ap. Honth.

vel dejectae, vel instructae; ut nihil ad summam curam providentiamque a Crequio omissum fuerit. Sed enim invitis Superis, ab antecessoribus nimium violatis, et in aedibus sacris ab ipsomet profanatis, haec omnia parabantur. Siquidem miles cum ad extremum cuncta haec discrimen a Crequio sustinendum videret instrui, ex quo ipse facilius cum paucis, spe ingentis lytri, asservandus, quam gregarius miles, ferro hostium immolandus, emergeret: valde a suo duce alienatus est, jactatumque: suorum illum hic saluti, quemadmodum in pugna Conziana, consulturum; quaesitum etiam: qua haec autoritate, cum de Regia nil constaret, agerentur? Ipse nil his (seu sciverit, seu ignoraverit) retardatus solertiae (*) et ad muniendum se, et ad terrendum frequentibus eruptionibus hostem, nihil omisit, crediditque hunc se cunctantius agentem, suis jam terruisse, paratis ad resistendum, et viribus et consiliis, militemque, promisso abs Rege succursu, ad pugnandum animavit. Tubicinem quoque ab hoste submissum pro deditione urbis risit, quod fossis nondum ad urbis propugnacula ductis, nulloque horum occupato, auderet abs se traditionem postulare, ante paulo propius secum marte experiendum esse, quam de urbe obtinenda cogitandum. Eruptionibus inter haec frequentibus, ut hostem in ducendis praesertim fossis et tormentis propius locandis (quae semel clavis uno in suggestu, sed quam par minoribus, confixerat) fatigabat: ita multos suorum, praesertim Anglorum (**), praedestinationis fiducia coece irruentium, amittebat; ut hi tandem, ab eodem gravius aversi, dicerent: Videre se, quod non tam a Deo, quam a Crequio ad mortem destinentur, ideoque non occulte jactarent: quorsum contra Caesarem pugnare cogerentur, cujus hostes non essent? Accessitque, quod capti a Caesareis, hunc illorum sensum alentibus, non ut hostes, sed amici benigne haberentur, atque etiam cum viatico et literis fiduciariis dimitterentur in patriam.

(*) Haec: quaesitum etiam &c. &c. omissa sunt ibidem.

(**) In codice Ms. Cerdonis, monachi hujus temporis ad S. Mathiam, legimus: „In „urbe erant mille equites, peditum sex legiones, et una Anglica fortis“ (legio auxiliaris). —

CAPUT CCCXX.

Dum haec ultro citroque agerentur, Galli omnes ex hospitiis a Crequio ad extrema urbis evocati, vel pro fossis, vel pro moenibus custodiendis excubabant; alii etiam ruderibus templi coenobiique Maximiniani impositi, infesta Caesareis explosione molesti erant (*). Baroni igitur de Elteren a Generali de Ley commissum, hos ut cum suis deturbaret. Quod, ductis primum fossis, ae deinde festo S. Ludovici irruptione facta, adeo fortiter feliciterque praestitit (Lotharingis ante urbem sub tormentorum ictibus non minus generose succursum avertentibus) ut Gallorum trecenti aut trucidati, aut capti, Sanctorum illic violatorum monumenta suo sanguine tinxerint.

Post haec denique Germani, urgentibus cum Principe Vaudemontio (**) (qui supervenit) et Lovignio ducibus Hispanis, qui ex inferioribus, propiusque urbem collocatis suggestibus tormentorum muros quatiebant, concilium capiunt propugnaculorum simul omnium ad orientem invadendorum: in mediam vero semilunam (***) quae praecipuum erat, vis tota primum incubuit, unde reliqua (†) facile dejicerentur. Praeluserunt medio die ad impositi Mosellae pontis portam, simulato assultu, milites Archiepiscopales; quo dum Crequius cum suis tendit, et vigiliarum mutatio in urbe haberetur, magno numero ex amphitheatri aliisque recessibus per apertos sese effundere campos rustici, cum milite tum pedestri tum equestri, fascibus omnes onerati, visebantur; nec tam cursim, quam gradatim, neglectis tormentorum ex urbe ac deinde et sclopetorum explosionibus, quibus pauci admodum intercepti juxta urbem, in campis vix quisquam ruere conspectus est. Pedestris miles suis instructus sclopis (††) ad exteriores interioresque, superatis fossis, loricas se distribuens, semilunae postremo defensores in fugam fossasque urbis avertit, quo etiam primo ardore consecutus, exactos foveis ceterisque oricntalis partis propugnaculis, in urbem compulit, quibusdam eodem penetrantibus; sed in frequentia concur-

---

(*) In edd.: pars etiam — — imposita, — — molesti erant.
(**) Princeps de Vaudemont, filius natu minor Ducis Lotharingiae.
(***) Hoc propugnaculum ante portam quae dicitur Mußthor, positum erat.
(†) Ap. Masen.: reliquis; ap. Honth.: reliqui. (††) Al.: sclopetis.

santium ad arma oppressi, audaciam interitu luerunt. Foveas cum aliquamdiu victores tenuissent, frequentiaque manualium pyrobolorum ex urbe peterentur, exire non sine clade, a suis ducibus jussi sunt, et in loricis propugnaculorum per circuitum se munire. Quod dum agunt omnes nudatis corporibus, multi illorum (quos ad ducentos censent) priusquam terram fascesque ad protectionem congererent, occubuerunt: loco tamen vi Caesareorum retento, et per noctem ad propugnationem abunde munito. Nova haec res et improvisa fuit, quod nondum ductis, ut solent ad pleraque propugnacula invadenda, fossis cursoriis, quod pleno die, quod patente in campo excursio facta esset, quod muris nondum ad speciem invadendae urbis dirutis (*). Hinc ergo ignaviam Germanorum ridere parcius, quam in strategema et delusionem suam versam agnoscerent, ut palam jactarent, pari audacia propediem illos in urbe futuros.

Neque a veritate omen illorum abfuit, siquidem tormentis jam ex summo monte in planitiem, et propius urbem, ad sclopeti jactum, tribus facile locis collocatis triplicique praeterea ordine in uno amphitheatro digestis, moenia septendecim jam turribus ejus lateris nudata certatim urgentibus Caesareanis, Hispano-Trevericis, Monasteriensibus ac Luneburgicis, caput urbis juxta similunam impugnantibus, quatuor magnis hiatibus patuere. Cumque primum, a dexteris urbis in fronte, cornu recepissent Angli, Germanis ejectis; hi numero auctiores, eosdem vel ad se pellexerunt, vel armis rejecerunt, statione illic firmata. Gallos alii etiam casus afflixerunt. Nam semel pyrii globuli juxta palatium in cumulum congesti, semel pulvis tormentarius casu incensus utrobique plures circumstantes sustulit. Hominem etiam ex officialibus ad cuniculum in foveas succendendum, cum aliqua manu suorum descendentem, Germani, qui sparso ante ingressum pulvere insidias observatas dolo praeverterant, injecto igne faede, quibusdam consumptis, ambussere, ut daemoni, quam homini similior, ancipiti diu cura superfuerit. Incendiariis hic praefectus, malum quod multorum struxit domibus, perpessus est, diu perpetuos inter aestus, ad medullas ossium penetrantes, jactatus.

(*) directis: ap. Honth.

Haec inter Tubicen a Caesareis adfuit (*), qui ultimo se deditionem, si salvi esse vellent, dicebat poscere: cui cum Crequius respondisset, quod si amissa sibi in pugna restituere, si captos laxare milites, si denique cum impedimentis abire omnibus paterentur, assensurum sese, neque aliis legibus velle. Quae cum referentur ad castra, Luneburgicis placuit, vi urbem occupandam esse dedendamque in spolium victori militi, hac spe proposita non defore animato militi successum; sed resistere huic proposito caeteri: neque enim amicam urbem ultima cladę multandam, cum Gallis constitutum esset, in extremis, flammam, jam delectis ad hoc incendiariis, urbi ingerere, seque in refugio summae aedis, loco praemunito, tueri: promovendas igitur moenium pro facili aditu ruinas, et aequis, si possint, conditionibus adigendos, ne cives, tantum hactenus passi, exitio simul ultimo involvantur. Gallicus in urbe miles idem urgebat, cumque recusaret Crequius, indignati, quod magno jam suorum imminuti numero, omnes in casum ultimum servarentur, legatos pro pace ex aequis legibus discedendi miserunt. Sed hi, quod nec salvo exeundi conductu ante impetrato, nec Gubernatoris Crequii voluntate adessent, ceu captivi primum manere jussi, deinde tamen concesso armistitio horarum aliquot, postquam ultro citroque missum pro Crequii assensu frustra esset, ut quisque cum rebus suis miles urbe excederet, repente a Caesareanis omni in muros tormentorum vi fulminatum est; ut cum jam ad invasionem (quam Germanis irritam fore Galli non credebant) spectarent omnia, palam in foro Crequio miles contradiceret, cumque stricto gladio obloquentes quosdam persequeretur, juberetque equites, dispositis per summae aedis stationes equis, descendere: plures, strictis vicissim gladiis, recusarunt, seque Regi pro muris et in campo, non pro templorum profanatione servire dictitabant. Tum Marchio, adducto io forum peditatu, equitibus, ni parerent, vim minatus est. Sed et illis ad hoc servitium invitis, cum proclamarent: qua authoritate haec auderet? et quis illum urbicae huic militiae praefecisset? nihil ultra molitus; et (**) vestromet vos, inquit, ferro velim interire, singulosque ad suas stationes redire jussit.

(*) Tristissimus sane urbis nostrae status! Intus enim forisque de modo deditionis disceptatur, magno urbis spoliandae et incendendae discrimine.

(**) vec vestromet &c. ap. Mas., vel v. &c. ap. Honth.

Actum mane a quibusdam militiae proceribus de conciliandis cum Duce suo equitibus, culpaque non initi tractatus in Caesareanos rejecta est. Ergo supplices de genibus facti veniam orabant, seque ad ultimum propugnationis discrimen offerebant. Et Marchio: non solum ignoscere se errori, sed et in fronte adfuturum propugnatorem testatus est; neque adhuc ad extrema deventum, et hostem semel repulsum, de quo confidat, iterato non facile irrupturum tam luculenta clade ob impedimenta posita multatum iri. Quod considerantes haec ipsa postea Caesareani, recte sensisse Crequium sunt fassi, divinaeque magis providentiae, quam consiliis humanis hanc consternationem Gallorum suamque victoriam tribuerunt. Et vero illud, vergentibus ad extrema rebus, magis eminuit.

Ibatur jam a Gallis ad summae aedis, haud procul a muris ruptis dissitae, refugium: illuc adducta in propugnationem tormenta, illuc transportati militares thesauri et quidquid cuique rarum, illic stabulabantur equi, dormiebant homines, et caeteris obstructis lapide aditibus, duo tantum, unus ad muros, et ad forum alter patebat. Vidimus (*) equum colore griseum, neque de grege, ad summam ligatum aram, et ex illa pabulantem, quem eadem nocte mors subita fulminavit, sequenti quarto Septembris die, extraxere pro canibus: vidimus perfusum undique pavimentum sacrum fimo et sordibus, ut Luneburgici hoc spectaculum detestati ad nos dicerent: Talia perpetrant milites Christianissimi, quae si facta a nobis essent, diceremur Achristiani! Et displicuisse superius (**), manifestum est. Cum enim nocte illa et die insequenti pyrobolis (quibus et palatii ala exterior, cui equile subest, successa, tecto tenus periit) et tormentis adeo strenue pugnaretur, ut neque stare illic miles ad instaurandas praemuniendasque ruinas posset, et jam longibus tractibus muri paterent, cuniculis etiam obsidentium geminis deturbata valla, cum triginta facile Gallorum illic consepultis, foveas complessent, ut inter duas turres, Hispanis praecipue, apertus planissimus esset, qua equites quaque currus transirent, aditus: Gallicus iterum intra urbem

(*) Scriptor ergo testis oculatus est.

(**) superis: ap. Honth.

tumultuari miles (qui ex quinque millibus dimidiatus non supererat) et se quoque lanienae praesenti tradi, vociferatus est; ut Crequius demum suos non minus quam hostem formidans, in acceptandas traditionis leges consenserit.

Itaque datis ultro citroque obsidibus, missisque pacificatoribus agi coeptum est. At vero jussi Galli ad arbitrium se dedere, aut extrema experiri. Quae tamen lex post longas moras, alternataque nuntia, ita mitigata est, ut pedites equitesque sine armis excederent, solis Tribunis et Capitaneis, cum equis geminis, liceret ire, aegris commeatus in navibus Metas daretur, obsides Metenses redderentur, Crequius cum Commissariis, et primis legionum praefectis, captivi lege belli manerent. Quas, ut ajebat, turpes adeo conditiones cum subsignare detrectaret Crequius, diesque sextus Septembris ad decimam horam vergeret, qua parati ad exitum stare milites jussi: Angli, qui eventum ex cunctatione infelicem praesagiebant, a Germanis utrimque pro excubiis ad murorum ruinas stantibus invitati, incolumes excesserunt, et cum sarcinulis dimissi ad Hollandiam descenderunt. Crequium ferunt excedere conatum, cum equitatu; sed praeclusa jam via, serius. Interea cum reliqui militum desertis excubiis in foro collecti ad egressum, ut sperabant, dandum (*) staret; Germani per apertas ruinas, recessusque ex foveis in urbem repertos intrant, lapsique (**) ad S. Simeonis portam (quae ecclesia dirutas spectat) hanc perfringunt, et equitatui ingressuro viam pandunt. Qui recta in forum progressi, collectam illic Gallorum sine armis militiam invadunt, spoliant, atque ante se, togis plerosque nudatos, ad novam portam pro exitu impellunt. Qua etiamnum a Gallis custodita, dum haec panditur, intus forisque Germanis impellentibus, incensa pyrobolorum est magna vis, in ipso portae aditu defossa tectaque velut ad insidias, qua multi Germanorum, Gallorumque non pauciores misere dilacerati sunt; ut proinde illi in hos ut authores furere, partimque trucidare, partim denudare omnibus, et ultro citroque circumagere, nullo jam miserante coeperint. Ambiguum tamen mansit, studione an casu hic ignis injectus sit? cum ipsos incensores sustulisse videatur.

(*) dandum: abest ap. Honth. (**) lapsisque: ibid.

Crequius inter haec susque deque, ad requirendos suos, obequitans, a Comite de Lippia comprehensus est, oblatusque Luneburgico Principi, qui in custodiam ad Electorem Confluentiam transmisit. Intendens et Commissarii plures intercepti, nudatique aliqui etiam ad cutem, omnibus. Nam miles invasor spoliis passim militaribus intentus fuit. Qui feliciores ex his erant, in summam aedem irruerunt, ubi optima quaeque deposita, perfractoque choro Principis, vasa aliquot argento auroque repleta invenere, civibus in partem etiam praedae convolantibus, sed plerisque iterum ab (*) obvio milite spoliatis. Qui thesauris propiores fuere, refertis argento pileis in retro stantes effundebant, ut ipsi de fonte haurirent largius.

Regiae pecuniae ad 80. censuere millia (Imper.); aliorum aestimatio inferior est. Inde in domos, ubi Gallorum opulentiorum habitatio fuerat, et Judaeorum (quos pyrobolos de muris vibrasse falso jactatum est) impetus factus est, nec Religiosorum civiumque domibus, praetextu latentium Gallorum, abstinuere (**), donec Generalis vigiliarum praefectus a Ley, qui Electoris nomine urbi praefectus erat, interdicto custodiaque militari suorum, vim omnem prohibuit, ac pacifice urbem moderari, violentia omni submota, coepit (***). Galli vero, ut alias saepe, ita et nunc experti sunt, nullo suo emolumento, cum damno semper, occupatos Treviros: ut hic lapis offensionis eorum videri possit, et Ciceroniana (†) illa cautio haud incongrue populo Gallorum data videatur: Treviros, quia capitales sunt, vites!

(*) ac: ap. Masen.

(**) In Cerdonis Msto legimus: „Caesareani urbem tenentes multum lignorum in nos„tris sylvis abstulerunt civibus vendentes; et licet ego tum Cellerarius dixerim, Cae„sarem inhibuisse, cujus etiam literas habemus, haud multo profeci: pecunia do„minante nullus ordo!“ —

Bootz, jam saepe laudatus, in suo Msto haec pauca habet: „Ab amico simul „et hoste milite patria misere attrita fuit.“

(***) Quae jam sequitur periodus usque ad finem capitis, desideratur in editione Honthemiana.

(†) Lib. VII. Epist. famil. 13. ad Trebatium in Galliis sub Caesare militantem. Ludit Cicero in nomine Trevirorum, quo et gens nostra, et Triumviri Capitales Romae, ac Triumviri Monetales designabantur. — — Hucusque Reichmani Auctarium. Continuat caput 321. scriptor Kenn, Confluus.

CAPUT CCCXXI.

Elector Trevirensis Confluentia Treviros profectus 1. Octobr. (1675). Galli captivi Confluentiae liberati, discesserunt 12. Octobr. Crequius dimissus, et antequam abiverit, tractatus et acceptus fuit apud Reverendissimum Trevirensem in Valle, etiam in Kaiſers-Eſch prima nocte itineris ex mediis Principis nostri, 18. Novembr. Treviris Crequius in palatio suum habuit hospitium, et officia et servitia oblata ei in coena, ab omnibus tunc temporis officialibus praesentibus. Monasterienses milites Confluentia discesserunt navigio per Rhenum, et admissi Coloni, der Ausſchuß.

Galli, qui profecti Eifliam, equites et pedites cum tormentis aliquibus bellicis, depopularunt homines Mosellam versus, et aliquos pagos combusserunt: omnes in ista parte contributionem dare coacti fuerunt. Elector Trevirensis aliquas Reliquias a Collegio nostro S. Florini Confluentiae ex tumba petiit, et per suum Capellanum accepit, Februarii 20. (a) aliquam partem de brachio S. Florini. — Exequiae D. Caesarissae piae memoriae, Confluentiae, Maji 5. — Reverendissimus Coadjutor Trevirensis Joannes Hugo (b) venit Confluentiam, Maji 8. — Archiepiscopus Moguntinensis (*) Confluentiam venit, Maji 16., discessit, Maji 18. — Carolus Casparus Archiepiscopus Trevirensis moritur (**) omnibus Sacramentis pie munitus, cujus anima requiescat in pace. Amen! Junii 1. — Exentoratus, ut moris, tribus diebus in pontificali habitu exhibitus et ostensus omnibus ipsum videre volentibus. Corpus collocatum ad ecclesiam Capucinorum vesperi laudabiliter. Corpus translatum Treviros (***) hoc modo et ordine.

(a) Sequitur annus 1676. (b) Vid. cap. 314.

(*) Dominus Hartradus von der Leyen (a Petra). (**) Confluentiae (in Valle).

(***) Splendidissimum Caroli Caspari a Petra mausolaeum in aede summa extabat ante chorum antiquum S. Nicolai, jam novo organo contectum, quem chorum hic Archiepiscopus operibus artificiosis exornari fecerat anno 1668. Ibid. inter adhuc extantes gradus marmoreos, marmori nigro, ad altitudinem quatuor circiter pedum elevato, incubuit Caroli Caspari effigies, ornatu episcopali induta, ex alabastro elegantissime sculpta. Concha alba, adhuc hodie ibidem extans, stetit ante laudatum mausolaeum. Hoc autem, et alia opera in choro per manus nefarias ita destructa sunt, primis nostri saeculi annis, ut hodie nulla omnino illorum supersint vestigia!! Conf. Vol. I. Gestorum (Animadv. p. 53.) —

Apud Patres Capucinos in Valle habitum sacrum musicum mane circa sextam, quod habuit Joannes Philippus a Walderdorff Chori-Episcopus Limburgensis (*). Quo finito (exspectante interim clero, senatu populoque Confluentino hac in parte Rheni prope portam et pontem) exeundo templum D. (**) Officialatus vicem gerens praecessit, indutus cappa nigra cum pedo Episcopali in manibus, juxta quem duo induti more solito superpelliceis suis, habentes alter thuribulum, alter vas thuris. Hos secuti sunt Capucini pro ordine suo bini et bini. Illos immediate sequebantur duo ministrantes ex Castorensibus in habitu nigro, quorum unus praecedebat superpelliceo ex Canonicis S. Florini, adjuvans in cantu. Postea sequebatur D. a Walderdorff, indutus cappa nigra more solito, et inceperunt, quamprimum exiverunt ex templo praecedentes et praedicti ministrantes: Libera me Domine: comitante aula Nobilium, Senatorum, usque ad navem, ubi corpus pridie collocatum. Solummodo navem intrarunt ordine hoc: D. Officialatus vicem gerens cum ministrantibus et praedictis Canonicis, etiam D. a Walderdorff, etiam Reverendissimus vivens (***). Cantata Commendatione et Collecta, postea, Libera cum Miserere et De profundis. Collecta addita per D. a Walderdorff. Thurificatum circa tumbam, et aspersio facta more solito super tumbam: etiam dicta, quae solent dici, de terra et rore coelesti. Postea exitum ut intratum, tacendo templum Capucinorum, ordine praedicto. Exuti transmearunt Rhenum praedicti D^ni, cum Senatoribus sese sociis suis sociarunt; navibus praecedentibus usque ad locum, qui dicitur die Grün, ordine comitati sumus, id est, clerus totus, senatus populusque.

His finitis, quilibet ivit ad suam ecclesiam, et fuit quasi medium Octavae, quando haec finita fuerant. Mane pulsatum hora tertia ad matutinas; istis finitis ivimus ad Rhenum, et satis diu ibidem exspectavimus. Compulsatum in omnibus ecclesiis; nulla tormenta bellica explosa; naves habebant vexilla nigra. Patres aliqui comitati sunt in navi tumbam. Praesentiae nullae datae. Haec facta Julii 14.

(*) Postea ecclesiae Metropolitanae Decanus, et bibliothecae Trevirensis benefactor eximius.

(**) Joannes Henricus ab Anethan, Trevirensis Suffraganeus ab anno 1673. ad annum 1680.

(***) Joannes Hugo.

Exequiae Caroli Caspari in parochia Confluentiae ad D. Virginem: compulsatum in omnibus locis et ecclesiis hujus civitatis; quilibet legit horas cum sacro in suo Collegio. Convenerunt solummodo, more solito, utrumque Collegium in parochia, et clerus alius, praesente Archiepiscopo et Principe cum Nobilibus suis: inceptae Vigiliae cum Parce; quas lectiones ex utroque Collegio Vicarii cantarunt cum suo versu, bini et bini. Finitis Vigiliis sacrum musicum. Hoc finito sine concione, Commendatio, Miserere, De profundis cum Collecta; aspersio etiam facta. Et his omnibus finitis, cuilibet datus nummus, aliquibus duo, qui erant cum significatione nativitatis, electionis et mortis annotati, per Reddituarium Eminentissimi. His absolutis, quilibet rediit domum. Ex omnibus Ordinibus aliqui sacra legerunt, Julii 20.

Altero die denuo convenit utrumque Collegium circa octavam cum Ordinibus in templo D. Virginis. Cantatae Vigiliae et inceptae per nostros cum Parce et versibus, ut heri. Sacrum musicum sacerdos ex nostris, cum parva Commendatione. Hac finita, ivimus domum. Paucissimi Nobiles erant in templo, quia Reverendissimus noster Treviros altero die post exequias profectus, cui Deus prosperet iter, Julii 21. Nulla praesentia data. Tertio die iterum convenit clerus, post octavam, in templo divae Virginis, ubi sacrum et preces, fere eodem modo facta sunt, ut diebus praecedentibus. Compulsatum in omnibus locis, id est, in omnibus parochiis et ecclesiis dioecesis Trevirensis, singulis diebus ter, mane, meridie et vesperi ad tempus; postea semel in die per sex septimanas a die mortis.

Ordines dati, et confirmati homines, Confluentiae in templo ad B. M. Virginem, Julii 28. — Homagium factum Treviris, Jul. 23.

(*) Carolus Casparus a Petra Archi-Episc. Trevirensis, Sacri Romani Imp. per Galliam et regnum Arelatense Archi-Cancellarius, Princeps Elector, Administrator Prumiensis perpetuus.

Natus 18. Decembris 1618. Electus in Coadjutorem Trevirensem 11. Julii 1650. Inauguratus in Archi-Episcopum 12. Martii 1652. Denatus 1. Junii 1676.

(*) Quae hic sequuntur verba, inscriptionem sepulchralem hujus Archiepiscopi exhibuerunt.

Ecce imaginem viventis Caroli Caspari a Petra, Archiepiscopi Trevirorum, S. R. I. Electoris, multis titulis venerandi laudandique (*).

Si gentis nobilitatem requiris, ecce tot gentis insignia, quae a majoribus accepta cumulavit novis; honorator suorum, honoratus a suis; origine a Petra. Juxta se fratrem vidit Damianum Hartardum, Moguntina in sede mitratum. Post se reliquit nepotem Joannem Hugonem, Treverica in cathedra infulatum. Omnes Archiepiscopos et Electores dignissimos, quorum virtus sola superstes ac temporis vivet in ore, calamis et animis posterorum, nec in morte quidem moritura.

Carolum multis structuris ad patriae defensionem, ecclesiae commodum et religionis augmentum, illustrem fuisse, ceu petram sua arte inexpugnabilem, arx loquitur Ehrenbreitsteiniana, Rheni Mosellaeque clavis, Imperio fideliter servata, cum ipsa Confluentium urbe. Vallis, fossis, propugnaculis, viis domibusque instructa urbs quoque Trevirorum praedicat, metropolitanis Canonicorum domibus, choro aedis summae, seminario lectionis cleri (**) et orphanotrophio exculta; juridica ibidem extollit instaurata facultas (***), et Societatis Jesu e ruderibus assurgens Collegium (†). Verbo: Petra fuit, in qua plures fundati sunt; Petra, quam adversitatum venti non dejicerent, secundarum rerum blanditiae non emollirent, hostium molimina a fide

---

(*) Elector Carolus Casparus primus omnium Jus statutarium (Landrecht) in patria nostra scripsit, et anno 1668 publicavit, et Treviris imprimi fecit. In hac jurisprudentia civili Jus commune (Romanum), in quantum ei non detrahebatur, pro subsidio Juris statutarii plene adoptatum est. Praefatio Principis rem totam accurate explanat. — Praetermisit Gestorum scriptor hoc memorabile factum in sua imagine Caroli Caspari! — Joannes Hugo Elector animum induxit, ut Jus hoc statutarium revideretur, hinc inde declararetur et augmentaretur. Morte autem praeventus publicationem reliquit Electori Carolo Lotharingo 1713. —

(**) Ferdinandi de Buchholtz-Orey, Decani Leodiensis, fundationem Collegii clericorum nobilium Treviris (6. Martii 1667.) factam, loco per Carolum Casparum donato et cesso, confirmavit. Vid. has literas in Honth. Histor. Trev. dipl. III. p. 750. sq.) Adde ejusdem Principis chartam fundationis duodecim alumnorum in hoc Collegio, quod ad nostra usque tempora Seminarium S. Lamberti dicebatur (16. Jul. 1673.) Vid. Honth. p. 760. sqq. — Hodie hoc Seminarium Lambertinum Curia est, rebus judiciariis inserviens.

(***) Jurisprudentiae studium, adscitis aliunde, Lovanio praesertim, clarissimis Professoribus, et inter hos celebri Doctore de Troya (anno 1668) restituit, quibus crebram ex remotis etiam provinciis juventutem Treviros traxit.

(†) Conf. cap. 304.

Caesari data non inflecterent, mundi insidiae a divina pietate non averterent, carnis illecebrae a castitate non dimoverent.

Haec imago viventis est (*).

CAPUT CCCXXII. (**)

Epulsi quidem fuere praescripto modo, prout etiamnum recordor (***), urbe et patria Trevirensi, ingrati hospites Galli: ast brevi reversuri, quemadmodum continuatio historiae demonstrabit; quam tum propria experientia edoctus, tum perlectis fide dignis documentis et relationibus confisus, simplici quidem, at fideli calamo succincte et breviter, quantum potui, conscripsi (†).

Mortuo subinde, anno Verbi Incarnati supra millesimum sexcentesimum septuagesimo sexto, prima mensis Junii die, Carolo Casparo a Petra Trevirorum Archipraesule clementissimo, et vere Patre Patriae (††), ejus in locum pastorale pedum suscepit Joannes Hugo ab Orsbeck (a), Episcopus Spirensis, optimus futurus Pastor, sed mox ovium suarum tonsuram, vix non lanienam lucturus.

Interea dum inter Imperatorem Leopoldum Regemque Galliae Ludovicum XIV. subsequentibus annis, dubio utrimque et ancipiti Marte, bellum continuatum fuit; lassatis tandem de tam cruento bello hinc inde partibus, anno, qui ab humano genere restituto fluxit (b) supra millesimum sexcentesimum septuagesimus nonus, pax restituta et quinta Februarii Noviomagi in Hollandia conclusa fuit (c). Verum

---

(*) Hoc egregio laudis elogio desinit scriptor Kenn, Confluus.

(**) Quae sequuntur, usque ad annum 1713, a supra laudato Reichman, Auctarii scriptore, literis consignata sunt. — Possidemus nosmetipsi Mstum horum Gestorum, his temporibus coaevum et fortasse scriptoris autographum, sub hoc titulo: Historiae Trevirensis congestae et conscriptae a Nicolao Reichman, Trevirensis Curiae Archiepiscopalis Procuratore, continuatio. —

(***) Vid. cap. 320. — (†) Hoc auctoris exordium deest in Honthemii editione.

(††) Ibid. aliqua rursus desunt.

(a) Jam in charta anni 1277. memoratur quidam Stephanus ab Orsbeck. Alius ejusdem nominis et stemmatis cecidit Coloniae, in hastiludio an. 1341. celebrato. —

(b) Verba: qui ab &c. &c. non habet Honth.

(c) Jam anno 1678. III. Id. Aug. peculiaris pax sancita est inter Galliam Batavosque. Non minus, quam inter Galliam Hispaniamque, XV. Kal. Octobr.

Quo facto, et Imperator pacem cum Rege Galliae iniit (1679.), porro pax inter

anno 1681 (a) ipse Rex Christianissimus Ludovicus hujus nominis XIV. per insidias et conspirationes (b) Argentinam, fortissimam pariter ac opulentissimam Germaniae limitaneam urbem, ab Imperio avulsit.

Quo anno in solo Lotharingico, duodecim circiter horis a Treviris dissito, excisis ibidem arboribus et dumetis, Saraeque fluvio de alveo suo naturali illic derivato, novam et simul fortissimam auspicatus est urbem, quam Saram-Ludovici nuncupatam voluit (c).

Porro prodromus futurorum bellorum et calamitatum anno 1680 ipso S. Stephani Protomartyris festo (d) die, primum Treviris, per sex deinde facile septimanas toti Europae in coelo conspicuus horribilis cometa fuit.

Quando nempe anno 1683. decima quarta Julii Turcarum Imperator, sub auspiciis Karae Mustaphae supremi Vizieri, cum fortiissimo plus ducentorum millium selectissimorum Turcarum exercitu magnoque apparatu, Viennam, Caesarum Christianorum e domo Austriaca continuam et Augustissimam sedem atque metropolim, arctissima et diuturna obsidione, depraedata late circum et vastata patria, multisque

---

Sueciam Belgiumque foederatum, Imperatorem inter et Sueciam sancita. Eodem etiam anno inter Galliam et Electorem Brandenburgicum in Fano S. Germani (Germain en Laye).

(a) anno postero: minus accurate ap. Honth.

(b) et conspirationes: abest ib.

(c) Mirum est, scriptorem nostrum gravamina Trevirensia de reunionibus Gallicis hoc tempore arbitrarie factis silentio praeteriisse.

Pace Noviomagensi sancita, mox novae turbae contentionesque circa fines Imperii Germanici a Ludovico XIV. excitatae. Tres enim peculiares Cameras Reunionis, Brisaci, Vesontii et Metis, instituit. De hac posteriori, quae ad Treviratum propius spectabat, aptissime scribit Wagner (Histor. Leopoldi Imper. I. p. 507.) his verbis: „Constituitur Metis — novum tribunal; mittuntur quaesitores; jubentur opera dare, ne de regiis juribus quid diminueretur. Erant hi judices ejusmodi, „qui, si regio Procuratori placeret, orbem terrarum Regi addicerent.“ — Quid praetensae illae reuniones a Treviratu abstulerint, ex designatione per Legatos Caesaris in conventu Rysvicensi exhibita apparet. Quae pax Rysvicensis, an. 1697. conclusa, his malis finem fecit.

Conf. documenta cum adjectis notis in Honth. Histor. Trev. dipl. III. p. 797. sqq. — 800. sq.

(d) Circa finem ergo anni 1680. — Alia folia Trev. mssta. habent: „1681. in Januario terribilis visu apparuit cometa, habens secundum astrologos caudam mille milliaribus longam. „— Eodem anno 7. Februarii circa quintam matutinam terrae motus. audiebatur.“

Christianorum millibus in durissimam servitudem abactis, cinxit: donec miserante Numine, convolatis undique, in auxilium Caesaris afflictissimi, Christianis Principibus, ipsoque Poloniae Rege Joanne, submittente quoque Electore Trevirensi selectam militum turmam, 12ma mensis Septembris die anni ejusdem, profligato ad internecionem usque immani hoste, urbs obsidione liberata fuit (1). Omnis tunc pretiosus admodum Turcarum apparatus Christianis in spolium cessit; et victor Leopoldus Caesar subsequentibus annis, capta Buda Hungariae metropoli (2), totum Hungariae regnum recuperavit.

Dum Augustissimus bello ita in Hungaria distinetur, et omnia non minus fortiter, quam feliciter cum jurato Christianitatis hoste peraguntur; Ludovicus XIV. Galliarum Rex, violata pace, per submissam, valido cum exercitu, Franciae Mareschallum de Crequi, anno 1684. Luxemburgum occupari fecit (3). Ipse deinde Mareschallus, de accepta nuper apud Treviros clade sese ulturus, eadem aestate urbi metuendus imminebat (4), atque occupato ponte, omnia propugnacula foris et intus, cum altissima S. Simeonis turre (5), applanatisque circum moenia fossis, destruxit. Hancce calamitatem Superi optima hujus anni crescentia vini Treviris quodammodo leniebant, et sane melius et maturius merum, ab hominum memoria, non facile crevit.

---

(1) Obsidionis et liberationis Viennae historiam amplissimam legimus in Theatro Europ. XII. p. 532. sqq. — Adde Pufend. de reb. gest. Frid. Wilh. Lib. 18. §. 96.; Histoire de Jean Sobieski, Roi de Pologne, par Coyer; Briefe des Königs von Polen Joh. Sobiesky an die Königinn Maria Kasimire, während des Feldzugs von Wien. Deutsch herausg. von Oechsle. (Heilbronn, 1827.) —

(2) Anno 1686.

(3) Vid. Bertholet (Histoire ecclés. et civile du Duché de Luxembourg. VIII. p. 127 — 749. —

(4) Legatur Memoriale Legati Trevirensis, in Comitiis Imp. exhibitum, ratione attentatorum Regis Galliae Mareschalli de Crequi adversus urbem Trevirensem (Londorp. Acta publ. XII. p. 99.), et Friderici Wilhelmi Electoris Brandenburgensis (1684. 20. Jun.) ad suum in aula Regis Galliae Residentem instructio ratione violentiae urbi Trevirensi illatae (Ibid. p. 55.) Honth. haec acta reimpressit. — Haec nova urbis nostrae occupatio per Gallos, ex documentis domesticis fusius relata, legi potest ap. Wyttenb. (Gesch. von Trier. IV. S. 173—194.) —

(5) Ingentem hanc celsamque turrim quadrilateram juxta portam S. Simeonis, circa annum 1389. sub Wernero Archiep., in forma propugnaculi exstructam, Crequi magna ex parte disjecit. Residuam partem Senatus Trev. anno 1744. ita demoliri curavit, ut nulla plane illius extent vestigia.

Anno, quem a Christo nato millesimum sexcentesimum octuagesimum septimum numeramus, Ludovicus XIV. Rex Galliae, infra Treviros in monte e regione arcis Trarebaci (1), excisa densissima sylva, satis amplam et ad stuporem fortem condidit civitatem, Montem Regium dictam, sed per tractatum pacis post decennium demoliendam (2).

Subiit hinc annus a reparata salute millesimus sexcentesimus octuagesimus octavus et nonus, qui omnium, quos Germana Respublica vidit, luctuosissimi fuerunt, Gallo non priscas tantum retinente metas; sed victoris more impuni, persultante omnia in Imperio. Hic cum B. Hier. ep. 3. ad Heliod., Gothorum quondam in Graeciam impetum describente, non absque lachrymis dici potest: subversae ecclesiae, ad altaria Christi stabulati equi (quod nuper quoque in Metropolitana Trevirensi contigit) Martyrum effossae reliquiae (hoc et Treviris in S. Paulini sacra aede accidit) ubique luctus, ubique gemitus, et plurima mortis imago (3).

Enimvero Rex Christianissimus Ludovicus XIV. (heu pudet dicere) pacto cum Turcarum Imperatore foedere (4), victorias et triumphos contra Turcas partos, dum ipsa Alba-graeca (Belgradum vocant) Serviae metropolis, Turcis jam erepta esset, Caesari invidens; jam dicto 1688. anno Treviros pariter ac Imperium formidabili cum exercitu subito ac ex improviso invadit; Moguntiacum ac Bonnam fraude, Philippiburgum vero, propugnaculum fortissimum ab altera Rheni parte situm, vi occupat. Atque passim tam horrenda a Gallis perpetrata, ut talia a Turcis aut Barbaris peracta fuisse nuspiam legatur. Combustae ab illis hinc inde fuere fruges, partimque in fluvios conjectae; jussum inseminatas aratris conscindere; novas inseminare sub capitali vitae poena agricolis inhibitum fuerat. Exustae, contra datam fidem (5), ac funditus, cum templis et sacris aedibus, eversae fuere Nemetum et Vangionum nobilissimae et antiquissimae urbes,

---

(1) Trarbach, primum Sponheimensis, postea Bipontinae ditionis oppidum.
(2) Munimentum Montis Regalis (Mont-Royal) in sequelam Art. XXV. Pacis Rysvicensis. destructum est.
(3) Tota haec periodus abest ap. Honth.
(4) Verba: heu pudet dicere &c. &c. rursus desunt ibidem.
(5) contra dat. fid.: silentio praetermittitur ibid.

aliaeque quam plurimae Imperii civitates et oppida excisa ac suis in favillis consepulta (1). Adaperta, spe praedae et thesauri inveniendi, fuere Imperatorum, Regum Principumque illuc sepultorum monumenta. Sed patriae nostrae Trevirensis nos quoque propria cura tangit; cujus certe moestissimos vultus etiamnum, dirutis et excisis ecclesiis et oppidis, videre licet. Vidimus namque heu! vidimus similem et pariter fatalem sustinuisse sortem Palatiolum, Wittlichium, Cochemium (heu quae barbaries, quae stupra, sacrilegia, quae caedes, quae praedae, quae spolia, vi expugnato hoc oppido, hic a gente Christianissima fuere exercita et perpetrata!) (2), aliaque Trevirorum haud ignobilia oppida: jamque proximus ardebat Ucalegon (3), et ipsa urbs Trevirorum Augusta parem deplorabilem subiisset sortem, incendiariis militibus modo ad nefandum scelus paratis et promptis; nisi miserante et disponente Numine urbs moestissima per submissum a Rege mitius mandatum ab incendio et exitio praeservata fuisset (4). Ipsa tamen urbs Trevirorum suis spoliata hoc 1689 anno moenibus, et ponte vetustissimo a Gallis destructo (5), etiamnum immanis hostis furorem luget, juxta et tyrannidem. Quin etiam optimus Trevirorum Archipraesul Joannes Hugo, de metropoli sua exul Confluentiae degens, et fato suorum subditorum condolens, dum blandis oratoris Gallici verbis aurem minime praebet, sed Caesari fidelis perstitit, hostium quoque rabiem expertus fuit, viditque injectis bombis et globis pyreis tertiam conflagrari urbis Confluentinae partem inque cineres redigi (6).

---

(1) Atque hinc magniloqua illa numismatis inscriptio: viginti urbes ad Rhenum uno mense subactae.

(2) Verba inclusa non leguntur ibid.

(3) — — jam proximus ardet Ucalegon (Virg. Aen. II. 311 et 12.) i. e. Ucalegontis Trojani domus. — In Honth. edit. legitur: Ucaleon.

(4) Conf. Mémoires de St. Simon. I. p. 22. sqq. Londr. 1788.

(5) Conf. additamenta ad hoc cap.

(6) Hujus urbis Gubernator illo tempore fuit Augustus Comes a Lippe, cui Elector Trevirensis, ob strenuam hujus loci defensionem, reditum vitalitium trium plaustrorum vini constituit (eine jährliche leib-rhente von dreyen fuder Moſell-wein: sic habet charta Joannis Hugonis, dat. Ehrenbreitstein, 18. Novembr. 1688. Vid. Honth. Hist. Tr. dipl. III. p. 816.) —

Plura de hac destructione, et alia ex parte de defensione urbis legimus in relatione Joannis Herrmanni Dielhelm, testis sine dubio oculati (vid. Wyttenb. Geſch. v. Trier. IV. S. 218 — 224.

CAPUT CCCXXIII.

Circa haec tempora Jacobus secundus, Angliae Rex, ob fidem Catholicam, quam cum Regia sua familia profitebatur, concurrentibus ad nefandum scelus Hollandis, e regno expulsus, multis annis in Gallia exul, tandem ibidem, verum virtutis et patientiae exemplar, pie in Domino obdormivit; genero ejus Wilhelmo Oraniae Principe regnum usurpante, Gallo frustra afflicto Regi suppetias submittente.

Ut autem Leopoldus Imperator piissimus cursum hunc victoriarum sisteret, atque periclitanti Germaniae tempestive succurreret, quantum licuit de copiis suis in Hungaria contra Turcam militantibus, sub auspiciis serenissimi pariter ac strenuissimi, de reportatis a Turcis tot victoriis celeberrimi Ducis Lotharingiae, ad Rhenum traductis, cum Imperii simul Statibus validum contra hostem duxit exercitum, ascitis etiam in societatem foederis Anglis et Hollandis. Hi quidem in Belgio tumescentis Galli victoriis obicem opposuere; Caesareani vero Philippiburgum, Moguntiacum et Bonnam hac aestate vi expugnarunt.

Sub finem hujus 1689. anni, relicta afflictissima patria mea urbe Trevirensi, quam Galli contributionibus et exactionibus continuis vix non exhauserant, Pragam (quae est Bohemorum nobilissima et amplissima Metropolis) studiorum causa me contuli, ubi, horrendum dictu! vidi paucis abinde mensibus, per emissos ac turpi aere Gallico corruptos incendiarios ad mille quingentas aedes, octo ecclesias cum suis monasteriis, injectis clanculum pyrobolis, substratoque igne et pulvere pyrio, conflagrasse, quorum quidem sacrilegorum hominum quidam deprehensi, justas tanti sceleris dedere poenas.

Sub initium anni sequentis, qui salutis restitutae millesimus sexcentesimus nonagesimus erat, Josephus Imperatoris Leopoldi primogenitus unanimi Septemvirorum suffragio in Regem Romanorum, frendente Gallo, Augustae Vindelicorum electus est (*).

Hoc anno (**) vigesima octava Junii, Brunae, quae est Moravo-

---

(*) Eligitur 24. Januarii, inauguratur 26 ejusd. mens. — Vid. Diarium domesticum aulae Electoralis Trevir. in conventu hujus electionis (Honth. Hist. Tr. dipl. III. p. 817 sqq.)

(**) Quae hic sequuntur facta usque ad verba: Sequentium inde &c. &c. non leguntur in Honth. edit.

rum civitas haud ignobilis, munitissima instructa arce (quam vulgo Spielberg appellitant) adveniens, ab illustrissimo ibidem domino Comite de Rogendorff in Praefectum amantissimorum suorum pignorum, Caroli Ludovici et Antonii Dominici, cum non contemnendo annuo salario, assumptus fui. Primis mensis Julii diebus Brunae in Moravia tanta repente imbrium de coelo depluit copia, ut, agris late circum inundatis, multi homines pariter et pecora aquis hausti fuerint. In mense deinde Novembri eodem nonagesimo anno magnus ibidem terrae motus fuit, — Quo anno, submissis e Gallia expertissimis Officialibus aereque Gallico, Turcae, non absque conspirationis suspicione, Albam-graecam, quam biennio Caesareani possederant, armata manu reoccupavere, trucidantes quidquid illic invenere Christianorum. — Sequentium inde curriculis annorum, in Hungaria cum Turcis, supra Rhenum et in Belgio cum Gallis, dubio utrinque saepe Marte pugnatum, neque tamen urbs Treverica a jugo Gallico liberata; sed ob enormes Gallorum exactiones et annonae caritatem, dum praecipue anno, qui salutis partae supra millesimum sexcentesimum nonagesimus tertius erat, maldrum siliginis sedecim imperialibus veniit, summam inopiam et calamitatem perpessa est.

Annus (*) agebatur a Virginis felicissimo partu millesimus sexcentesimus nonagesimus sextus, quando quarta Novembris die, Deiparentis, simplici quidem penicillo supra ligneam tabulam depicta atque in sacello pagi superioris Hungariae (Boetsch nuncupati) asservata imago primum, ex post saepius, convolantibus undequaque Catholicis aeque ac Acatholicis, quorum plurimi prodigium admirantes conversi, ambobus oculis lachrymarum guttulas copiose deflere coepit. Praesagium belli etiam intestini, cujus author rebellis Princeps Ragozius, fautor Rex Christianissimus erat. Attamen subsequentibus annis per Caesaris Augustissimi victoriosos exercitus, dissipato atque in diversa distracto rebellium robore, omnis ille factionum globus, ut ad solem glacies, repente diffluxit, ipseque Princeps latronum in Galliam, asylum rebellium, si mavis, hospitale infortunatorum, postmodum confu-

(*) Haec usque ad finem capitis rursus absunt ibidem. — Nostra autem opinio est, auctoris narrationem minime esse mutilandam.

git. Quam miraculosam Deiparae lachrymantis effigiem, deinde Viennam deportatam, in Cathedrali S. Stephani Prothomartyris ecclesia in summa ibidem ara, publicae venerationi expositam, ipse vidi et admiratus fui.

CAPUT CCCXXIV.

Postero anno, qui reparatae salutis 1697^mus^ erat, 30^ma^ mensis Octobris, Caesarem inter et Gallum pax Ryswicii in Hollandia conclusa fuit (*), vigore cujus piissimo Imperatori Leopoldo, et Imperio in genere, restituta fuere, quae titulo quarto tractatus Ryswicensis continentur, quem hic verbotenus apponere lubet: „Restituentur inprimis Sacrae Caesareae Majestati et Imperio ejusque statibus et membris a S. R. Majestate Christianissima quaevis, tam durante bello et via facti, quam unionum seu reunionum nomine occupata loca et jura, quae extra Alsatiam sita, aut, indice reunionum a legatione Gallica exhibito, concessa sunt: cassatis, quae ea de causa a Cameris Metensi et Vesontina, ut et Consilio Brisacensi edita sunt, decretis, arrestis et declarationibus; omniaque in eum statum reponentur, quae ante illas occupationes, uniones seu reuniones fuerunt, nullo deinceps tempore amplius turbanda seu inquietanda; religione tamen Catholica Romana in locis sic restitutis, in statu quo nunc est, remanente (**).“ — In vim tractatus Ryswicensis Gallo quoque incubuit, Montem Regium, urbem munitissimam infra Treviros e regione arcis Trarbaci in monte (ante decennium) sicut et fortalitium S. Martini apud Treviros (ab initio belli), expulsis inde e monasterio bonis Patribus Benedictinae familiae, exstructum demoliri (***).

Pace ita inter belligerantium Christianorum partes constituta, Superi nondum videbantur placati: annus namque subsequens ob hyemis asperitatem, ipso Danubio rapidissimo flumine (de Mosella et aliis tacendo) conglaciante; quodque mireris, ex Moravia, qui haec scribo,

---

(*) Sequentia usque ad verba: In vim tractatus &c. omissa sunt ibid.

(**) „Nominatim (habet Art. VI.) „restituendus dominus Elector Trevirensis in urbem „Trevirensem &c. &c.“ —

(***) Conf. caput subsequens.

redux, huncce fluvium undecima Martii die etiamnum congelatum traha pertransivi Viennam; aestate deinde, propter continuas pluvias et frigus in hyemem quasi praeter ordinem conversa, admodum sterilis fuit et fatalis. Hunc 1698. annum comitata ingens fames et caritas, ita ut maldrum siliginis duodecim, imo sedecim imperialibus constiterit; unum plaustrum vini vero Mosellani de 1684to anni crescentia pro 500. usque imperialibus Treviris venditum fuerit: adeo rarae, ob sterilitatem hujus et anteriorum annorum, erant fruges et vina. Quod autem inauditum: panis ex siliginis hujus anni crescentia pistus, praesertim in Hunnorum recessu et silvestri terra in Treviratu, comedentibus capitis vertiginem ac ebrietatem, ut ita loquar, causavit. Autumnus hujus 1698. anni tam infelici gracilique vindemia fuit, ut, per tribulas ob duritiem excussis contritisque botris, nihil dum vinitores praeter acerbissimum et insaluberrimum succum expresserint. Divinae tamen clementiae placuit, per subsequentis 1699. anni fertilitatem, praecedentem inopiam et calamitatem lenire; siquidem hic annus in frugibus, fructibus et vinis valde ferax in Trevitatu erat.

Reportata (a) hisce temporibus, Duce strenuissimo Eugenio Principe a Sabaudia, a Caesareanis apud Centam (b) in Hungaria contra Turcas insigni victoria, caesis et in Tibisco ad 40. horum millibus. Induciae ad 25. annos Carlowicii, quod est Hungariae limitaneum et finitimum, non procul Belgrado dissitum, oppidum, cum Turcarum Imperatore pactae et conclusae fuerunt (c). Vigore tractatus ibi initi Leopoldo Caesari tota cessit Hungaria et Transsylvania cum limitanio Petriwaradini oppido.

(a) Haec usque ad finem capitis non habet Honthemius.

(b) Anno nimirum 1697. ad Zentham, haud procul a Tibisco flumine.

(c) Anno 1699. — Ad hunc annum sequentia, in Gestorum textu praetermissa, ex aliis fontibus coaevis hausta, addimus. Semel, toto regiminis sui tempore, anno nimirum 1699., Joannes Hugo venit Treviros. In codice ms. olim S. Mathiae, modo bibl. Trev., N°. 2092. sign. (Protocollum Conventus S. Mathiae) legimus:

„Anno 1699. facta pace inter Caesarem et Regem Galliae, in initio Septembris „Archiepiscopus Elector noster Joannes Hugo venit Treviros prima vice pro tota vita „sua, quia per totum regimen suum usque modo fuerant bellicosa tempora. Cum „magno jubilo totius civitatis, populi et cleri fuit exceptus, et in summo templo in „thronum praeparatum iutroductus. Die octava Sept. personaliter cum processione, in „festo Nativitatis B. V. Mariae, ivit. ad S. Mathiam; Venerabile ex summo templo

CAPUT CCCXXV.

Annus a Christo nascente millesimus septingentesimus de celebrato Jubilaeo quidem illustris fuit, at magnos in Germania, Hispania, Italia et Treviris bellorum motus edidit. Pax quidem ad Ryswicum, ut meminimus, coaluit anno 1697.; sed admodum fragilis, et gravius statim dissolvenda, Gallo tum aliud longe funestius et domui Austriacae perniciosius bellum praemeditante.

Mortuo siquidem hoc anno (a) Carolo secundo, Hispaniarum Rege, sine liberis, propter successionem monarchiae Hispanicae cladium magnarum initium datum, novisque motibus tota facile Europa concussa est: Gallo ex confictis et suppositiis tabulis (b) pro nepote suo Philippo, Duce Andegavensi, hanc sponsam aflectante; Caesare vero pro filio suo secundo genito Carolo, Archiduce Austriae, jure consanguinitatis et ex pactis familiae avitum et viduum Hispaniae regnum juste praetendente (c). Cumque in eo cardine lis et causae

---

„usque ad portam novam per civitatem tulit; concione, quam Suffraganeus Verhorst „habuit, interfuit; peracta concione, in altari S. Mathiae celebravit Missam privatam, „eodemque die in prandio cum Canonicis summi templi et Aulicis suis in monasterio „nostro mansit — et post octo dies iterum per Mosellam Confluentiam recessit.“ —

Aliud factum, memoratu sotis dignum, legimus in eodem Msto nempe: „Anno „1681. 19. Maji, Joannes Hugo Archiep. ordinavit festum S. Eucharii celebrari 16. „Decembris, sicuti et festum S. Valerii 19. Januarii, et festum S. Materni 17. „Sept. — Volebat idem Archiep. eadem festa etiam celebrari in foro, sed populus „se opposuit propter multitudinem festorum, et sic celebratio in foro inter- „missa fuit.“

Adnotamus et aliud factum in Gestis praetermissum, fundationem scilicet monasterii B. M. V. in Bornhoffen ad Rhenum concernens, quod legitur ap. D'Hame in Confluvio historico Msto, Tom. II. his verbis: „Joannes Hugo ab Orsbeck, „Archiep. et Elector Trev., an. 1679., Patres Capucinos, in oppido Welmich hos- „pitium habentes, in loci Bornhoffen possessionem per Valentinum Scheiden, Vi- „cariatus Confluentini Commissarium, et supremum Satrapam Boppardiensem, Comitem „de Cratz, praesente Scabinatu et Magistratu Boppardiensi, introduci jussit (10 Febr.) „Die 15to Aprilis insequente Elector Trev. in propria persona ad monasterium pri- „mum lapidem posuit.“

(a) Kal. Nov.

(b) Honth. edit. haec ex arbitrio immutavit in hunc modum: „Ludovico XIV. Galliae „Rege ex testamenti tabulis pro &c. &c.“ —

(c) Angliae vero Belgiique foederati de dividenda monarchia Hispanica propositiones vide ap. Dumont (Nouveau recueil de Traités, II. p. 52. et 104.)

controversia hinc et inde versatur, herciscundae familiae denique Mars arbiter delectus est.

Et sane sub finem labentis et initium subsequentis anni advolantium peregrinarum varii coloris avicularum, ipsumque quasi aërem obscurantium innumerabilis copia, Treviris nihil boni augurebatur. De nocte a rusticis illorum incredibilis copia cum faculis capta; duodena earundem pro uno cum dimidio petro seu albo veniit. Perpinques erant, sed gustus subamari.

Rarae quoque observationis est, et haud bonum omen videbatur esse et praesagire, quando secunda Februarii, ipso B. M. V. Purificationis sacro die hujus anni, qui ab Christi ortu 1701. agebatur, tam horrendum tonitru, intermixto fulgure et grandine, subsecuta tanta imbrium illuvio, ut navibus urbis Treviricae plateas pernavigare licuisset, exortum est.

Enim vero Rex Galliae Ludovicus XIV., qua arte, qua Marte, sub colore fictitii et supposititi illius testamenti, ad hoc egregiam et fraudulentam navante operam Cardinale Portocarrero, colludente quoque Bavariae Duce Emanuele (*), qui tunc ex gratia Caesaris Belgii Hispanici Gubernator erat (**), usurpata Hispaniae monarchia, Philippum Ducem Andegavensem, ejusdem ex filio nepotem (frustra propterea per publica manifesta et legationes protestante Imperatore Leopoldo legitimo haerede) eidem regno pro Rege obtrusit. Utque nefandum hoc facinus (***) eo magis stabiliret, in Hungaria rebelles sub Duce Ragozio contra Imperatorem denuo subcitavit; quin etiam ipsum Turcam ad rumpendum, nuper Carlowizii in Hungaria conclusum foedus per oratores foede et minus christiane sollicitavit (†).

Hocce injustum (††) totique Europae pariter periculosum Galli facinus, jam universalem monarchiam ambientis, plurimi Europae Proceres detestantes, ad vindicandam Hispaniae monarchiam cum Imperatore Leopoldo foedus inierunt. Et quidem Rex Angliae

---

(*) Bavariae Electore et Duce Maximiliano Emanuele.
(**) Omnia haec: sub colore &c. &c. usque ad finem, omisit Honthemius.
(***) nefandum-facinus non legitur ibid.
(†) Ibid. haec tantum: per oratores sollicitasse dicitur.
(††) Ibid. deest: injustum.

Wilhelmus cum confoederatis Belgii Statibus, 7ma Septembris hoc 1701. anno, Hagae Comitis in Hollandia arciissime cum sacra Caesarea Majestate contra Gallum pepigere, invicem jurato spondentes, se non prius arma deposituros, nisi Imperatori et suis foederatis per omnia satisfactum fuerit.

Eodem hoc anno, in mense Augusto, qui haec scribo, per Bavariam proficiscens, vidi Bavarum, tunc in Belgio, cujus Gubernator beneficio Imperatoris erat, adhuc degentem, virus sicut et (*) foedus cum Gallo initum etiamnum occultantem, multum, et quidem prout eventus dabit, in propriam perniciem et ruinam conscribere militem. Ex itinere, quod tunc per Bavariam, Viennam, per Moraviam, Wratislaviam Silesiae metropolim, inde per Saxoniam, Thuringiam et Hassiam peregeram, domum post vindemiam redux, reperi et vidi in tractu Mosellae tantam vini copiam crevisse, ut, qui tria vasa daret, tertium repletum musto reciperet.

Anno, qui proximus huit fuit, medio Martii, tantus calor, quantus summa in aestate vix esse solet, Treviris extitit; ut circa finem hujus mensis arbores passim florere, et vites botros propullulare coeperint; subsequens autem in mense Aprili frigus flores hosce et botros praematuros facile perdidit. Clementiores fuerant Majus et Junius menses, qui subministrato extraordinario calore, vites denuo, et quidem circa medium hujus mensis, efflorescere fecerunt, et effecerunt, ut hic annus in frumentis aeque ac vino fertilis admodum esset.

Fatalis et luctuosus idem 1702. annus Trevirensibus fuit, dum, vix delibata pace, bellorum motibus et injuriis denuo oppetuntur; quando nempe 16. mensis Octobris die, sub Generali Lohmaria, quinque facile Gallorum millia Treviris advenere, atque misso ad omnes urbis portas praesidio, fixisque in Campo Martio (a) tentoriis, praestolabantur ibidem totius Gallici exercitus, ad obsidendum Trarbacum, arcem munitissimam, ad Mosellae ripam infra Treviros sitam, adventum; qui deinde, 26. hujus mensis, sub Duce Generali Comite de Tallard, ad quindecim circiter millia fortis, cum tormentis et apparatu

(*) Verba: virus sicut et, omissa sunt ibidem.
(a) In suburbana Trevirorum regione ad S. Paulinum.

bellico, in damnum et perniciem moestissimae urbis et patriae advenit (a), atque e regione urbis in campo Uhrano castra metatus est, exstructo insuper apud Treviros navali ponte (destructum ante tredecim annos (b) a sese pontem lapideum jam ipsi dolentes). Generalis Lohmaria quidem cum suis copiis, 27. Octobris, a parte urbis terra, peditatus vero Comitis de Tallard aqua cum tormentis et omni apparatu bellico descendit; equitatus altera die, relicto militum praesidio in S. Martini Benedictinorum coenobio, subsecutus est. Atque 31. Octobris a Gallis Trarbacum obsessum, 8va deinde mensis Novembris Commendans inibi, Bettendorffius Capitaneus Neoburgicus, arcem, sub aequis tamen conditionibus, hosti dedidit. Inde Treviros triumphans Gallicus exercitus reversus, firmiori ad 500. militum, in S. Martini monasterio, expulsa denuo sacra Benedictinorum familia, relicto praesidio, Lotharingiam petiit, Nanceumque, Lotharingiae ducatus metropolis, afflicto Duce Lunevillam sese recipere coacto, a Gallis occupatum et numeroso milite impletum fuit.

CAPUT CCCXXVI.

Anno, qui proximus huic, millesimo septingentesimo tertio, nona mensis Februarii die, Germani quidem reobsedere Trarbacum; ast adventante 26. ejusdem mensis die, in succursum obsessis, Generali Gallico de Tallard, relicta quantocius obsidione, in fugam acti fuere. Quid et quantum urbs Treverica et desolata patria per hasce expeditiones Gallicas perpessa sit, vix absque lachrymis recogitari potest (c).

Felicior foederatis successit obsidio Bonnensis; quam urbem, licet a Gallis egregie defensam (Elector Coloniensis Clemens Josephus abominandas (d) Ducis Bavariae germani sui, et praecipue Galli partes

---

(a) Elector Trevirensis, Joannes Hugo, eodem anne 8. Maji, magno foederi contra Ludovicum XIV. accesserat. — Vid. Alliance faite et conclue à la Haye entre la Reine de la Grande Bretagne et les Etats Généraux avec son Altesse Electorale de Trèves. (Dumont Corps diplom. VIII. P. 1. p. 114. — ex eo Hontheim Hist. Trev. dipl. III. p. 550 sq.)

(b) Anno 1689. Vid. supra.

(c) Tristissimum sane patriae nostrae fatum! Treviris nulla salus bello!

(d) abominandas: omisit Honth.

sectatus, jamtum ad tutiora Galliae loca sese receperat, ibidem perduellionis poenas in exilio per decennium luiturus [a]) spatio trium dierum deditione, octava nimirum mensis Maji die ejusdem anni, occupavere.

Duodecima subinde mensis Septembris Imperator Leopoldus ad instantiam confoederatorum, Angliae nimirum Regis, et Hollandiae Statuum, Hispaniae monarchiam; a Gallo usurpatam, cum certis quibusdam conditionibus et reservationibus, prout olim sub Carolo Quinto aliisque practicari consueverat, secundo genito filio Carolo Archiduci Austriae pleno jure et titulo cessit, eundemque cum solitis et consuetis solennitatibus Hispaniae et Indiarum Regem renuntiavit et declaravit. Decima nona Septembris proinde sic declaratus et renuntiatus Rex Hispaniae ejus nominis Tertius, cum apparatu sane regio, Vienna ad vindicandum suum regnum discessit, atque in itinere ubique, praesertim Dusseldorpii ab avunculo suo Comite et Electore Palatino, ubi 16. Octobris, ac Hagae Comitis in Hollandia, ubi 2. Novembris advenit, a Statibus foederatis cum possibili honore et applausu populi exceptus fuit. Propter contrarium tamen ventum et exortas tempestates nonnisi 6ta Januarii, ipso sanctorum Trium Regum festo die, anno 1704. in Anglia appulit. Mirum dictu! quam benevole, quam liberaliter, et plus quam regie a tunc temporis Regina Anna (Rege Wilhelmo jamtum emortuo) exceptus fuerit. Fertur eandem publice edixisse ac spopondisse, se non prius arma depositurum, imo potius propriam coronam amissuram, nisi Carolus avitum Hispaniarum regnum recuperaverit. Ast tempus dabit, quod et haec Regina inter vel maxime instabiles foeminas sit annumeranda. Octava deinde Martii Rex Carolus Ullissiponti Lusitaniae metropoli, varias licet maris perpessus incommoditates ac tempestates, feliciter et cum applausu Regis ejusdem affinis ac universi populi appulit.

CAPUT CCCXXVII.

Interea in superiori Rheno res Germanorum minus feliciter successere, quando Germani (pudet dicere, sub quo, forte corrupto,

(b) Et haec: ibidem porduellionis poenas &c. &c. non leguntur in hac editione.

Duce!) in succursum obsessae a Gallis Landaviae (*) (quam sub auspiciis et praesentia Josephi Regis Romanorum Caesareani praeterito anno expugnaverant) adventantes a Gallis sub Duce Tallardo ad internecionem usque, decima quinta Novembris ipso sancti Leopoldi sacro die hoc 1703. anno, deleti fuere, Officialibus seu belli ducibus eorum, nimium viribus confidentes, interea Spirae Imperatoris Leopoldi festum diem, infaustum sane, inter pocula celebrantibus; unde Landavia quoque, pro dolor! perdita fuit. Hanc Germanorum cladem nimium quantum sensere Treviri, qui non modicam triumphantis illius et petulantis (a) Gallici exercitus copiam in hyberna summo cum damno et incommodo suscipere et alere coacti fuere.

Sub finem labentis 1703. anni tantum frigus supervenit, ut ab hoc tempore Mosella ad 25. Januarii subsequentis 1704. anni diem congelata remaneret, adeo ut onustis curribus glaciem transire liceret.

Annus qui sequitur millesimus septingentesimus quartus Caesarem et sacrum Imperium de superiori anno apud Landaviam accepta clade et ab injuria superbientis (b) et intumescentis hostis vindicavit, Germaniaeque cum triumpho libertatem, cui Gallus cum Bavaro servitutem (c) intentaverat, asseruit. Galli quidem 26. Aprilis, ad sex millia Treviris hybernantes, relicto quadringentorum militum praesidio in S. Martini fortalitio, versus Argentinam, deinceps cum validissimo Gallorum exercitu sub Duce Tallardo in Bavariam, cum Electore sese conjuncturi, festinanti pede profecti fuere. Bavaro jamtum occupata Ulma et Augusta Vindelicorum, nobilibus Imperii civitatibus, inque ipsam Tyrolim penetrante, atque ruinam toti Imperio, praecipue regnis augustae Domus Austriacae haereditariis minitante. Ast adest optata illa dies, qua (d) vindex justitia divina de perfidia et perduellione ac superbia triumphat: quando nimirum decima tertia Augusti sub aus-

---

(*) Landaviam ab exercitu Germanico (10. Sept. 1702.) captam, victis prius ad amnem Spirensem, qui ad auxilium accurrere debuissent, Germanis, Gallus in suam rursus redegit potestatem.

(a) et petulantis: omisit Honthemius.

(b) superbientis: non legitur ibid.

(c) Actum de Germania videbatur, nisi contigissent saeculo huic maximi Heroës Eugenius et Marlborougius: scribit Petavius, eximius auctor Gallicus.

(d) Sequentia usque ad: nimirum, desunt ap. Honth.

piciis fortissimorum belliducum, serenissimi Principis Eugenii a Sabaudia et illustrissimi Comitis Joannis a Marlborough Angli, formidabilis Gallo-Bavaricus exercitus totaliter profligatus, et Bavarus e proprio regno, qui aliena affectabat, ultore Deo, ejectus, et in Galliam, seminarium illud et asylum rebellium (a), profugus fuit (b). Placet, sequentem inscriptionem rei seriem declarantem adjungere:

Monumentum
Aeternae Memoriae Sacrum.
Anno MDCCIV. die XIII. Augusti
in hac regione.

Ingenti clade fusus est exercitus Gallo-Bavarus, ductus ab Emanuele Electore et Franciae Mareschallis Tallard et Marsin, quorum alter in praelio captus cum XL. Praefectis belli primariis, IX. c. minoris ordinis, et XII. m., gregariis, praeter deletos in campo XIV. m., et in flumen IV. m. praecipitatos. Exercitui victori cum immortali gloria imperavit Joannes Dux de Marlborough Anglus, quem sub auspiciis Annae Reginae et foederati Belgii Ordinum a Tamesi et Mosa ab Danubium adduxerat, ut Germaniae periclitanti succurreret.

Quam expeditionem
Junctis, cum Ludovico Marchione Badensi, copiis, expugnato
ad Donawertham Monte, valle, aggere, munitissimis,
summa cum fortitudine coepit,
et post, sociatis iterum armis cum Eugenio a Sabaudia Principe,
Decretorio Conflictu
In campo inter Bleintheim et Hochstadt pari constantia
ac felicitate perfecit.
Erat adversa acies et numero et loci situ superior,
neque alius ad victoriam patebat, quam per paludes, aditus.
Sciant foederati Duces
Viam virtuti nulli esse inviam.

(a) Haec: seminarium &c. &c. iterum omisit Honthemii editio. —
(b) Cuncta illa: quae sequuntur, usque ad periodum, quae incipit: Reportata hac insigni &c. &c., desunt ibidem.

Discant Proceres
Conjurationem cum patriae hostibus raro esse impunem,
et agnoscat tandem Ludovicus XIV., neminem ante obitum
debere aut felicem aut magnum praedicari.

Reportata hac insigni et memorabili in Bavaria apud Hochstadium victoria, victor exercitus retrogressus, superato Rheno, sub auspiciis ipsiusmet Regis Romanorum Josephi Landaviam denuo obsedit, et 25. Novembris deditione occupavit; dum interea Dux Marleburgicus cum triginta millibus, 29. Octobris, Treviros usque penetraret (*), cujus adventum non exspectantes Galli, fortalitium S. Martini apud Treviros, combusto ibi ponte volatili et plurimis navibus, in fugam acti, deseruere; foedam sui nominis memoriam relinquentes (**).

Captum subinde 7ma Novembris Saraeburgum supra, et infra Treviros oppugnatum et 19. Decembris expugnatum fuit Trarbacum (***).

Relicto deinde militari ad XIII. millia Danorum, Brandeburgensium, Wirtenbergensium aliorumque Caesari confoederatorum militum, Treviris praesidio (a), atque congregata ibidem incredibili annona et commeatu, ipse Dux Marleburgicus cum reliquo exercitu in Belgium, inde in Angliam triumphans, ab Imperatore Leopoldo, ob navatam fideliter Imperio operam, egregie remuneratus, et Imperii Princeps declaratus, profectus est.

Forti interea et celeri manu supra et infra Treviros, a porta Campi Martii, inde per montem Martis (b) et S. Crucis collem, ad S. Medardum, Carthusiam (c) et pontem Conzianum usque; ab altera Mo-

---

(*) Conf. epistolas Ducis Marlborough, quas ex itinere agminis Anglici et Confoederatorum, tum per Eifliam Treviros usque penetrantis, scripserat. (Herzogs Joh. v. Marlborough Leben u. Denkwürdigkeiten, nebst dessen Original-Briefwechsel aus den Familien-Archiven zu Blenheim ꝛc. ꝛc. von Wil. Core. Uebers. von F. A. v. H. Wien, 1820. II. S. 83. u. ff.)

(**) Haec verba: foedam &c. &c. omissa sunt ap. Honth.

(***) Saraeburgum tum occupatum est per legionem Borussicam Sehwerin, Duce Seckendorf. Capitulationis articulos, quos iniit Debair, Gubernator strenuus Trarbaci, refert Theat. Europ. XVII. p. 115.

(a) Vid. Wyttenb. Gesch. von Trier. (V. Th. S. 109. ff.) ubi hae res ex aliis documentis Mss. urbis nostrae fusius exhibitae sunt.

(b) Ad orientalem urbis regionem.

(c) — Hoc tempore et hos inter tumultus Carthusia a quadragintis foederatis per quatuor

sellae parte in monte Apollonis, in ducendis erigendisque lineis, fossis et aggeribus, interpositis palis (a), indefesse hac hyeme laboratum, atque opus hoc memorabile ad arcendum hostem, sub initium subsequentis 1705. anni, ad stuporem perfectum est (b).

CAPUT CCCXXVIII.

Dum (*) haec in Germania et Treviris feliciter geruntur; feliciter quoque et fortiter in Hispania pro Rege Carolo Tertio pugnatum fuit; quando nimirum confoederati Angli et Hollandi valida cum classe, praeter alias civitates et fortalitia, 4ta Augusti hoc 1704. anno, portum Herculeum (**) (Gibraltar vocant) ubi mare mediterraneum cum oceano jungitur, deditione (***) ceperunt.

Agebatur a Matris Virginis puerperio millesimus septingentesimus quintus annus, cum Leopoldus primus, Imperator piissimus, inter ipsos victoriarum triumphos, de Turcis alias, novissime de Gallis reportatos, aeterna trophaea de tot et tantis virtutibus, quibus condecoratus fuerat, reportaturus, diem ultimum 5ta Maji, non absque fama sanctitatis, clausit. Thronum cujus conscendit ejus primogenitus, Rex Romanorum, Josephus primus.

Vigesima sexta Maji deinde Dux Marleburgius cum Duce Wür-

---

menses et ultra occupata, magis castrensi foro, quàm Carthusiensi choro similis visa est. — Princeps Würtembergius Carthusiam in hospitium delegerat (Sic Mstum Carthusiense.)

(d) Steterunt pali 1399. in loco, vulgo die Paliener Redoute, ad annum usque 1736., quo per mandatum Electoris Trevirensis Confluentiam transmissi sunt.

(e) W. Coxe Anglus in opere supra laudato scribit (II. p. 88.): „Des Herzogs erstes Augenmerk war, dem strategisch wichtigen Puncte Trier die gehörige Haltbarkeit zu verschaffen. Aus der Umgegend wurden 6000. Bauern ausgeschrieben, um die Festungswerke auszubessern und zu verstärken. Zur Schirmung dieser Arbeiten wurde die Reiterey in Conz an der Saar aufgestellt, das Fußvolk in enge Cantonirungen rings umher verlegt, und der Oberbefehl dem General-Lieutenant Hompesch übertragen." —

(*) Haec periodus, usque ad illam, quae incipit: Agebatur &c. abest ap. Honthemium.

(**) Columnam Herculis Europaeam, sive Heracleam vocant alii.

(***) Angli Batavique subito Gibraltarium aggressi, paucarum horarum oppugnatione ad deditionem compulerunt. —

„Gibraltar, la clef des deux mers, ce redoutable rempart qui faisait respecter l'Es„pagne de deux mondes, n'était pas gardé par cent hommes!" (Mémoires de Louville Vol. II.)

tembergae, et haereditario Cassellae Hassiae Principe advenit, quem, 29. ejusdem mensis, selectissimus Anglorum et Hollandorum exercitus ad 40,000. fortis, cum tormentis aeneis et copioso belli apparatu subsecutus, et castra ab altera Treviricae urbis parte, juxta Aquilae (a) pagum, metatus est.

Mirum dictu, quot naves, prodigiosae etiam magnitudinis, de superiori Rheno et Moeno, ex Hollandia et Tamasi principe Angliae fluvio, annona, commeatu, et apparatu bellico onustae, circa haec tempora Treviris appulerint. Et sane hisce diebus victualibus Treviris aeque ac pecunia abundabat, et jam videbantur cives de tot perpessis a Gallis calamitatibus aliquantulum respirare, et, quod mireris, in tanta militum multitudine, diversarum etiam religionum, optimi cives nihil injuriarum, nihil detrimenti perpessi sunt: adeo bene disciplina militaris observabatur.

Quam laetus autem et gratus Germanorum et Confoederatorum adventus Treviris fuit; tam tristis et fatalis eorum subitaneus discessus iisdem accidit. Siquidem, posteaquam secunda Junii formidabilis supra Treviros ad 80,000 millia collectus Confoederatorum exercitus (b) sub strenuissimo Duce Marleburgio in ipsa Galliae viscera (c) per Mediomatricum terras irrumpere, et aut Theodonisvillam vive Metas oppugnare parat: Galli prope Syrckium, quod est oppidum cum arce, decem horis circiter supra Treviros situm, omnes aditus, absque eo ibidem naturaliter angustos, succisis arboribus, exstructis aggeribus et mu-

---

(a) Vulgo Igel, latine Egla, ut habent constanter documenta medii aevi. Cernitur et admiratur hic illud Romani aevi monumentum quadrangularis pyramidis, quod Secundinorum Mausolaeum dicimus. Conf. cap. 376. —

(b) Marlborough indicat (ex consilio, ut videtur) tantum ad 42,000, addens, exercitum Gallicum, cui prafuit Villars, constitisse ex 55,000 militibus. (Vid. W. Coxe l. c.) Villars autem, exercitum Confoederatorum ad 95,000 fortem fuisse, asserit (vid. Mémoires de Villars.) —

Consentit Gestorum textui Chronicum Germanicum Ms. coenobii ad. S. Joannem, quod de his rebus haec refert: „Der General Marlborough iſt mit ſeinen Engländiſchen, Holländiſchen, und ſembtlich allegirten Völckeren ober Coutz undt bey Perl zu ſtehen kommen deren über 80 tauſent Man geweſen, gegen die franzöſiſche Armee, ſo Mons. de Villars als General Commandirte, welcher bey Sirck ſich über alle maſſen vortheilhafftig einverſchantzt hatte.“ — —

(c) visura: turpis lectio in edit. Honth.

nimentis, plantatisque hinc inde in collis et rupibus grandioribus tormentis, adeo praecluserant, ut absque dispendio et ruina totius exercitus, Confoederatorum Belliduces ulterius progredi consultum minime rati, decima septima Junii levatis noctu castris, quae Perlae (a) (pagus est octo horis supra Treviros non procul Syrckio dissitus) fixerant, retrogressi, decima octava dicti mensis Junii Conzium advenerunt, et 19na per patriam Luxemburgensem, Belgium festinante gradu repetierunt; ubi Galli Leodium et Hujum (b) modo occuparant.

Ferunt, inopinati hujus Confoederatorum discessus, et minus felicis expeditionis causam primariam fuisse, quod Marchio Badensis Ludovicus, Caesareanorum et Imperii militum supremus Generalis, contra factum cum Duce Marleburgio conventionem, Saram-Ludovici, ad faciendam Gallis diversionem, cum suis copiis non obsederit, imo ne pedem quidem de superiori Rheno cum exercitu suo contra hostem moverit (c). Ast miserentis Dei dispositione potius creditur factum, quod Galli a praesenti et imminenti ruina et interitu liberati fuerint; quando nempe hisce diebus per totam Galliam omnis populus in orationibus et jejuniis poenitentiam egit. Per Octavam Corporis Christi Venerabile, Sancta Sanctorum, in pulcherrimo ad id expanso tentorio in Gallicis castris prope Theodonisvillam expositum, et ab Officialibus aeque ac gregariis militibus mira devotio exercita fuit; et credendum; timorem Domini perculsisse militem Anglicanum et Hollandum, verae Catholicae fidei adeo inimicum: siquidem et ii, ad sex millia Treviris, pro tuendis noviter exstructis lineis, relicti milites, combusto partim et in Mosellam projecto commeatu et annona, combustisque navibus noctu 25. Junii, praecipitanter plane, quasi in fugam acti, cum tamen nullus hostis metuendus immineret, Treviris discesserunt. Unde hostis, quasi hydra repullulans, cum quatuor facile millibus Treviros revisit, eidemque relictus a Confoederatis apparatus

---

(a) Accuratius: in clivo, quem dicunt Königswald prope Efft. Vid. Epistolas Ducis Marlborough ap. Coxe, l. c. —

(b) Huy.

(c) Chronicon Ms. monialium S. Joannis haec pauca habet: „Nachdem aber die Alliegirten geſehen, daß ihre Vorſchläg, durch ſolche Weg in Frankreich einzufalen, nit angangen, ſö ꝛc. ꝛc.

bellicus cum tormentis et plurimo commeatu in spolium cessit. Subinde tot sumptibus erectae circa Treviros lineae, aggeres et propugnacula solo a Gallis applanata, et monasterium S. Martini, expulsis optimis monachis, denuo fortificari coeptum, et Treviri sub intollerabili illo Gallorum jugo deinceps lugere debuerunt.

Porro hanc apud Treviros perpessam jacturam ipse Dux Marleburgius quadantenus reparavit, quando 18va Julii apud Tirlemontium in Brabantia ductas et erectas isthac a Gallis lineas et munimenta, exigua suorum caede, perrupit, caesis quam plurimis hostium, captivis insuper mille quingentis cum eorum Generali Marchione d'Allegre, et in spolium cessis tormentis et omni commeatu.

Hic 1705. annus plurimis in civitate Trevirensi fatalis et extremus fuit, regnante ibidem, praecipue in aestate, dissenteria; idque ob excessivum nimium in mense Julio et Augusto calorem. Cerevisiae et acidularum, aliique refrigerantes potus fatales erant. Sub finem labentis anni, 15ta nimirum et 17ma Decembris circa vesperum, insuetum plane Treviris fulgur et tonitru exortum est.

CAPUT CCCXXIX.

His rebus Treviris et in Belgio (a) gestis, feliciori Marte in Hispania pro Carolo pugnatum fuit (b). Siquidem Rex Carolus tertius cum armata Anglo-Hollandorum classe Catalauniae ora maritima attingens, medio Septembris Barcinonam, hujus Principatus metropolim, terra marique oppugnans, post trium septimanarum obsidionem expugnavit, atque ibidem Regiae aulae domicilium fixit. Expugnatae itidem fuere Tarragona, Girona, Tortosa et Lerida, praecipuae Catalauniae civitates. Harum exemplum secutae plurimae Regni Arragoniae et Valenciae urbes et arces.

Quando anno reparatae salutis supra millesimum septingentesimum sexto, duodecima mensis Maji die, sol, spatio duarum horarum, a

---

(a) et in Belgio: omissit Honthemius.

(b) Cuncta haec, quae jam sequuntur usque ad finem capitis, rursus absunt apud eundem. — Breviarium belli Hispanici, Trevirenses quoque multum vexantis, per scriptorem nostrum synchronum nobis relictum, satis memorabile nobis esse videtur. —

nona nimirum usque ad horam undecimam matutinam, horrendam sane et stupendam ecclypsin passus est: ipse Dux Andegavensis Philippus, qui cum Gallo-Hispanicis copiis longa et arctissima obsidione ipsum Regem Carolum Barcinonae cinxisset, adventante in auxilium afflicti Regis Catholici classe Anglo-Hollandica cum quinque et ultra armatorum millibus, levata obsidione, et relicta in castris suis incredibili et vix audita commentus, annonae et apparatus bellici copia, caesis suorum quam plurimis, fugitivus sese in tutiora recepit.

Expugnata deinde a Carolinis Rosa, Catalauniae urbs munitissima. Pariter Regi Carolo subjectae fuere Alcantara, Placentia, aliaeque Hispaniae civitates; quia etiam ipsa Regni metropolis Madritum a confoederatis Lusitanis, Anglis et Hollandis 27. Junii occupata fuit. Ipse Carolus victorias prosecuturus, hoc mense Barcinona exercitum movens, 18. Julii cum jubilo, applausu et acclamatione populi: Vivat Rex Carolus, serenissimaque domus Austriaca! Saragossam, Arragoniae primariam urbem, ingressus, ab Archiepiscopo in Cathedrali ecclesia ibidem in Regem solitis et consuetis cum ceremoniis unctus, et fere tota Hispania eidem cum insulis Balearibus, Majorca nimirum, Minorca et Ivica, subjecta fuit.

Inde sic coronatus Rex Carolus in Castiliam progressus, apud Confoederatorum exercitum, qui ex octo Anglorum et Hollandorum, ex septem Hispanorum et octo deinde Lusitanorum circiter militum millibus constabat, quinta mensis Augusti die advenit. Ast advolante ex Gallia in succursum Ducis Andegavensis validiore exercitu, Rex Carolus Barcinonam, cum aliquibus copiis; Confoederati vero in Lusitaniam ad tutiora loca sese receperunt. Unde Philippus plurimas provincias sibi denuo subjecit, atque 22. Septembris Madritum ingressus, iis, qui partes et fortunam Regis Caroli secuti fuerant, durior extitit.

Ex Hispania lubet in Belgium progredi, et videre, qualiter Catholicae Majestati Carolo III. favens fortuna ejusdem foederatos palmis et lauris coronarit: ibi hujus anni militares expeditiones faustissimos habuere exitus.

Nempe Anglicanus Dynasta (Mylord) et multarum victoriarum compos Dux Marlborougius, qui 25. Aprilis ex Anglia in Hollandiam

appulerat, collatis cum Belgii Confoederatorum Primatibus, de expeditione castrensi, consiliis, conferebat se ad exercitum, atque non procul Tungris (*) castra figebat, ibidemque Anglicanas, cum Hollandicis sub castrorum Praefecto Oberkerkio, conjungebat copias: Duce Bavariae sese interea quoque cum Gallico Tribuno Villeroy, in campo apud Tirlemontium, cum copiis suis coadunante. Erat eis propositum, Hollandos, antequam cum Anglis et Danis se conjungere valerent, invadendi. Ast fefellit illos eventus; siquidem Foederatorum jamtum conjunctus exercitus hostili tam prope appropinquavit, ut 23. Maji hujus 1706 anni, ipso primario Penthecostes festo die prope Indoignum seu Rameliam (**) (pagus est in Brabantia, ubi amoenissima et spatiosa planities) ad cruentum admodum, verum Foederatis victoriosum praelium perventum fuerit. Ab initio quidem pugnae (quae medio secundae inchoata, ad quintam fere vespertinam, cum incredibili utrinque ardore et furore duraverat) dubio et ancipiti Marte pugnatum fuit. Ast, Deo sic volente, Confoederati, qui ad quatuor hoc in conflictu amisere suorum millia, completam victoriam reportarunt. Ex hostibus caesi, saucii et captivi fuere viginti facile millia; castra eorundem, cum omnibus tormentis et commeatu, victoribus cessere in spolium; hique victoriam prosequentes, hostem incessanter persecuti, eidem se recolligendi tempus non concesserunt; sed, aspirante Numine, tantum effecerunt, ut spatio seu dierum novem potentissimae urbes et fortalitium unum (***): nimirum Lovanium, Bruxellae, Vilvordium, Linium, Mechlinia, Antwerpia, Gandavum, Dendermunda, Audenardum et Perla ab hostibus derelictae, a Foederatis occupatae; adeoque tota Brabantia Carolo subjecta, isque Bruxellis Brabantiae Dux proclamatus fuerit.

In Italia fortiter quoque et feliciter circa haec tempora res pro Caesare Josepho et Carolo Rege fratribus peragebantur: quando strenuus et multis victoriis clarus Princeps Eugenius de Sabaudia, Caesareanorum copiarum supremus Tribunus, advolans opportune sane agonizanti Taurino, quam Ducis Sabaudiae, tunc temporis Caesaris

---

(*) Tungri sive Aduaca Tungrorum, h. Tongern.
(**) Ramillies. (***) Meenen, Menin.

foederati, primariam urbem et ordinariam sedem, Galli sub Duce Aureliacensi dura et arctissima obsidione cinxerant, subvenit, atque profligato ad internecionem hoste, ipsum Sabaudiae Ducem a praesenti omnia perdendi periculo liberavit.

Castra hostium, cum tormentis, commeatu et omni apparatu bellico Caesareanis cesserunt in praedam; ipseque deinde Mediolacensis Ducatus ab victore exercitu occupatus fuit.

CAPUT CCCXXX.

Laeta haec quidem Treviris fuere nuntia: ast continue sub intolerabili Gallorum jugo gemebant miseri; anxia tamen eorum corda excellens leniebat vini hujus 1706 anni crescentia et fertilitas frugum fructuumque.

Annum proximum, quem a Christo nato 1707 numeramus, Treviri cum Jubilaeo auspicati fuerunt; dum illud 30. Jan. cum pietate et devotione inchoantes, 13. Febr. finierunt: indulserat nempe Clemens XI. Pontifex Maximus universale Jubilaeum, ut, contrito corde poenitentiam agentes, iram divini Numinis placaremus, et unitis precibus optatam inter Christianos Principes concordiam et pacem exoraremus.

(*) Sub initium hujus anni Galli ex pacto et conventione Caesareanis cessere arcem Mediolacensem, Mantuam, Cremonam omnesque, quas circumquaque in Italia possederant civitates. Sic non inconvenienter, licet arroganter, Gallicus quidam author scribit: Italia, nescio, quo fato, jam inde a Romanis luctuosa est Gallis; in qua vincunt quidem, sed perituri: quasi terra, olim gentium victrix, triumphantium ambiat corpora!

In Hispania interea 25. die Aprilis hujus 1707 anni Foederatis fatalis fuit; quando nempe apud Almanzam in regno Valenciae cum Gallo-Hispanis acie congressi, ingentem stragem perpessi sunt, unde Valenciae regnum cum Arragonia iterum perditum fuit.

Hac aestate Generalis Villardus (**) cum quadraginta Gallorum

---

(*) Facta bellica, quae sequuntur usque ad finem capitis, non exhibentur in Honthemii editione.

(**) Villars.

millibus, perruptis ab altera superioris Rheni parte Germanorum, ut vocant, lineis apud Stolhovium, in ipsum Würtembergicum Ducatum penetravit, atque occupato Stutgardio, Würtembergae metropoli, Canstadio, Schorndorbio et Heidelberga, aliisque nobilissimis Würtembergae et Palatinatus civitatibus, terrorem longe lateque ad Danubium usque Germanis incussit: appropinquante autem Germanorum exercitu (*) sese ad Rhenum in tutiora hostes receperunt.

Par pari Caesareani referebant Gallis in Italia; dum nimirum mense Julio sub Generali Comite de Thauna, ex Treviratu oriundo, (**) fugatis Gallis, Neapolim totumque regnum, absque exigua jactura occuparunt.

Undecima deinde mensis Julii die incomparabilis ille Bellidux et Princeps Eugenius cum Duce Sabaudiae, valido cum exercitu, superato Varo fluvio, caesis multis Gallorum millibus, ac captivis factis quam plurimis, in ipsam Provinciam Galliarum penetravit, occupatisque ibidem multis locis et civitatibus, octava Augusti Tulonem (***) portum maritimum, emporium pariter munitissimum, terra; Confoederati autem Angli et Hollandi, cum valida classe mari obsederunt, atque vastata plane per injectionem globorum igniariorum urbe, cum ingenti praeda, 22. Augusti, sese cum exercitu in Italiam recepit.

CAPUT CCCXXXI.

Treviris interea, medio Julii, tam excessivus calor fuit, ut plurimi circumquaque in campis messem facientes prae aestu et calore occubuerint.

Fertilis adeo hic 1707 annus Treviris in vino, frugibus et glandibus fuit, ut plaustrum Mosellani de mediocri crescentia 12., de optima 20. imperialibus, sestertium siliginis 13½ albis seu petris, et ultra triginta pondo porcinae uno solummodo imperiali veniirint.

(*) Elector Hannoveranus exercitui Germanico, Ludovico Badensi ineunte hoc anno defuncto, summo cum imperio jam praefuit.

(**) Fortasse Comes de Thüngen, acerrimus ille Gallorum hostis?

(***) Telo Martius in Itin. Ant. — h. Toulon.

(*) Dum hoc anno Italia ab Hispano-Gallis vindicata, atque pax ibidem seu potius armistitium partum fuit; relicto in munitioribus locis firmiore praesidio, Princeps Eugenius cum reliquo exercitu iter in Germaniam parabat: incunte vere in Belgio contra obstinatum etiamnum hostem, si Superis placuerit, fortius pugnaturus.

Amoenum praeter ordinem plane et calidum initium sumpsit annus incarnati Verbi millesimus septingentesimus octavus, quando hyems aestatis temperiem imitata, circa finem mensis Januarii et initium Februarii Treviris in hortis violas, hyacinthos aliosque flores produxit.

Laeta subinde Treviris percipiebamus nuntia, quod undecima mensis Julii die, hujus anni 1708, Foederati sub strenuissimis Belliducibus Principe Eugenio de Sabaudia, et Duce Marlborougio, (quem si illi opponas, hic Annibalem, Scipionem illic deprehendes) non procul Audenardo (**) in Flandria insignem de Gallis reportarint victoriam. Viginti facile periere hostium millia, castris eorundem cum tormentis et impedimentis (a) totoque commeatu victoribus in spolium cessis (b).

Funesta pariter ac moesta jam occurrit dies, quae Treviris Praesulem omnium virtutum ac scientiarum genere ornatissimum, insimulque judicem aequissimum abstulit, cujus virtutes evulgata subsequens schedula mortuaria compendio quasi complectitur:

„Anno a partu Virgineo octavo supra millesimum et septingente-
„simum, die duodecima Julii sub medium decimae matutinae, cum
„communi luctu, fatali apoplexia tempore sacrificii tactus, et Eccle-
„siae sacramentis rite munitus, pie obiit: anno aetatis quinquagesimo
„secundo, Episcopatus vigesimo primo.“

„Ill^mus et R^mus D. D. Joannes Petrus Verhorst, Dei et Apos-
„tolicae sedis gratia Episcopus Arbensis, Suffraganeus, Vicarius ge-
„neralis et Officialis Trevirensis, Ecclesiae lumen, Episcoporum spe-
„culum, virtutum omnium exemplar. Quanquam is S. Francisci Salesii
„non modo cultor eximius, sed et in Apostolica vivendi norma imi-
„tator perpetuus, verbo, exemplo, calamo, omnes Christo lucrifacere,

---

(*) Periodus sequens abest ap. Honth.
(**) Oudernarde.
(a) castris &c. non legitur ap. Honth.
(b) Conf. Mémoires du Prince Eugéne.

„et pro eo, quo constanter flagrabat, singulari animarum zelo, divino „amore inflammare studuerit, omnes indefessi et perfecti Episcopi „partes adimplens; nihilo tamen minus, si forsitan aliqua per humanam „fragilitatem labecula adhaeserit, in purgantibus flammis expianda, „sacrificiorum et precum vestrarum suffragia solicite exposcimus.

„Requiescat in pace.“

Tumulum et epitaphium sortitus est retro summum altare in inferiori collegiata ecclesia S. Simeonis hic Treviris (*).

(*) Hic vir excellens cum hoc epitaphio humatus est:

„Sub hoc tumulo quiescit R^mus D. Joannes Petrus Verhorst. Ubius, patre „Consule natus anno 1657., Episcopus Arlensis &c. Obiit IV. Idus Julii anni MDCCVIII. „Sacerdos vere magnus, indutus justitia, cujus os custodivit scientiam; in om„nibus praebens se exemplum bonorum operum: in doctrina, in integritate et in gra„vitate. Pastor bonus, qui gregem suum pavit, docens publice et per oppida. Judex „timens Deum. In quo erat veritas, odio habens avaritiam, nec aspiciens personas „nec munera, judicavit pupillo, et causam viduae suscepit, aperuitque manum inopi. „Lucerna ardens et lucens, extinctus est ad altare, ut cujus vita perpetuum sacrifi„cium, in ipsa augustissimi sacrificii consummatione consummaretur, et viam aeterni„tatis ingressurus ipsemet sibi viaticum porrigeret.“

In ms^to olim Coloniensi, modo Trevir., No. 1217 sign., de magno hoc sacerdote quaedam specialia notatu digna legimus, haec scilicet: „Natus Coloniae Agrip„pinae, Patre ibidem Consule, matre Anna Clara de Francken Siersdorff, filius uni„cus 1657. 22. Febr. — In facultate juridica patria Doctor inauguratur, a Joanne Hu„gone Archiepiscopo Trev. circa annum 1688 constitutus est Suffraganeus Trevirensis. „Consuetam vicino Societatis Jesu Collegio vivendi rationem ordinemque, quantum „per occupationes licebat, observavit, solitus ad pulsum Collegii campanae constanter „hora quarta surgere, meditari aliaque pietatis exercitia obire. — Conciones sacras „per Quadragesimam et solemniora anni festa Metropolitano in suggestu cum admira„tione fructuque maximo populi declamabat. Praeter vernaculum nativumque idioma „latine, gallice, italice loquebatur ad amusim; graeci etiam et hebraei sermonis non „rudis. Memoriae item tam promptae, totum ut Davidis psalterium ad verbum de me„moria recitaret. In visitationibus Dioeceseos a summo mane confessiones excipiebat „ipse, ad populum pro concione dicebat, catechesin pueris et simplicioribus explana„bat saepe. — Delatum fuit ipsi, sed recusanti, officium Auditoris in Rota Romana. „Ex improviso obiit, vehementi tactus apoplexia, postquam solas Eucharisticas panis „sumpsisset species, atque ita sibimet porrexisset viaticum, nec non eodem die melli„flui Divi Bernardi, utpote quae in ipsius pulpito adhuc explicata jacuere, pervolvis„set opera. Concionem funebrem dixit Hermannus Mylius S. J., etiam Consulis Colo„niensis filius.“ —

Addamus, quod praetermittit Ms^tum, anno 1700. Verhorst typo dedisse Commentaria in Librum primum Machabaeorum.

CAPUT CCCXXXII (*).

Ex superiori deinde Hungaria advolabat nuntius, perhibens, sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Josephi supremum illic Caesareani exercitus Tribunum, Comitem Sybertum Heisterum, prope Tranchinum, (Trentschinum) rebellium, sub corum primipilo, Principe Ragozio, sex profligasse millia, reportatis eorundem castris cum multis vexillis et commeatu.

Insulas (**) proinde, opulentissimum ac amplissimum Flandriae Comitatus emporium, Princeps Eugenius a Sabaudia, Gallis ad stuporem easdem defendentibus, atque late circum campum inundantibus, et frustra saepius succursum obsessis tentantibus, post duorum mensium arctissimam pariter et laboriosam obsidionem, 22. Octobris feliciter expugnavit; quam quidem munitissimam civitatem (Galli Lille vocant) Hispanis anno 1667. ereptam usque huc possederant. Boufflerus, Franciae Mareschallus, inibi commandans se cum suis in arcem recepit, eandemque ad decimam Decembris fortiter defendit.

Dux Bavariae interea, mense Novembri, cum quindecim et pluribus Gallorum millibus Bruxellam vi aggreditur, noviesque impetu et aggressu, ast in vanum, expugnare tentat; toties ab obsessis fortiter repulsus. Vigesima nona Novembris tandem infecta re, relictis suorum 1800. mortuis, adventante in auxilium obsessorum Duce Marlborougio (qui hostium apud Scaldim fluvium lineas hoc in itinere, occisis eorum quamplurimis et 2000. captivis persuperat) obsidionem relinquere, et qua data via, relictis impedimentis, in tutiora sese recipere coactus fuit.

Dux Sabaudiae hac aestate cum suis Caesareanis et auxiliaribus copiis Fenestrellam et Exilum, finitimas Sabaudiae Ducatus munitiones expugnavit, atque per hoc viam in Provinciam et Delphinatum sibi pandit.

Sub idem quoque tempus Caesareani in Italia, sub Generali Comite de Dauhna, propter exortas, ratione quorundam imperialium

---

(*) Totum fere hoc caput, usque ad verba: Caeterum hic 1708 annus &c. non habet Honthemius.

(**) Lille.

feudorum, Papam inter et Imperatorem, differentias, Ducatum Ferrariensem ingressi, expugnavere Comachium, Stellatam, Bolognam aliaque loca.

Foederati in Belgio, post reportatam prope Audenardum tam insignem de hostibus victoriam, haud erant otiosi; sed adulta jam hyeme, trigesima nempe Decembris die, Gandavum, a Gallis nuper in vere, stratagemate seu potius proditione, occupatum, cum allis civitatibus expugnaverunt.

Caeterum hic 1708. annus bissextilis Treviris parum fertilis et ferax fuit; dum parum vini, licet excellentioris notae, parum frugum, parum frumentorum crevit, adeo ut sestertium siliginis 34—36. albis constiterit.

CAPUT CCCXXXIII.

Annus Christianae salutis millesimus septingentesimus nonus, vitibus et frugibus algore geluque nimio corruptis, Treviris non tantum, sed et vicinioribus provinciis, praesertim Galliae, admodum infaustus fuit; saeviitque bruma gravissime, quam comitata ingens fames, multos passim vi frigoris, et intolerandi rigoris et inaediae asperitate enecuit et exanimavit.

Placet insolitae et inauditae hujus hyemis asperitatem parum circumstantialiter describere.

Sub initium mensis Januarii Mosellae fluvius per continuas pluvias auctus, Treviris ad civitatem usque ascenderat; et ecce! noctu quintam inter et sextam Januarii diem, in vigilia trium Regum, orto repente urenti vento et insolito frigore, Mosella et fluvii omnes spatio paucorum dierum arctissime congelarunt (*). Vix sciebamus, nos prae intolerabili frigore praeservare. Noctu ex solo oris halitu lectorum tegumenta, in ipsisque calefactis hypocaustis, praesertim noctu omne liquidum, panes ipsi, congelabantur. Multa pecora, ferae et aves prae frigore reperta fuere mortua. Duravit inauditum hocce frigus ad 25.

(*) Congelabantur et tum, ut fertur, thermae Aquisgranenses, Taji ostium prope Lisbonam, Constantiensis seu Bodamicus lacus, Rhodanus, rapidissimus fluvius &c. &c. —

Januarii diem, quando pluere, ac vigesima octava ejusdem mensis die glacies, sesqui ulna densior, magno cum impetu ac fragore rumpi coepit, plurimasque naves, et littori propinquas hinc inde aedes contusit. Insuper multae cecidere nives, et denuo horrendum supervenit frigus. Decidente adhaec lenta pluvia, glacies, qua Mosella pro secunda vice operiebatur, dissoluta fuit, et Mosella ad sextam usque domum civitatis in platea Tympani (*), decima quarta Februarii, excreverat. Decima nona Februarii iterum tam fortis, ut ante, ventus et frigus intensum exortum est; altera deinde die multae cecidere nives, et continuante adhaec frigore, pro tertia vice, praeter morem et ordinem hujus climatis congelatus est. Vigesima sexta Februarii, lucente luna, et durante continuo intenso illo frigore, nonam inter et decimam vespertinam, Treviris in coelo igneas plane, cum stupore et tremore conspeximus nubes. Decima et undecima Martii magna denuo cecidit nivium copia, flavitque ventus peracerbus ac vehemens; insuetum hoc tempore causans frigus, et Mosella vix non pro quarta vice, hoc anno, congelasset: quodque praecedens frigus in frugibus, arboribus et vineis nondum plane perdiderat, hoc ultimum frigus funditus destruxit.

Fuit insuper hic annus vere **LILICIDIVM.** Percepimus, multos in Gallia homines prae frigore et inedia mortuos esse, ubi jamtum in Majo maldrum tritici triginta et pluribus imperialibus constitit; gaudebantque miseri, si panem avenaceum, furfure mixtum, ad commedendum haberent.

Vidimus Treviris, praeter advolantem incredibilem, ex patria Luxemburgensi et adjacentium regionum, numerum mendicantium, Gallicos milites (quorum continuo quadringenti in S. Martini fortalitio, magno cum civium onere et detrimento, degebant; siquidem erucarum more hortos circumquaque abrodebant) sese ad genua civium prosternentes, ostiatim stipem, amore Dei, et frustum panis, pro lenienda fame, petere. Stipendia a Rege, ob exhaustum aerarium, jam ab aliquot annis non acceperant; vili et lacero vestitu et cum ligneis calceis (Sabot vocant) incedebant. Videbatur justo Dei judicio ac-

(*) Vulgo Krahnen-Gasse.

cidisse, quod fames in Gallia horrendius, quam alibi terrarum, grassaretur; tristi namque memoria etiamnum recordamur, quam immaniter Ludovicus XIV. Galliarum Rex (*) in Treviratu aliisque vicinioribus Germaniae regionibus, superioribus annis, cum frugibus et frumentis, prout alias a nobis relatum fuit, egerit; quorum multam copiam per suos milites (**) partim combussit, partim in fluvios conjecit, seminatas fruges in agris perdere et conterere jussit (***): imo, quis tam horrenda unquam audivit! rusticis sub capitali mortis poena prohibuit, ne agros seminarent; quo tamen crudeli mandato non obstante, aliqui anxie et de nocte suas terras cultivarunt et inseminarunt.

Dum afflicto hoc tempore Patria gravi annona conflictaretur, plurimi utriusque sexus homines ex Treviratu (†) aliisque circumjacentibus regionibus, ex Palatinatu crebriores, ab Anglis per circulares litteras allecti et pellecti, relictis sedibus ac venditis bonis, in Hollandiam et Angliam, non absque vitae et Catholicae religionis dispendio, appulerunt; inde spe melioris vitae, alimoniae et bonorum pro voto consequendorum (dicam, fuisse illusiones diaboli, mendaciorum patris) ad Carolinam, in Indiis sitam, omnibusque bonis et deliciis abundantem insulam, ut falso persuasum habebant, transfretandi. Ast creduli nimium, obcoecati et miseri homines, spe sua frustati, plerique inanes et pauperiores quam ante, patrios lares repetierunt; aliis in itinere mortuis, aliis, abjurata fide Catholica, in Anglia remanentibus.

CAPUT CCCXXXIV (††).

Pergratum subinde Treviris percepimus nuntium, Caesarem Josephum inter et Clementem XI. summum Pontificem, discordias, ratione quorundam feudorum imperialium (a), in Ducatu Ferrariensi sitorum,

---

(*) Honthemius, arbitrarie omittens: Ludovicus &c. &c., scribit: Galli &c.

(**) per s. mil abest ibid.

(***) Et haec immutavit Honth. in hunc modum: in agris vastarunt et contriverunt.

(†) Vide documentum publicum hucusque ineditum, in additamentis.

(††) Caput hoc integrum non habet Honth.

(a) Vide supra. — De scriptoribus huc facientibus confer Struvii Corp. Jur. publ. cap. 2. §. 11. et 12. —

obortas, amicabili compositione sopitas, atque eapropter pacem Italiae redditam esse.

Hisce temporibus Carolus (a) Suecorum Rex, gemina de Polonis et Russis (b) palma praetumidus, illorum quidem Rege Augusto Saxoniae Electore (quem lethali odio, quod abjurata Lutherana lue, Catholicam veritatem superioribus annis amplexus, prosecutus fuerat) exauthorato, Stanislaum (c) quendam Poloniae Dynastam pro Rege obtruserat. Quin Silesiam ex improviso valido cum exercitu ingressus, ipsi Imperatori Josepho, alibi bello distento, negotium facessere praesumpserat, eoque adegit, ut varias inibi ecclesias Lutheranis cedere debuerit. Jam animo in ipsam Moscoviam ovans penetrare agitabat: sed primum a superbia, felicitatis assecla, victus, cum devictos hostes longius persequitur, ab ipsis hostibus, vigesima septima Junii hoc 1709. ipso anno, prope Pultavam Ukraniae urbem, secundo (d) vincitur. Novem facile Suecorum millia in acie occubuerunt, quindecim millia capti, atque eorundem castra, cum tormentis et toto apparatu bellico, victoribus Russis in spolium et praedam cesserunt. Ipse Rex Suecorum saucius, cum paucis suorum, eques Boristhenem transnatando, turpi fuga in Turciam, plurimis ibidem annis latitaturus, se salvavit. Augustus Rex interea Regnum Poloniae postliminio occupavit, Stanislao in Galliam fugiente, inde in Ducatum Bipontinum, Treviris vicinum, se recepit; ubi, caeterum Catholicus et pius Princeps, etiamnum, quo haec scribo 1718. anno, moratur; ac permissu Regis Suecorum patroni sui, redditibus Ducatus illius pro sustentatione familiae suae fruitur (*).

Subsequentibus annis contra inquietum illum Suecorum Regem, in adulta aetate adhuc coelibem (Hermaphroditum dicunt) cum Russorum Imperatore, Poloniae et Daniae Regibus, Elector Hannoveranus, qui et Rex Angliae, et Elector Brandenburgicus Rex Borus-

---

(a) Carolus XII. (b) Sub Imperatore Petro Magno.

(c) Lesczynski.

(d) Primum proelium, in quo Petrus, Moscorum magnus Imperator, Suecos indubitate vicit, est illud contra Löwenhaupt, Ducem belli Suecicum.

(*) Tandem vi pacis Viennensis an. 1735. in Ducatu Lotharingico successit—usque ad annum 1766. —

siae, sese unierunt, ac successu temporis Stralsundum cum Pomerania, Ducatum Bremensem cum Wismaria aliasque, quas in Germaniae solo possidebat civitates et munimenta, expugnarunt, ac jure belli occupata inter sese diviserunt: ut, qui aliena appetebat, amitteret et sua.

In Belgio, hoc ipso 1709 anno, pro Caesare ejusque fratre Carolo Hispaniarum Rege res feliciter peragebantur; dum Tornacum, fortissima ac amplissima Flandriae civitas, quam cum Insulis aliisque civitatibus Rex Galliae jam ab anno 1667 occupatam possederat, post trium septimanarum obsidionem, 29. Julii, Regi Carolo per conventionem, arx vero, tertia Septembris die, jure belli subjecta fuit. Undecima deinde mensis Septembris die, sub Ducibus Principe Eugenio a Sabaudia et Duce Joanne Marlborougio, a Caesareanis et Foederatis Gallorum exercitus sub Duce Villardo, ad centum facile millia fortis, non procul a Montibus (*) in Hannonia, sylva, aggeribus, ternisque fossis et lineis praemunitus, quam fortiter invasus, tam feliciter quoque, non obstante incredibili hostium defensione, profligatus fuit. Montes deinde, Hannoniae metropolis fortissima, obsessi et 20. Octobris deditione capti fuerunt.

CAPUT CCCXXXV.

Per eosdem quoque dies Trevirenses multa itentidem a Gallis passi sunt, qui initio mensis Novembris, non-solum in ipsa civitate, pro necessitate civium existentes fruges, via facti abstulere; sed insuper, sub poena executionis militaris, indixere, quatenus intra paucos dies afflictissima Patria novem saccorum millia siliginis deliberarent; jamque pro facienda executione duo Treviris advenerant de liberis cohortibus millia, ni statuto tempore fruges illae deliberatae fuissent. Vere liberae cohortes, cum militibus liberum et impune esset, quaevis furta, rapinas, aliaque detestanda facinora perpetrare. Miseri itaque Trevirenses, praesertim rustici, fruges, quarum nullae

(*) Mons. — Hoc proelium cruentum communiter dicitur ad Malplacetum (Malplaquet) — Conf. quae refert testis quidam oculatus in Theatro Europ. XVIII. p. 229.

hoc anno ipsis creverant, caro alibi emptas hostibus subministrare debebant.

Convenerant quidem Patriae Status, aliquibus abhinc annis, cum Gallis, ut contributionum aliarumque exactionum loco, certam et designatam quotannis pecuniae summam penderent; ast astuta et ad omnem fraudem imbuta et prona gens novos quotidie et intolerabiles excogitabat practicabatque exactionum modos. Quid de confiscationibus memorem? Dicam orci fuisse inventum. Quos Trevirenses in Patria Luxemburgensi, aut in locis Regi Galliae subditis, possidebant redditus, sic erant confiscati, ut miseri, licet Regi essent subditi, nihil inde perciperent. Jamque Galli impune Treviris pistorum et lanionum spoliabant tabernas; praesertim, si loco paratae pecuniae, pro schedulis (billets vocabant) panem et carnes vendere recusarent. Tantam pecuniae inopiam Rex ille Magnus Ludovicus XIV. per haec eadem annorum curricula passus est, ut, stipendiorum loco, schedulas, suo tempore a curia sua parata pecunia redimendas (si credere fas est, dicam fraus fuit, ut eventus docuit) militibus distribui, eosdem ligneis calceis incedere, atque laceris vilioribusque vestibus uti fecerit.

Porro Rex Christianissimus, post tot suorum exercituum strages, et in tanta annonae et pecuniae difficultate constitutus, videbatur pacem a Caesare et Confoederatis deposcere velle; tantumque precibus obtinuit, ut Legati ejusdem Gertrudae-Montis (*) in Hollandia pro pace tractanda admissi, jamque cum iisdem, pleno Regis mandato suffultis, in tractatione pacis eo processum fuerat, ut hi secunda Januarii die incuntis anni 1710. praeliminares pacis articulos depacti et Regio nomine stipulati fuerint.

Verum Rex, astutus et versipellis (**), non tam pacem efflagitare, quam discordias inter foederatos serere intendebat (***), et quemadmodum ipse subscriptas a suis Plenipotentiariis pacis conventiones confirmare recusavit; ita ejusdem Officiales pariter ac milites omnis generis injustitias insolentiasque exercebant: siquidem decima quarta

---

(*) Gertruidenburg.

(**) astutus et versip.: practermisit Honthemius in sua editione.

(***) Secundum Cornelii Taciti, gravissimi historiographi Romani, desiderium: maneat quaeso gentibus, si non amor nostri, at saltem odium sui!

Januarii vendentibus Treviris in foro esculenta, rusticis fruges, quas summa necessitate adacti, pro exsolvendis Gallicis contributionibus venales advexerant, violenta manu abstulerant; quin pistorum et lanionum tabernas iterato diripiebant.

In Belgio subinde Caesareani et foederati Duce Principe Eugenio de Sabaudia, vigesima prima Aprilis, invasere et perupere Gallorum apud Duacum in Flandria lineas et munimenta; Gallis, relictis impedimentis, in turpissimam fugam se conjicientibus. Obsessum itaque Duacum, amplissima pariter et fortissima urbs, atque vigesima sexta Junii, Bethuna vero vigesima nona mensis Julii die expugnata fuit. Credebant afflicti Treviri se a jugo Gallico jamjam liberandos, quando octingenti Germanorum de superiori Rheno, vigesima nona mensis Julii die, Treviris adventabant, Gallis in nidum suum, fortalitium, inquam, S. Martini tempestive se recipientibus; ast spe et opinione frustrati fuimus, dum hi Germani, aliquibus solum horis in foro morantes, refocilato stomacho, iterum discessere!

CAPUT CCCXXXVI.

Moscovitae (*) reportatam superiori anno contra Suecos victoriam interea prosequentes, hoc anno in mense Julio, Rigam, portum maritimum, cum insula hujus nominis, ac Wiburgum, Finlandiae Capitalem, Suecis eripuere.

In Hispania Carolus (Tertius), 20. Augusti, prope Saragossam, Arragoniae metropolim, Ducis Andegavensis exercitum ad internecionem profligavit; posteaquam hic in conflictu prope Almenaram, 27. Julii, quinque suorum millia quoque amisisset.

Confluentiae (**) subinde, 24. Septembris, annuente et volente Eminentia sua Electorali Joanne Hugone, R^mus^ et Serenissimus Dnus Carolus Josephus (***), Episcopus Osnabrugensis et Ollomucensis, Lotharingiae Ducis Leopoldi germanus, a Metropolitanae ecclesiae

---

(*) Haec, ad periodum usque, quae incipit: Confluentiae &c. &c. absunt ap. Honth.

(**) In Collegiata ecclesia S. Castoris.

(***) Patre Carolo V. et matre Eleonora Maria, Leopoldi I. Imperatoris sorore, natus anno 1680.

Capitulo, ibidem ob belli turbia tunc degente, in Coadjutorem Archiepiscopatus et Electoratus Trevirensis electus et proclamatus fuit (*). Cui applaudo:

LeCte CoaDIVtor DIVtVrnVs CaroLe faVstVs
paCIfICVsqVe annos VIVe VaLensqVe rege.

Vincentium interea animi in Belgio ad urbem et fortalitium S. Venantii appliciti, quod 29. Septembris feliciter expugnarunt. Erepta deinde, octava Novembris, Gallis Aria, fortis in Flandria civitas. — Neo-Castrum in Hungaria, hac aestate, rebellibus quoque ereptum fuit.

Quinta subinde mensis Novembris die currentis anni 1710. R^mus et Serenissimus Princeps Fransciscus Ludovicus, Ordinis B. M. Virginis Teutonicorum Prussiae Administrator, et ejusdem per Germaniam, Italiam partesque transmarinas supremus Magister, Episcopus Wormatiensis et Vratislaviensis, Praepositus et Princeps Elvacensis, Comes Palatinus Rheni &c., in Coadjutorem Archiepiscopatus et Electoratus Moguntini adoptatus fuit; quondam in Archiepiscopum Trevirensem postulandus (**).

CAPUT CCCXXXVII.

Quoniam attestata Capitulorum Vratislaviae, Wormatiae et Praepositurae Elvacensis, referentia merita ac gesta altefati Principis, ad manus nostras pervenerunt; lubet pro gloria tanti Principis eadem hic adjungere. Et quidem illud Capituli Vratislaviensis tenoris est sequentis:

„Nos, Capitulum Cathedralis Ecclesiae Vratislaviensis, notum facimus, et praesentium tenore palam testamur, Serenitatem suam a tempore feliciter inchoati sui Episcopalis regiminis, id est ab anno 1683. ad praesentia usque tempora, tanta ac tam praeclara pastoralis suae vigilantiae, curae ac sollicitudinis specimina nobis et universo Clero, ac populo sibi concredito

(*) Quae subsequuntur usque ad verba: Quinta subinde &c., non leguntur ap. Honth.

(**) Vid. caput 347. — Documenta, quae nunc sequuntur, non habet editio Honthemii. — Mediantibus his documentis sive attestatis, Romam transmissis, obtinuit Franciscus Ludovicus retentionem omnium suorum beneficiorum et variarum ecclesiarum regiminis continuationem. In Germania solitum fuisse dispensandi super retentione plurium incompatibilium (quod revera contra jus ecclesiasticum est) plurima exempla docent.

dedisse, ut nihil eorum deese nobis semper visum fuerit, quae a vigilantissimo Episcopo et benignissimo Principe desiderare ulla ratione potuissent. Intucamur ecclesiasticam disciplinam in Clero ad amussim, usque adeo, ut aliis Episcopatibus pro norma et exemplo servire possit, promotam; templorum Dei nitorem ac decorem procuratum; tot ecclesias tempore sui regiminis tum restauratas, tum magnis sumptibus ex fundamento erectas; tot animarum haeresi infectarum millia ad ovile Christi redacta; ipsam haeresim tota cura ac fortitudine eousque repressam; regimen Episcopatus discretis ab invicem spiritualibus officiis in novam quasi formam redactum; hospitalia, xenodochia aliasque domos pias, tum magnifice erectas, tum restitutas ac novis redditibus auctas; bona Episcopalia, non leviter diminuta ab extraneis possessoribus, tum vindicata, tum noviter comparata, tum etiam novis incrementis et accessionibus aucta; redditus Episcopalis mensae singulari oeconomiae studio mirum in modum amplificatos; civitates in ordine redactas, aedificiis exornatas, et meliori politia cultas; curias Episcopales tum immenso sumptu noviter erectas, tum restitutas, et pro Ducali dignitate adornatas; universum Episcopatum, ac subditos temporali ejusdem regimini subjectos, bonis legibus et sanctionibus provisos, privilegiis aliisque accessionibus dotatos.

„In memoriam revocamus merito tot tantaque in hanc Vratislaviensem Ecclesiam, nos ac universum Clerum, tum vero vasallos omnes ac subditos a benignissimo et zelosissimo Praesule hactenus collata beneficia, et grata mente recolimus, et pro immortali eorundem memoria alia ne praetereamus: octoginta ecclesiae e manibus haereticorum feliciter vindicatae, et orthodoxae religioni restitutae, quamvis nuper per fatalem illam cum Rege Sueciae transactionem, pro dolor! ex parte rursus ereptae; Ottmacoviensis ecclesia (praeter alias, ad quas sua Serenitas, tum aedificandas, tum restaurandas multum contribuit) sexaginta et amplius millium scutorum Romanorum sumptu ex fundamentis magnificentissime erecta (*); destinata, pro capella et custodia Sanctissimi in ecclesia nostra Cathedrali magnifice erigenda, ingens pecuniarum summa; curtes ac bona Crossentia et Gnembergentia ex manibus Vice-Electoris Brandenburgici, non sine ingenti labore ac cura, missis ad id saepius legatis, vindicata et priori libertati restituta; peractae pro recuperatione ecclesiarum Collegiatarum Brigensis et Ligvicensis, in manibus laicis hactenus constitutarum, sumptuosae legationes; praedium Schleinvitz, tum pagi Steindorff, Libenau, Gallenau et Krautu, valde aere proprio tum comparata, tum mensae Episcopali incorporata, redditus ejusdem per temporum et haereticorum injurias admodum diminuti, notabili accessione annue adauctio; jura Principatus ratione monetae cudendae, exemptionis bonorum Camerae ac similium apud aulam Caesaream strenue asserta et vindicata; aula et residentia principalis Nissensis, una cum hortis et pomeriis, centum et ultra millium florenorum sumptu, tum ex fundamento magnificentissime aedificata, tum in novam formam egregio splendore redacta; Curiae Vratislaviensis, Ottmacoviensis, Freiswaldensis, Joanni Montensis restitutae, novisque atque sumptuosis aedificiis condecoratae; hospitalia civitatis Nissensis, quorum fundationes et redditus antiqui valde extenuati erant, tum restituta, tum in novum ordinem ita reducta, ut jam redditu annuo decem et amplius millium florenorum pacifice fruantur; pro orphanis acatholicis in orthodoxa religione educandis, domus in Insula S. Joannis Vratislaviae, quinquaginta et amplius millium florenorum sumptu, tum de proprio, tum sua cura et sollicitudine, ex fundamentis

(*) Horum Gestorum scriptor, Reichmanus Trevir, ad hunc locum haec notat: „Quam quidem Ottmaco„viensem ecclesiam ego, qui haec scribo, anno 1701. Sva Septembris, dum circa haec tempora Nis„sae in Silesia commorarer, unde dicta ecclesia duabus et amplius horis distat, praesente altefata sua „Serenitate, ab ejusdem Suffraganeo solemniter benedici et consecrari vidi“

tanta mole, decore et magnificentia, erecta, ut Ducalis palatii speciem prae se ferat, et nihil jam nisi congruam dotationem desideret, in qua constituenda sapientissimus hucusque laborat.

„Haec omnia certe talia sunt et tanta, ut aeterna posteritatis encomia non tantum mercantur; sed desiderium etiam nostrum ac totius Episcopatus augeant conservandi in longaevos annos tanti Episcopi et Principis, qui amorem populi, reverentiam cleri, et omnium admirationem in se merito convertit.

„Haec sunt, quae in veritatis testimonium hisce, non tam requisiti, quam ultro recensenda, et sigilli nostri Capitularis appensione corroboranda duximus. Vratislaviae in Insula divi Joannis, die 15. Decembris 1710.“ —

Sequitur attestatio Capituli Wormatiensis:

„Nos, Decanus et Capitulum ecclesiae Cathedralis Wormatiensis, notum facimus et attestamur, Reverendissimum et Serenissimum Principem ac Dominum Franciscum Ludovicum, Ordinis B. M. V. Teutonicorum Prussiae Administratorem &c. &c. &c. Episcopum Wormatiensem, sua singulari ac laudatissima prospectione, vigilantia et indefesso labore, Episcopatum Wormatiensem subditis praediis aliisque proventibus et emolumentis, tempore regiminis sui adeo auxisse, ut nunc aliquot florenorum millibus plus quam ullus unquam suorum praedecessorum gaudeat.

„Cum vero eidem, nuper unanimi Canonicorum Capitularium voto in Coadjutorem Archiepiscopatus Moguntinensis postulato, dictorum Archiepiscopatus Moguntini et Episcopatus Wormatiensis redditus et proventus, ob tot bellorum temporumque injurias, ruinas, incommoda et necessitates, pro decenti Archiepiscopali et Electorali dignitate, et ad servandum tanto Principe dignum splendorem non sufficiant; minus vero quid boni pro incremento et augmento religionis Catholicae, servientibus praesertim in locis confinibus haeresi ejusque sectatoribus, praestare valeat, nisi cum gratia sedis Apostolicae, ad subveniendum aliis depauperatis ecclesiis sibi creditis, Episcopatum Vratislaviensem, quem eo fine plurimis proventibus adauxit, retineret: hinc his rationibus et motibus a sua Sanctitate clementissime annuendam et concedendam cum humillimo sanctissimorum pedum osculo confidimus.

„In cujus rei testimonium et fidem, paginam consueto Capituli nostri sigillo jussimus communiri. Datum Wormatiae, 13. Februarii 1711.“ Burghesius, Secretarius.

Attestatio Capituli Praepositurae Elvacensis ita sonat:

„Nos, Decanus caeterique Canonici et Capitulares principalis et exemptae ecclesiae Elvacensis, Apostolicae sedi immediate subjectae, praesentium tenore palam testamur, quod Serenissimus et Revmus Princeps et Dominus Franciscus Ludovicus ex Comitibus Palatinis Rheni &c. &c. &c. Praepositus et Dominus noster clementissimus a primo tempore felicis sui regiminis, nimirum ab anno 1694. usque huc, tanta pastoralis vigilantiae et sollicitudinis specimina nobis, et universo clero ac populo suae curae commisso praebuerit, ut nihil eorum unquam defuerit, quae ab optimo Principe et vigilantissimo Pastore desiderari possunt; etenim praeter singularem illibatae vitae et morum integritatem, frequentiam et assiduitatem in choro imminutam suo zelo restituit ac auxit; de debitis et aere alieno, quo ecclesia et principatus noster tenebatur, ultra quadraginta millia florenorum extinxit; ad reparationem castri seu residentiae, quam prope civitatem nostram quisque Princeps et Praepositus noster inhabitare solet, notabili ex parte incendio absumptae, ter mille florenos circiter impendit; templum B. M. Virginis in Monte-Venusto nuncupatum, civitati vicinum, et magna perigrinantium copia frequentatum, notabili sumptu tum reparavit, tum exornavit; bona et redditus annuos Praepositurae, comparatis noviter praediis, ad viginti quatuor millia florenorum aestimatis liberaliter auxit; insuper Praepo-

situram nostram contra plures et potentes haereticos vicinos, nec non contra insolentiam militum calamitoso hoc belli tempore hic transcuntium strenue defendit, et vel solo nomine suae potestatis saepius impedivit.

„Quae omnia, et plura alia clementissimi Principis nostri beneficia nobis collata regimen ejus tam laudabile reddiderunt, ut ea, non tam rogati recensere, quam publicis hisce literis pro veritatis testimonio commendare, ac sigilli nostri Capitularis appensione corroborare voluerimus. Elvaici, 5. Decembris 1710.“

Ex causis itaque in praememoratis attestationibus expressis, aliisque animum moventibus, Sanctissimus (*) supplicationi altefatae Serenitatis suae, tam pro admissione postulationis Coadjutoriae Moguntinae, quam pro gratia retentionis omnium beneficiorum, quae sua Serenitas hactenus possidet, clementissime annuit.

CAPUT CCCXXXVIII.

Vigesima deinde ejusdem mensis Novembris et anni 1710., circa secundam pomeridianam, Carolus Serenissimus Lotharingiae Dux, nuper in Coadjutorem Archiepiscopatus et Electoratus Trevirensis electus, permittentibus Gallis, Confluentia, comitantibus Serenitatem suam R^mis et Ill^mis Dnis L. B. a Kesselstatt, Metropolitanae Trevirensis Praeposito, et L. B. ab Elz, ejusdem ecclesiae Decano, Treviris summo cum civium gaudio, inter campanarum sonitum, tormentorum et sclopetorum explosiones, advenit, atque a Senatu populoque exquisito honoris genere exceptus, in palatium divertit; sumpto ibidem prandio, vesperi ad forum urbicum, ubi Domini Abbates et Magistratus congregati fuerant, se contulit, ac inter mille aggratulationes, ignium flammarumque pacalium in foro et in turri parochiae S. Gangolphi (ubi haec Hugo. Carolus. clare elucebant verba) incensarum, gratiosissimus spectator extitit. Postero die sua Serenitas, audito in Metropolitana sacro, inter quod hymnus Ambrosianus decantatus fuit, Lunevillam, germanum suum Serenissimum Ducem invisurus, perrexit (**).

Ex Hispania (***) perceperamus, quod 9^na Decembris Anglicanae

---

(*) Clemens XI. Pontificatum hoc tempore gessit.

(**) Haec fusius narrantur in documento, quod impressum legimus in Theat. Europ. XIX. p. 128., et in Wyttenb. Geſch. v. Trier. V. S. 196—204.

(***) Quae hic sequuntur facta, absunt ap. Honth. usque ad verba: Proximus ab hinc &c.

ibidem militiae Generalis de Stanhope Brihurgae, quod est Castiliae oppidum, cum aliquot millibus militum ab Hispano-Gallis captus fuerit. Caesareanarum copiarum autem supremus Tribunus Comes Guido Starembergius, caesis altera die aliquot Gallorum millibus, sese Barcinonam in tutiora recepit: fortuna Andegavensi in Hispania hoc anno arridente.

Erat hic 1710. annus in frugibus et vino Treviris, Deo sint grates! utcunque fertilis. Plaustrum vini Mosellani de meliori crescentia nonaginta et pluribus imperialibus veniit.

Proximus abhinc annus 1711. magnum Trevirensibus pro strena (*) luctum attulit, dum iisdem patrem patriae, hoc est, Joannem Hugonem, Principem optimum pariter et piissimum, abstulit. Typis ab ejusdem R^mo in Spiritualibus relicto Dno Vicario evulgatam schedulam mortuariam magni Principis virtutes compendio complectentem lubet hic apponere:

„Joannes Mathias (**), Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopus Rosmensis, Suffraganeus et Vicarius generalis, Officialis Trevirensis &c. &c.

„Venerabili Clero saeculari et regulari, ac universis Christi fidelibus Archidioeceseos Trevirensis salutem in eo, qui est vera salus et resurrectio nostra.

„Posteaquam visum fuit supremae Providentiae, juxta Psalmistam, terribili apud omnes Reges terrae, et auferenti spiritum Principum, cum voluerit,

„Eminentissimum et Reverendissimum Principem ac Dominum Joannem Hugonem, ex antiqua prosapia Baronum de Orsbeck, Archiepiscopum Trevirensem, S. R. I. per Galliam et regnum Arelatense Archicancellarium et Principem Electorem, Episcopum Spirensem, Administratorem Prumiensem, Praepositum Weissenburgensem &c. &c., Dominum nostrum cle-

---

(*) Obiit enim Joannes Hugo sexta Januarii, Confluentiae. —

(**) Joan. Mathias ab Eyss, in oppido Vallendariensi infra Confluentiam natus, a longis peregrinationibus, omnigenis scientiis, et plurium linguarum eruditione excultus, archivii imprimis et Electoralis registri curam demandatam habuit. Inde Consiliarii ecclesiastici et Secretarii munus apud Joannem Hugonem exequebatur ea laude integritatis et prudentiae, ut a fatis Verhorstii una promotione Officialis, Vicarius in spiritualibus generalis, et Suffraganeus renuntiaretur; quibus in muneribus tanta dedit politicae theologicae et juridicae eruditionis specimina, admirabili cum eloquentia conjuncta, ut non domi modo sed et foris apud summos infimosque audiret Theologus, Aulicus, Jurisconsultus, Orator, numeris omnibus absolutus. Fama secundissima non in una Germania vicinaque Gallia, sed et trans Alpes adeo celebratus (†), ut Clemens XI. Papa celebrem Trevirensium Suffraganeum eum compellaverit, et dignum altioribus etiam honoribus; optaveritque, Ecclesiam Dei pluribus ejusmodi Pastoribus regi. (Honth. Hist. Trev. dipl. III. p. 214)

(†) Plurimae literae ex diversis Europae regionibus ad eum directae, quas legimus, hanc famam testantur. Haec folia, in tabulario Archiepiscopali olim asservata, humanissime nobiscum communicavit jam saepe laudatus Vicarius Liehs Trevir. — Conf. cap. 361.

mentissimum, annis, aetatis suae ferme 77mo, Archiepiscopatus Electoralis 35to, Episcopatus Spirensis 38vo, ad immortalem nominis sui gloriam transactis, hoc demum ineunte 1711. in ipsa solennitate Epiphaniae Domini post oblatas devotissime Nato Salvatori vivissimae fidei, firmissimae spei et ardentissimae charitatis ac resignationis in div.nam voluntatem, praevia matura Ecclesiae Sacramentorum susceptione, mysticas vere munerum species (*); felici; uti pie ominari licet, sydere cum sanctis tribus Regibus, sub quorum invocatione sepulchrum sibi vivens in aede sua Metropolitana delegerat (**), ex hac mortali vita ad meliorem, ac aliam regionem vivorum desuper evocare; quamvis nullatenus dubitemus, quin tanti Principis memoriam, in quo exteri omnes, dubiam (***) utriusque dignitatis, quam integerrime sustinuit, Archiepiscopalis in Ecclesia Dei, et Electoralis in Imperio, optima inter Sacerdotium et Regnum concordia meritorum victoriam, aliaque spiritus principalis, innatae mansuetudinis, mirae in adversis et prosperis aequanimitatis, religionis ac reliquarum Archiepiscopo Electore dignissimarum virtutum decora venerantur, tanto magis fideles subditi, quem ab initio suscepti inter difficillima tempora regiminis conservatorem suum, patriae patrem benignissimum sunt experti, ita jam placida morte defunctum debitis pietatis Christianae suffragiis fidelissime sint prosecuturi: volumus tamen pro officii nostri pastoralis exigentia omnes et singulos in Domino hortari, prout tenore praesentium hortamur omnes et singulos Cleri saecularis et regularis, aliosque fideles Dioecesanos, quatenus in quotidianis Missae sacrificiis, reliqui vero devotissimis suis precibus, animam a posteritate nunquam satis depraedicandi Principis (si forsan adhuc in purgatoriis flammis humanae fragilitatis labeculae apud districtum judicem, qui justitias judicat, et scrutatur Jerusalem in lucernis, eluendae superessent) misericordiarum Patri ac Deo totius consolationis, junctis suspiriis commendare non differant, ut, qui tot conspicuis naturae et gratiae donis eminuit in terris, post passiones hujus saeculi, ac diuturni regiminis onera, aeternae gloriae pondus consequatur in coelis.

„Qui supremi honores ut decentius juxta constitutionem cujuslibet loci peragantur, volumus ac ordinamus in omnibus ac singulis Abbatialibus, Collegiatis, Parochialibus, et Regularibus ecclesiis, solennes exequias eum in finem celebrari, atque ter de die circa sextam aut septimam matutinam, duodecimam meridianam, et quintam aut sextam vespertinam, campanas more solito compulsari, ad aliam usque ordinationem.

„In quorum fidem hasce manu nostra signatas consueto sigillo nostro communivimus. Treviris 12. Januarii 1711.“

Joannes Mathias Episcopus Rosmensis, Suffrag. Trevir.

Ut primum mors piissimi Principis (quae tantisper propter Gallos Treviris degentes occultata fuit) Carolo Coadjutori innotuit, is clam et de nocte, ne a Gallis interciperetur, ex Lotharingia discedens, Confluentiae feliciter advenit, et Principatus regimen suscepit.

Undecima vero Januarii die Treviris in — et extra urbem, in memoriam piissime defuncti Praesulis, campanae ter de die, nimirum mane

(*) Verba: mysticas &c. &c. desiderantur ap. Honth.

(**) Ad pedes aras Ss. trium Magorum juxta secundam a dexteris columnam Conf. cap. 346.

(***) dubiam: non legitur in edit. Honth.

hora 7ma, meridie duodecima, et vesperi quinta, usque ad 19. 20. et 21. Februarii pulsari coeperunt; quibus tribus ultimis diebus in summa aede, erecto ibidem castro doloris, et convocatis congregatisque inibi Clero saeculari ac regulari, Consiliariis aulicis, Magistratu, Consistorialibus, solennes exequiae celebratae fuerunt (*).

CAPUT CCCXXXIX.

Luctuosus inter haec Treviris nuntius appulit, qui Josephum I., Romanorum Imperatorem, variolis correptum, 17ma Aprilis, in florentissima aetate Viennae ultimum diem clausisse denuntiavit.

(*) Sermo funebris dictus in ecclesia B. M. V. Confluentiae, 16. Martii 1711., per Casparum Adamum Betz Praepositum in Schlangenmund et Praedicatorem aulicum, legitur in Honthemii Hist. Trev. dipl. III. p. 853—875. —

Consilium nostrum est, hic quaedam adnectere facta, Joannis Hugonis historiam concernentia, sed in Gestorum textu omissa. Sunt autem haec:

Dum hic Princeps fere continuis bellis, quibus urbs nostra agitata fuit, Trevirico studio singularius intendere prohiberetur; Confluentiam tamen novis amplioribus academicis scholis (Gymnadem scilicet Patrum S. J.) proprio aere auxit; eandem quoque urbem auxit trajectitio ponte; Ehrenbreitsteinium firmissima turri; Vallem dotavit ecclesia S. Crucis, ac juribus parochialibus. Hoc factum fusius exhibetur in Protocollo Conventus S. Mathiae his verbis: „Anno 1709. 16. Decemb. „Abbas noster accepit rescriptum a Suffraganeo ab Eyss, quod Archiep. Joan. Hugo „intendat erigere novam parochiam in Valle Ehrenbreitstein, in aedificata jam ab ipso „ecclesia S. Crucis, eamque dimembrare a matrice ecclesia in Niderberg (†), sine tamen „praejudio Collatoris. Haec res incepta multum causavit monasterio nostro negotii. — „Res in suspenso permansit usque post mortem Joannis Hugonis, at succedente Carolo „iterum Magnates in Valle habitantes institerunt, maxime tamen laborante Capellano „Archiepiscopi domestico Betz; anno 1711. — demembralio facta est, atque hujus ec„clesiae S. Crucis in Valle primus Rector constitutus est praedictus Betz, et eodem „urgente, 1714. 12. Maji, circa eandem ecclesiam ordinatio Archiepiscopalis facta fuit, „tam circa reparationem ecclesiae, domus parochialis et aeditui habitationem &c. uti „ad longum in Archivio nostro videri potest.“ — — Porro Joan. Hugo monialibus Augustinianis in civitatis Confluentinae angulo versus Orientem latentibus, in platea Löhrana coenobium magis commodum struere ac inhabitare permisit; hospitale vero, quod usque huc ibidem extiterat, transtulit ad spatia, a quibus mox dictae moniales recesserant. — Vid. Hicrothei (Capucini) Manipulum Confluentinarum memorabilium rerum, p. 41. — Günth. Cod. dipl. Rheno-Mos. V. p. 490. —

(†) Ecclesia de Niderberg anno 1817. a Theodorico Archiep. Abbatiae Trevirensi ad S. Mathiam incorporata fuerat (Chartularium Ms. hujus monasterii.)

(*) Gratior deinde nuntius advenit, insinuans, quod Foederati in Flandia, prope Ploenam et Baccam, a Gallis insuperabiles reputatas fossas et aggeres (lineas vocant), adeoque illud a Gallico Generale Villardo positum, ut opinabatur, Non plus ultra, absque ulla strage et exiguo damno, 5ta Augusti, perruperint, Gallis panico terrore perculsis, in turpissimam fugam se proripientibus. Exinde Bochanium (**), fortis Flandriae civitas, expugnatum fuit.

Ne interea calamitosis hisce belli temporibus Germaniae regnum capite diutius destitueretur, Germaniae Proceres Francofurti ad Moenum convenere, inter quos Archiepiscopus et Elector Trevirensis Carolus, e Ducibus Lotharingiae, splendido cum apparatu (***) comparebat, atque 12. Octobris Carolus III., Hispaniarum et Indiarum Rex, Archidux Austriae, unicus demortui Imperatoris Josephi frater, a sacro Electorum Collegio (excluso Coloniensi et Bavaro, exulibus in Gallia latitantibus) Romanorum et Germaniae Imperator et Rex pronuntiatus fuit. Qui accepto nuntio, Barcinona, ubi tunc regnabat, se mari committens, per Italiam et Tyrolim profectus, 19na Decembris Francofurti summo cum applausu et gaudio totius Germaniae incolumis advenit, atque 22da ejusdem mensis in Imperatorem incredibili cum magnificentia inauguratus est.

Annus hic 1711. Treviris in frugibus et vino sat fertilis fuit, jamque ante festum S. Joannis Bapt. uvae defloruerant, ac in mense Junio et Julio exquisitissimum tempus erat; ast superveniens pluviale tempus, quod tribus duravit mensibus, effecit, quod vinum minus generosum creverit, et, quod notabile, interea temporis Mosella fluvius pluviis auctus decies ad civitatem, ipso festo Simonis et Judae die quidem fere ad Novitiatum S. J. ascendit.

Galli interea continuo Treviris munimentum S. Martini insidentes, miseros cives, quo longius eo miserabilius, divexabant.

(*) Sequentia usque ad verba: Ne interea &c. absunt ap. Honth.

(**) Bouchain. Hoc factum militaris vitae Marlborougii ultimum est.

(***) Hunc apparatum amplissime descriptum legimus in Theat. Europ. ad hunc annum. Conf. etiam Caroli Archiep. rescriptum ad Status patriae de procurandis sumptibus itineris et subsistentiae in diaeta electionis et coronationis Caroli VI. Imp. (Honth. Hist. Trev. dipl. III. p. 876. sq.) —

Non absque lachrymis vidimus, quod hisce diebus lapides de dirutorum ab ipsis, superioribus annis, moenium fundamentis supra et infra S. Simeonis portam eruerint, eosdemque ad fortificandum magis eorundem nidum, S. Martini munimentum, applicarint.

Annus 1712., licet revolutione temporis aeque ac fortunae bissextilis fuerit, Trevirensibus tamen in frugibus, fructibus, glandinibus, castaneis et vino, pro solamine tantorum a Gallis perpessorum malorum, sat fertilis erat: tanta quidem vini copia, quod admodum bonum et salubre erat, crevit, ut aliquibus in locis non legatur tantum unquam crevisse; ut nec deessent fercula cum tali liquore, tempore vindemiali circa Treviros tanta alaudarum pinguium certe multitudo et copia capta fuit, ut duodena tribus albis venierit.

CAPUT CCCXL (*).

Caeterum hic annus Christi 1712. in Anna, Angliae Regina, nobis clare demonstrat, quod his regulis Juris: Foeminae bonae rarae sunt, sed malae multae, vel Foeminae sunt falsae, fragiles et corruptibiles, nulla limitatio assignari possit; sed inter illas collocandae sint, quae non patiuntur exceptiones, ut notat Glossa in L. omnis definitio, de reg. Jur. (!?)

Haec Regina, quae, praeter pactum cum Leopoldo Imperatore felicissimae recordationis ejusdemque Confoederatis arctissimum foedus, Carolo Archiduci, dum is superioribus annis ad occupandum avitum Hispaniae Regnum, transfretando Londini in Anglia Reginam salutaturus appulerat, sancte spoponderat, se prius arma non deposituram, quam ipse Carolus thronum Hispaniae conscendisset: haec, inquam, Regina blandimentis vanis et falsis Gallici Generalis Tallardi, a pugna Hochstadiana etiamnum captivi, persuasionibus, suorumque Ministrorum aere Gallico (quod militibus Gallicis jam ab aliquibus annis de ipsorum stipendiis subtractum fuit) corruptorum consilio seducta, et crepundiis e Gallia submissis delinita, exautherato incomparabili illo Duce et Generale Marlborougio, qui ob partas tot victorias lau-

(*) Hoc caput non legitur ap. Honth.

ris coronari debuisset, perfidiae suae instrumentum Ducem Ormondium, Irlandiae Pro-Regem, in Belgium submisit, ac exercitui suo Generalem supremum praefecit.

Hic, dum Caesareanorum copiarum Dux Princeps Eugenius, 28. Maji, exercitum Gallicum non procul Camaraco (*) aggredi statuisset, ac victoria, quae sperabatur, pacem peperisset, se in mandatis a sua Regina habere edixit, ne offensive deinceps contra Gallum ageret. Dein cum nativis suis Anglis se ab exercitu Caesareanorum separavit, Germanis aliisque conductitiis militibus scelus nefandum detestantibus, qui se cum Caesareanis conjunxere. Insuper armistitium cum Gallis pepigit, qui Anglis Dunkercam, maritimam et fortissimam civitatem, in pignus paciscendae pacis deoccupaverant.

Sane Rex Ludovicus XIV. totius Europae monarchiam affectans, ambitionis suae pariter et tyrannidis, post tot exercituum suorum strages, occupatis a Caesareanis in Italia et Belgio quamplurimis urbibus et fortalitiis, ipsoque Landresio, antemurali Franciae, hac aestate adhuc obsidendo, poenas dedisset; nisi in ipso victoriarum a Caesareanorum copiis partarum cursu, ope et juvamine hujus foedifragae Reginae, a ruina sublevatus fuisset.

Pro velamine nefandi et in omne aevum detestandi sceleris oggerunt Angliae aere Gallico corrupti et perversissimi Proceres, quod ratio Status id ipsum exegerit: mortuo siquidem Imperatore Josepho non consultum esse, in uno Carolo, jam Imperatore, Hispaniae monarchiam cum domus Austriacae amplissimis regnis et statibus coadunari; quasi consultius et non magis formidandum sit, Hispaniae regnum cum domo Burbonica quondam conjunctum iri. Ast perfidiae suae et proditionis vani prophetae justas tandem dabunt poenas.

Interea Princeps Eugenius, sub auspiciis Fagelii foederatorum Hollandiae Statuum copiarum Generalis, Quesnojum 19^na^ Junii obsideri fecit, ac 4^ta^ Julii expugnavit. Inde, 17^ma^ Julii, Princeps Eugenius, fortissimus heros, ad expugnandum Landresium, Principem Anhaltinum (**) cum copiis submisit: ast haec obsidio brevi levari debuit,

(*) Cambray.

(**) Sermo est de Principe Leopoldo (Anhalt-Dessau) Duce Borussorum celeberrimo in hoc bello.

quando nimirum compertum fuit, quod 24. Julii Comes Albermarlus Hollandus cum agmine suo ad custodiendam totius exercitus annonam et commeatum prope Denaniam relictus, inopinate, conspirante ad hoc Anglo Duce Ormondio, undequaque cinctus, ipse captus, ejusque copiae ad internecionem deletae fuerint, ac omnis commeatus et annona in spolium hostibus cesserit. Galli hac victoria intumescentes, eandem per reoccupationem variarum civitatum, et deditionem Duacensis fortissimae civitatis, 9na Septemb. factam, festinanti pede auxerunt.

Decima quarta subinde ejusdem mensis Septembris circa septimam vespertinam insolitum fulgur et tonitru Treviris visum et auditum fuit, quod quidem hic nullum, seu exiguum; ast Metis et Francofurti eodem vesperi, perfractis fenestris deperditisque vineis, grande damnum attulit.

Quesnojum in Flandria, nuper a Caesareanis expugnatum, Galli 4ta Octobris reoccupaverunt. Sexta deinde Octobr. Ostenda emissa Foederatorum turma Knockium fortalitium, haud procul Ipris dissitum, stratagemate occupavit. Bochanium autem forte propugnaculum, 19na Octob., deditione Gallis iterum cessit.

CAPUT CCCXLI (*).

Inter haec Sabaudus, Brandenburgicus, ipsique Hollandi in partes Angliae Reginae iere, jamque non publicum, sed quilibet privatum suum quaerebat commodum, atque particularis et foedae cum Gallo paciscendae pacis causa, Ultrajectum in Hollandia suos Plenipotentiarios submisere, ubi, habito conventiculo et diversis colloquiis, tandem anno incarnationis Dominicae 1713., in ipsa sacra hebdomate die Martis, quae erat 11ma Aprilis, primo hora tertia pomeridiana Gallum inter et Angliae Reginam Annam; una hora ex post cum Sabaudiae Duce; hora octava vespertina cum Lusitaniae Rege; media noctis cum Brandenburgico, vel si mavis, cum Rege Prussiae; hora dein subsequente prima matutina diei 12. Aprilis, cum Hollandis pax conclusa fuit: scissa et in partes dilacerata Augustissimi Imperatoris hae-

(*) Et hoc caput deest ap. Honth.

reditate, Hispaniae nimirum regni: amplissima ejusdem portione, id est, ipsa Hispania et Indiis, Philippo Andegavensi, Ludovici XIV. nepoti, inique adjudicata; Angliae cessere fortissimum ad ostium Mediterranei situm munimentum (Gibraltar vocant) et portus Mahonis in insula Minorca in Mediterraneo; pactum deinde, ut Dunkerkae portus, e regione Angliae situs, funditus destrueretur; Sabaudo Siciliae regnum; Brandenburgico Geldria, ejusdem nominis Ducatus principalis et fortissima civitas, una cum praepositura et regione sua a superiori Geldriae parte separata cessit.

Imperatori dein terminus ad primam proxime sequentis mensis Junii indultus et praefixus est, intra quem ad propositos captiosos et injustos Galli articulos sese resolveret. Consistebant autem illi potissimum in sequentibus: Quod Germaniam inter et Galliam Rhenus deinceps limes esse debeat; quod Imperator Gallo Landaviam, Duci Andegavensi regnum Neopolitanum, sicut et Ducatum Mediolanensem deoccupare, Ducatum deinde Mantuanum, Principatum Mirandolanum, Commachium &c. suis praetensis proprietariis restituere teneatur; quod Elector Coloniensis, sicut et Bavarus ejus germanus, in praemium perduellionis in suas sint restituendi terras, hic quidem eousque in possessione et usufructu Ducatus Luxemburgensis, Namurci &c. manutenendus, donec in Bavariam postliminio cum omni damno et interesse restitutus sit, cui et regnum Sardiniae proprietarie assignatus fuit. Imperatori e contra Belgium Hispanicum sub certis cum Hollandis paciscendis conditionibus (*) cedi; Principissae tamen Ursinae, Ducis Andigavensis (**) gratiosae, exinde annua pensio $\frac{m}{30}$ imperialium assignari et pendi debeat &c.

Ecce hi sunt fructus tam cruenti et diuturni belli, in quo hostis a Marte substratus, a perfidia triumphavit.

CAPUT CCCXLII.

Jam hostis insolentior effectus, undique copias coegit, contra solum Imperatorem, a suis Confoederatis derelictum, acturus.

(*) Hic tractatus de finibus Belgii praesidio firmandis communiter dicitur Barriere-Tractat.

(**) Philippi V. Hispaniae Regis.

Exinde, 25. et 26. Maji aliquot Gallorum Bavarorumque millia Treviris adventarunt, atque in Campo Martio castra fixerunt, quibus tria millia maldra avenae desolata patria subministrare debuit; 27ma Maji autem hae copiae, accepto nuntio, subito summo mane sub Generali Marchione Allegro Landaviam properarunt.

Exspirante namque vix termino, quo Imperator oblatas pacis iniquissimas (*) conditiones acceptare nollet nec posset, Landavia, Duce Marchione Villardo validissimo, (ut ferunt) ducentorum millium exercitu undique cincta, post arctissimam duorum mensium obsidionem, et egregiam Caesareanorum sub Commendante Alexandro Würtembergae Principe defensionem, 21ma Augusti, sub discretione Gallis dedita fuit, relictis tamen Principi Alexandro aliisque Officialibus Caesareanis suis impedimentis et sarcinis. Nec impune Gallis stetit haec obsidio; siquidem in ea ad triginta facile millia militum amisere.

Vexavit quoque haec obsidio Trevirenses, siquidem multoties aliquot centum currus, quemlibet quinque equis instructum, ad avehendam Metis et Sara-Ludovico illac annonam omnisque generis bellici apparatum, non absque magno rusticorum incommodo et damno multorumque ruina, plurimi namque equi onere oppressi perierunt, submittere opportebat.

Exactionum et contributionum hisce temporibus nec modus nec finis erat, quibus (contributionibus) Reinaldus Administrator Regius (Intendentem vocant) homo ad corradendum quasi natus, varia et speciosa noscebat praetexere nomina, non tam Regis, quam proprium emolumentum quaerens; unde passim Officiales ei in faciem improprarunt: Vous volez le Roy, le pauvre pays et les soldats! Et sane e numero eorum Quastorum fuit, qui et Regem et populum emungunt: heu! quot sanquisugas misera Treviris sustinuit! Verum haud raro tanquam plenae spongiae iterum exprimuntur, et quod inique attraxerunt, repurgitare coguntur.

Et quoniam, facta 13tia Septembris repartitione, specificatio, quot nimirum portiones pabuli (Rations vocant: consistit autem una portio in 15. libris foeni, 5. libris straminis et in 32. parte unius maldri

(*) iniquisimas: omisit ex suo arbitrio Honth.

avenae) qualibet superioris Archiepiscopatus Satrapia sive Cellaria (*) contribuere debuerit, ad manus meas pervenerit; lubet eandem hic apponere.

Nimirum:	Rati.		Nimirum:	Rati.
Satrapia Palatiolensis	31,092.	—	Satrapia De Berncastello . . .	20,190.
— Gallobillichia (Welschbillig)	5,730.	—	— De Baldenavia . . .	6,003.
— Kylburgensis.	3,822.	—	— De Hunolstein . . .	5,071.
— Neomagensis.	4,364.	—	— De Grimburg . . .	6,550.
— Wittliacensis	40,382.	—	— De Sto Maximino . .	6,549.
— De Schönecken	3,547.	—	— De Sto Paulino . . .	874.
— De Schönberg	4,910.	—	— De Laufersweiler. . .	164.
— De Hillesheim	2,456.	—	— De Prumia	11,830.
— De Dhauen	27,283.	—	— De Cochemio . . .	38,199.
— De Ulmen	3,820.	—	— De Cellis	32,742.
— De Manderscheidt . . .	8,731.	—	— De Sarburgo . . .	20,463.
— De Baldeneck	7,095.	—	— De Sto Wendelino . .	2,728.
— De Zell (Cellaria) . . .	2,730.	—	— De Wartelstein. . .	546.
— De Schmidburg. . . .	2,129.	—		

(*) Treviratus in certos districtus seu circulos distributus fuisse noscitur. Nimirum ecclesiastica partitio, pro commodiore regimine sacro, inde ab antiquissimis temporibus (†) in Archidiaconatus facta est — et politica pro administratione civili, a saeculo potissimum XIII. in Satrapias, ratione non plane aliena ab antiquis regionis nostrae pagis. Vid. Honth. Chorographiam Trevirensem ecclesiasticam et civilem (Hist. Trev. dipl. III. p. 1—12.) —

(†) Ex argumento chartae Everhardi Archiep. Trev. de anno 1063. 1. Nov. discimus, plures jam in Trevirensi Ecclesia Chorepiscopos seu Archidiaconos extitisse, quorum officia per diversos Archidioeceseos regiones distributa erant. In documento quodam de an. 1380. ap. Würdwein (Dioeces. Mog. I. p. 378.) Archidiaconus exprimitur verbo Lands-Biſchof, et quidem rectius, quam apud Treviros per vocabulum Chor-Biſchof; cum Archidiaconi Germaniae non superintendant Choro, sed Regioni (ἐπὶ τῆς χώρας σκοπεύοντες, super regionem speculantes). Conf. Martene Coll. ampliss. I. p. 462. Honth. Op. cit. I. p. 405., et Nelleri Exercit. jurid. an. 1777. p. 3. Ad hanc rem (Archidiaconorum sive Chorepiscoporum in nostra patria) enotamus hocce loco formulas quasdam juramenti hucusque ineditas, quas invenimus in cod. quodam Msto saeculi XIV., hujus argumenti:

„Juramentum Scabinorum prope der burgseendt (††) ad manus dni archidiaconi.

„Hude von dussem dage vnd von allem dussem dage vort so geloben ich her. Chorebusschoff zo Trier „vnd sine nakome Chorebusschoffen, der heiliger Kirchen vnd dem heiligen Seendt getruwe vnd holt „zo syn, zo ruegen vnd vortzobrengen alles das da rücgber vnd widder die heilige Kirche ist, we das „von alters her kome ist, off den eyt den ich dem Scheffenstoel gedaen han."

„Juramentum aliorum Synodalium.

„Hude &c. &c. (ut supra), tum post verba: kome ist, additur: „vnd sal des nit laissen, nach vmb lieff „nach vmb leut, nach vmb frutschaff nach vmb maegschaff, nach vmb fort nach vmb nytt, nach vmb „keynerley ander sache, die de heilige Kirriche oder den heiligen Seendt hindern magen, so mir Got helff „vnd die heiligen."

(††) Conf. quae diximus s. t. Der heilige Send im Mittelalter, oder das Sendgericht (Trieriſche Chr. 1821. S. 47. f.)

In Septembri quoque, magno rusticorum incommodo et sylvarum dispendio, urbs Treverica novis palis, duplicibus quidem, scilicet ubi olim stetere moenia, et in medio fossarum, circumsepi debuit.

CAPUT CCCXLIII.

Calamitates hasce et alia formidabilior subsecuta est, quando in oris septentrionalibus saeviens pestilentiae lues aliquas Germaniae finitimae partes quoque corripuit, et in ipsam Austriam grassata est. Unde ne pestis nostras et Galliae oras attingeret, Rex provide quidem subsequens cautelae praeceptum edidit, ac in regnis et terris sibi submissis publicari et exacte servari voluit:

„Ordonnance du Roy (*)

„portant Réglement sur les précautions qui doivent être observées pour prévenir la communica-
„tion du mal contagieux qui s'est repandu dans les pays héréditaires de la Maison d'Autriche
„et en quelques autres Provinces et lieux de l'Allemagne.

„Sa Majesté ayant éte informée que la maladie contagieuse, qui s'etoit fait ressentir dans
„le Nord, s'est repandue depuis peu dans les pays héréditaires de la Maison d'Autriehe et en
„quelques autres Provinces et lieux de l'Allemagne; ce qui auroit obligé les Etats voisins de
„prendre des mesures pour s'en garantir. Et sa Majesté voulant prendre les précautions les
„plus sures, pour prévenir la communication d'un mal si dangereux dans son Royaume; Elle
„a jugé á propos d'ordonner ce qui ensuit:

„Art. I. Fait sa Majesté très-expresses inhibitions et défenses à toutes personnes de quel-
„que qualité et condition qu'elles soient, venant par terre d'Allemagne, et des pays et états
„qui ont une libre communication avec l'Allemagne, d'entrer dans son Royaume, pays, terres
„et seigneuries de son obéissance, ny d'y introduire aucunes sortes de denrées, marchandises,
„bestiaux et autres animaux venant des dits pays, *sous peine de la vie* contre les personnes
„qui contreviendront aux présentes défenses, et même contre celles qui auroient favorisé leur
„entrée: et à l'égard des denrées et marchandises, elles seront brûlées sans être deballées,
„au moment qu'elles seront arretées, et les animaux tuéz et brûlez aussi sur le champ.

„II. Fait pareillement sa Majesté défenses à toutes personnes, marchands, negocians et
„autres, tant sujets de sa Majesté, qu'etrangers habitans dans son Royaume, entretenir aucune
„communication avec les dits pays.

„III. Enjoint sa Majesté aux Gouverneurs ou Commandans, Intendans et Commissaires
„départis dans les Provinces de son Royaume, de faire planter incessament, aux frontières de
„pays cy-dessus marquéz, de barrières, et établir de Corps-de-garde avec de Officiers pour
„y commander, sur les principales routes, chemins et passages par lesquels on peut entrer
„dans le Royaume, en venant des pays cy-dessus désignéz.

(*) Mireris, et hanc Ordinationem Regiam, Treviris publicatam, apud Honthemium omissam esse, quam tamen exhibuit Gestorum sui aevi diligens enarrator Reichman.

„IV. Les portes de villes, bourgs et lieux ferméz, situez sur les frontières des pays cy-„dessus dénommez, seront exactement gardées, et aucune personne, venant des dits pays, ne „pourra y être reçue.

„V. Et quant à ceux qui viendront de tout autre pays, même des villes et Provinces de son „Royaume; ils ne pourront être reçus dans les dites villes frontières, sans être munis de certificats „des Magistrats des lieux où ils sont partis, viséz et datéz par les Officiers des lieux où ils auront passé.

„VI. Défend pareillement sa Majesté aux Commis établis par l'adjudicataire de ses fermes, „dans les bureaux des frontières d'Allemagne, et des pays et etats qui ont une libre commu-„nication avec l'Allemagne, de laisser passer aucune denrée, marchandises, bestiaux et ani-„maux, venans des dits pays, *à peine de la vie.*

„VII. Pourront les Officiers commandans aux dites barrières et aux portes des villes fron-„tières, faire tirer sur ceux qui au préjudice des défenses cy-dessus, entreprendront de passer „par les dites barrières et portes des dites villes, bourgs et lieux ferméz.

„VIII. Et enfin que personne ne puisse en prétendre cause d'ignorance, il sera planté à „toutes les entrées et chemins où il n'y aura des barrières, de poteaux avec des inscriptions „qui contiendront les défenses cy-dessus désignéz.

„IX. Les Courriers qui porteront des lettres des pays cy-dessus désignéz, ne pourront „prendre d'autres routes que celles où il y aura de barrières, ny passer les dites barrières „pour entrer dans le Royaume, *à peine de mort.*

„X. Seront tenus les dits Courriers de jetter leurs paquets à trente pas de distance des bar-„rières, où l'Officier qui commandera les fera prendre avec des pincelles, tremper dans le „vinaigre, et parfumer ensuite chaque lettre en la manière accoutumée en pareil cas; pour, „après les avoir fait secher, et avoir donné au Courrier la décharge de son paquet, les en-„voyer au plus prochain bureau de la poste, où il en sera donné décharge: et à l'égard des „lettres qui seront écrites du Royaume pour le pays etranger, l'Officier commandant aux bar-„rières les fera jetter pareillement à trente pas de distance, au de-la des barrières, où elles „seront reprises par le Courrier, en sorte que l'Officier ny les gens du Corps-de-garde ne „puissent avoir aucune autre communication avec le dit Courrier. Et quant à la forme des „envois, remises et décharge de dits paquets et lettres, il y sera pourvû par les dits sieurs „Intendans et Commissaires départis, ainsi au payement des frais de l'établissement et entretien „des barrières et de Corps-de-garde, et autres dépenses necessaires pour l'execution de la „présente ordonnance.

„XI. Veut et entend sa Majesté que, si aucuns de ses sujets, marchands où autres, „avoient avis des marchandises en route, qui leur fussent envoyées des pays mentionnéz au „premier article de la présente ordonnance, ile soient tenus de les contremander.

„XII. Enjoint sa Majesté à tous Gouverneurs où Commandans, Intendans et Commissaires „départis dans les Provinces frontières des dits pays, de tenir la main à l'exécution de la „présente ordonnance, et de la faire lire, publier et afficher partout où besoin sera.

„Fait à Marly le vingt-huit Aoust mil sept cent treize.

„Signé, *Louis.*

„Et plus bas, Phelypeaux.

„Dominique *de Barberie*, Chevalier, Seigneur de saint Contest et autres lieux, Con-„seiller du Roy en ses Conseils, Maitre des Requetes ordinaire de son Hotel, Intendant „de justice, police et finance en la Généralité de Metz, frontières de Champagne, du Lux-„embourg et de la Sarre,

„Veu l'ordonnance du Roy cy-dessus: Nous ordonnons qu'elle sera lûe, publiée et affi-„chée dans l'étenduë de notre département et frontières des places conquises en dépendant, „pour y être exécuté selon sa forme et teneur. Fait à Metz le 7. Sept. 1713. Signé de „Barberie, et plus bas, Delespine."

Quam Regiam ordinationem Reinaldus Intendens Regius circa finem mensis Septembris Treviris quoque publicari fecit, ac inter caetera mandavit, ut litterae ex Germania, imo Confluentia et Cochemio venientes, Lysurae (est pagus non ignobilis ad litus Mosellae situs) in cursorum diversorio ibidem intingerentur aceto, dein hic Treviris perfumarentur. Ast ille Reinaldus in turbida aqua vafre etiam piscari noverat, quando mercatores Trevirenses, de praedictae ordinationis publicatione nihil scientes, nihilque mali ominantes, merces suas ex nundinis Francofurtensibus adventantes magna pecunia redimere debuerunt!

CAPUT CCCXLIV.

Multo salutarius antidotum pro avertenda contagione, et eo quo premebamur malo, Trevirensibus praescripserat Clementissimus Praesul noster, Confluentiae degens, sequenti sub formula:

CAROLUS

Dei gratia Archi-Episcopus Trevirensis S. R. I. per Galliam et regnum Arelatense Archi-Cancellarius ac Princeps Elector, Episcopus Osnabrugensis, administrator Prumiensis perpetuus, Lotharingiae et Barri Dux, magnus Castellae et legionis ordinis Melitensis Prior, regiaeque capellae Bohemiae Comes, &c.

Venerabili Clero Saeculari, ac Regulari, ac universis et singulis Christi fidelibus Archi-Dioeceseos Nostrae Trevirensis salutem in Domino.

Post funesta ubivis calamitatis publicae vestigia, post cruenta belli diuturni flagella, quibus Europa Christiana eousque premitur, necdum cessat quassatio, necdum quiescit Angeli percutientis manus: *Sustinuimus pacem et non venit, quaesivimus bona et ecce turbatio,* undique terrores, ubique desolatio, contagionis grassantis indicia, graviorum praesagia poenarum. *Non est malum in Civitate, quod non fecit Dominus,* malum nimirum poenae, ubi praecesserunt mala multiplicis culpae, vilipendium rerum sacrarum, contemptus Ecclesiae, sacrilegia, blasphemiae, superstitiones, odia, rancores, commessationes, impudicitiae, aliaeque horrendae in Clero et populo, in omni aetate ac utroque sexu vitiorum pestes, quae vindicem Dei manum identidem provocant, ita tamen, ut nec alienis calamitatibus moniti erudiamur, nec propriis, quas experimur plagis, territi, ad meliorem vitam redeamus. Percutimur, sed non emendamur, peccati poenam sentimus, sed peccandi pertinaciam non vitamus, itaque Dilectissimi, *ne quando in finem irascatur Dominus et pereamus de via justa:*

Ex Archi-Episcopalis Officii nostri solicitudine, avertendis ab afflicta Archi-Dioecesi nostra ulterioribus malis intenti, ac poenitentiis, orationibus, jejuniis, aliisque piis operibus Deum placare cupientes, publicum *convocare coetum, congregare populum, sanctificare jejunium, coadunare senes et parvulos* decrevimus, quatenus vis orationis unita fortior existat, fiatque tanto uberior fructus poenitentiae ac inde fructiosior nostrae devotionis effectus; indicentes eum in finem in Metropolitana et per Archi-Dioecesin preces 40. horarum cum jejunio trium dierum, ordine designando, omnibus et singulis Christi fidelibus, qui sacramentali confessione, ac sacra communione praeviis, in statu gratiae *(peccatores enim non exaudit Deus)* pro necessitatibus Archi-Dioecesis pias ad Deum preces effuderint et praescripta opera pie adimpleverint, quotidie quadraginta dierum indulgentias in forma Ecclesiae consuetà concedentes. Adeamus proinde cum fiducia thronum gratiae, *non enim obliviscitur misereri Dominus, nec continet in ira misericordias suas, sed multus est ad ignoscendum invocantibus eum in veritate.* Convertamur ad Dominum et convertetur ad nos. Flectamus genua et corda nostra hoc acceptabili Dominici adventus tempore, Regi pacifico, qui pacem annuntiat hominibus bonae voluntatis, humiliter occurramus, patremque misericordiarum ac Deum totius consolationis, per intercessionem B. M. V. consolatricis afflictorum, Ss. Tutelarium nostrorum, S. Mathiae Apostoli, Ss. Archi-Episcoporum et Martyrum Trevirensium, S. Caroli Boromaei, Ss. Sebastiani et Rochi specialium adversus pestem Patronorum, corde contrito et humiliato deprecemur pro avertendis ulterioribus flagellis et obtinenda coelitus, quam mundus dare non potest, pace; quatenus demum videre et experiri mereamur illud scripturae: *Jejunavimus et oravimus Deum Nostrum et evenit nobis prospere,* illudque poenitentis Regii Prophetae: *Vidit Angelum Domini stantem, et evaginatum gladium in manu ejus. Ceciderunt tam ipse, quam majores natu, vestiti ciliciis, proni in terram, et convertit gladium suum in vaginam.* Quem poenitentiae, precum et jejuniorum nostrorum effectum eo confidentiùs speramus; ubi *in conspectu Domini fidelis populus nobis commissus. iisdem simul instat Officiis* (Verba sunt S. Leonis Papae) *et in utroque sexu omnes gradus, omnesque Ordines eodem cooperantur affectu:* mandantes Parochis et verbi divini praeconibus, quatenus fideles ad seriam conversionem dignosque fructus poenitentiae, ad horrorem peccatorum, ad debitam venerationem Ss. Tutelarium contra pestem efficaciter excitare satagant. Treviris 15 Novembris 1713.

EX MANDATO SERENISSIMI

Joannes Mathias Episcopus Rosmensis
Suffraganeus Trevirensis.

Sequitur ordo precum in Metropolitana ecclesia Trevirensi. — Quae quidem devotio 22da Novembris, invitatis quoque ad eam Generale Comite de Gaské aliisque Gallicis Officialibus, in fortalitio S. Martini degentibus, Treviris incepta, et, ut speramus, praescripto modo pie finita fuit. Galli quidem pro avertenda sola peste orabant; Nos autem, ut et a malo Gallico liberaremur, pia ad Deum misericordiarum patrem effundebamus cordis suspiria: jamque totis hisce diebus plateae, templa et ipse aër non nisi De profundis clamavi ad te Domine, et Miserere resonabant, et ejulatus.

27ma Novembris deinde funebre sacrum, pro defunctis in bello et

peste, in templo summo, congregato ibidem clero, populo et Gallis, per Suffraganeum Joannem Mathiam ab Eyss decantatum fuit.

CAPUT CCCXLV.

Occupata, ut diximus, Landavia, Villardus cum exercitu 150000. Gallorum, de reportata victoria tumens, stratis variis pontibus Rhenum transgressus, Friburgum Brisgoviae, cui defendendi gratia Generalis Harsch pro Caesare praeerat, obsedit, atque 18va Novembris honesta utcunque deditione cepit: Anglis praecipue, Hollandis, Sabaudo et Brandenburgico, obtenta jamtum ex iniqua (*) Hispanicae Monarchiae divisione praeda, hujus tragoediae otiosis existentibus spectatoribus; solis Electoribus Moguntino, Treverense, et Palatino, Saxone quoque, in fidelitate Caesaris persistentibus.

Imperator igitur ut agnovit et vidit, se a Confoederatis delusum et derelictum, ac avitum Hispaniae regnum discordia discerptum magis iri; de oblata pace cum Gallo transacturus, 26. Novembris Principem Eugenium, Germaniae Hannibalem, qua Plenipotentiarium suum, Rastadium (quod est oppidum et augustum Marchionum Badensium palatium) selectum utrinque partium pacis tractandae locum, submisit: ex parte Ludovici XIV. Galliarum Regis, Villardo, supremo ejus exercitus Praefecto, eodem ibidem die quoque comparente. Postero die, id est, 27. Novembris die, inter hosce strenuissimos Belliduces (quod hactenus fere inauditum) de pace sancienda primum fuit habitum colloquium (**).

Dum haec ibi aguntur, ex obsidione Friburgensi, medio Decembris, sub Generale Scheladetio tot Treviris advenere pedestrium et equitum copiae, ut civium plerique octodecim usque viginti quatuor milites in hyberna recipere et statis diebus iisdem victum subministrare debuerint (***).

(*) Omissit Honth.: iniqua.

(**) Rastadii pacis fundamenta jecerunt, quam deinde ad Thermas superiores, sive Baden in Helvetia, firmaverunt solenniter.

(***) In Chronico msto monast. ad S. Joann. legimus: „Im December 1713. haben die Frau„ſoſſen mit 11,000. ſag, eilff dauſent Mann, und 800 Officirer daß Winterquartier in Trier

Sane hic 1713. annus Trevirensibus annus summae tribulationis et miseriae fuit (*).

CAPUT CCCXLVI (**).

Decima tertia Augusti 1714. circa vesperum advenit huc Treviris Princeps Electoralis Saxoniae, filius Friderici Augusti Electoris et Poloniae Regis. Tentebat in Franciam. Permansit is hic ad aliquot dies, visitando antiquitates et inprimis ecclesiam S. Simeonis (***).

Decima octava Novembris anni 1714., quae erat dies Dominica, post pacis Badensis tractatum (†) inceperunt Galli per milites fortalitium S. Martini, quod duo centena librarum millia patriae constiterat, destruere et planisare cum omnium gaudio (††).

Hisce diebus convenerant ad aulam Ehrenbreitsteinianam Status patriae ad concludendum, quae hoc anno essent porrigenda suae Celsitudini Electorali Carolo subsidia, et dissentiebant plurimum Status ecclesiastici cum saecularibus (a).

„bezogen mit unbeschreiblichen Lasten der Stadt und Gemeiner Burgerschafft, auch aller Geistl. „Mans- u. Jungfern-Clöster. Die Abteyen Marimin, Matheis u. a. haben alß 700. bis 800. „Mann logiren müssen. — Wir arme Closter-Jungfern bekamen 33. Mann mit 2 Weiber undt „Kinder." — — Dum ego haec scribens (Aemilianus Reichman, monachus ad S. Mathiam) „eram in officio Culinarii, habuimus difficillima Hybernia militum „Gallorum. Erat isto anno aliqua apparentia pro futura pace inter Caesarem et Re„gem Galliae per factum et initum armistitium; sed monasterium nostrum, sicuti et „alia monasteria, imo tota civitas, supra modum gravatum fuit; nam octo Compag„nias militum peditum cum Officialibus per quatuordecim menses in monas„terio habuimus, et Officialibus victum sub spe et promissione solutionis dedimus, „sed nihil accepimus. — In solo vino optimo biberunt ultra octodecim plaus„tra!" (Protocollum S. Mathiae mstum.)

(*) Ab anno 1713. usque ad annum 1720, abrumpitur, nescimus quo fato, filum narrationis Nicolai Reichman, cujus Msto hucusque usi sumus. Hanc lacunam ope aliorum documentorum mss. ejusdem aevi supplere conabimur, ex Protocollo nempe monasterii S. Mathiae; potissimum autem ex Protocollo ecclesiae collegiatae S. Simeonis.

(**) Quae jam sequuntur capita septem, ad annum usque 1720., hactenus nondum typis evulgata sunt.

(***) Haec et sequentia ex Protocollo msto S. Simeonis.

(†) 1714. 7. Sept. pax Badensis signata est.

(††) Extant nihilominus hodierna die quaedam vestigia.

(a) Vide initium capitis sequentis.

Die 29. Novembris discessit ultima legio Champagne, consistens in 1800. viris, et sic haec urbs Trevirensis, plane Gallico milite et subsidio vacans, ab ipsis relicta est. Facsit Deus, ut in posterum non intrent, et pax nostris temporibus et hac in patria vigeat!

PaCCato IMperIo gaVDete TreVIrI.

Vigore decreti Archiepiscopalis cesserant Abbatiae S. Martini, quae in et supra fundum (fortalitii) reperiebantur materialia.

Decima sexta Decembris hujus anni de mandato Superiorum fuit convocatus clerus et omnis civitas ad Missam specialem, et gratias agendas omnipotenti Deo per hymnum Ambrosianum, ratione impetratae pacis in hac dioecesi. Circa vesperum ejus diei fuerunt accensi ignes festivi in foro, et explosae machinae et tormenta bellica (a).

Decima octava Decembris advenit Elector noster Carolus Josephus cum fratre suo Francisco Lotharingiae Duce, et Abbate Stabulensi Treviros. Ingressus est sine pompa hanc urbem.

Anno 1715. Hisce diebus parabatur hic in civitate et metropoli pompa funebris pro sepultura Archiepiscopi nostri Trevirensis Joannis Hugonis ab Orsbeck (b), qui sexta Januarii 1711. obierat in Valle Ehrenbreitsteiniana prope Confluos, et ibidem in ecclesia P. P. Capucinorum delituerat propter bella, quae Galli patriae Trevirensi, eam occupando, intulerant.

26. Aprilis, Metropolitani Capituli Secretarius Polch nigro indutus, comitatus pedello Capituli, qui talari nigro pariter indutus erat, qui et sceptrum nigro velo involutum prae se gestabat, invitabat certas personas sibi specificatas hic in civitate, veluti Rectorem Collegii S. J., Praepositos Patres Sanctimonialium. — In media navi Metropolitani templi erectum fuit trophaeum seu castrum doloris ad minimum in altitudine 30. pedum; consistebat in quatuor columnis,

---

(a) Chron. ms. S. Joan. haec habet: „Daß Danckfeſt iſt mit großer solemnität im hohen „Dohm gehalten worden. — Alle Glocken gantzer Stadt ſein zu unterſchiedlich mahl geleudt „worden. Auch in allen Jungfer Clöſteren iſt daß te Deum laudamus geſungen worden. Am „abendt groß frewden fewer auffm marck, und Galgen, Eſſel verbrendt worden!" Protocollum magistratus urbis nostrae haec notat: „Der Magiſtrat ließ Abends „vor der Steip den Burgeren ein Feuerwerck zum Beſten geben; auch wurde ein gutes „Faß Wein angeſchafft, um die Herren vom Magiſtrat zu beluſtigen!"

(b) Vid. caput 338.

ordinis Corinthii, cum suis basibus, architravis, frisis et cornichiis. Distabat columna una ab altera pedibus 18., jungebantur desuper. Depicti erant angeli, alii flentes, alii gentilitia arma Orsbeckiana gestantes; desuper in medio conjunctionis erat pes aliquis octogonus, super quem stans visebatur figura mortis. Haec omnia affabre in ligno elaborata erant, et nigro alboque colore distincta. In medio hujus erat tumba mortuaria, panno nigro tecta, et dispersa per eam arma gentilitia Orsbeckiana. Haec tumba erat elevata ad altitudinem quatuor pedum, et gradus erant a quatuor partibus quinque. In extremitatibus horum graduum quatuor pedestalla visebantur, et super haec luctuosi picti in asseribus angeli, gestantes scuta, quibus inscripta erant, quae in vita hic Princeps gesserat laudabilia. Hinc et inde varia emblemata et inscriptiones. Per hanc autem machinam dispersae erant candelae cerae candidae pene innumerabiles. Praeter machinam hanc, nigris involuta erant altaria SS. Trium Regum et S. Crucis (*).

Nigris vestita erant omnia stalla et pulpita in choro, et desuper dispersa luminaria. Summum altare ornatum erat crucifixo et octo candelabris argenteis: ab extremitatibus duae pyramides nigrae pariter candelis distinctae. Altare autem novum retro, velut et ascensus ad illud pariter panno nigro ad altitudinem magnam tegebatur; hic etiam dispersae erant candelae cerae albae. Ascensus ad chorum pannis nigris, velut et chorus musicorum, tegebatur.

Cantatae fuerunt, 5ta Maji post Vesperas, Vigiliae defunctorum: his interfuere chorus Metropoliticus, chori SS. Paulini et Simeonis. Primi Nocturni lectiones et versus Vicarii Metropolitani, secundi illi S. Simeonis, tertii illi S. Paulini cecinere: his interfuere Abbates quatuor hujates, et ex Hemmenrodt, Tholeia et Metlach, in pontificalibus. Suffraganeus Episcopus Rosmensis commendationem persolvit.

Sexta Maji cum funus in majori navi transvectum advenisset, de mane hora sexta ad tympanum totus clerus, nobilium, saecularium et regularium, in Metropolim processionaliter deductus fuit. Singuli Pas-

---

(*) Altaria haec et novum summum altare jussu et impensis Joannis Hugonis exstructa sunt. Conf. cap. 359.

tores civitatis cum pluvialibus et levitis, item Chorisociis et Scholaribus immediate praecesserunt Collegiatas; ante omnes autem praecedebat Eques aulicus Landenberg, qui gestabat pallium oblongum lugubre. Hunc sequebantur Orphani, dein Regulares. Post Collegiatas sequebantur 4. tibicines cum timbalis, qui inflabant et tangebant prout in luctu. Dein insignia trium Episcopatuum Metz, Toul et Verdun a distinctis cucullatis portata; sequebatur Suffraganeus cum suis et aulae Sacellanis. Insignia Electoralia et Archiepiscopalia valde pretiosa a Nobilibus juxta dignitatem et officia gestata et portata. Tum rheda tracta sex equis insignibus nigre phaleratis et nigris ad terram usque vestitis: in hac rheda erat tumba funeris, opere eleganti argenteo et holloserico vestita. A lateribus erant Guardiae et Heiduken, et immediate post rhedam equus manualis Archiepiscopi nigris vestitus mit einer Schleiff. Hic equus manu ducebatur ab Hof-Marschallo Sleucher, et der Schleif a famulo ferebatur. Immediate funus subsequebatur Ober-Marschallus Comes de Metternich; nunc Legatus Caroli Lotharingiae Ducis, moderni Archiepiscopi Trevirensis; dein Officiales aulici et Ambtmanni juxta praerogativam ipsis debitam. Hos agnati sequebantur, et post illi, qui juxta typis excusam dispositionem dinumerati erant (*).

Cum ad summam aedem perventum, funus per Scabinos ad castrum doloris delatum et in medio infra baldachinum repositum est, ubi sub officiis trium solemnium Missarum et concionis, velut et solemnis a Praelatis SS. Maximini, Mathiae et Martini, juxta rituale Episcop., cantatae Commendationis perstitit. Sub his a lateribus supra elevatos gradus steterunt sex ephebi nigris induti et cereos albos in manibus gestantes, 16. cucullati, 12. guardiae, et infra equus phaleratus ante tumbam toto tempore perstitit.

Infra castrum doloris, in media navi, genuflectebat Legatus Archiepiscopi Elect. Baro de Kesselstatt, summae aedis Praepositus et Proprinceps seu Statthalter.

Hac die Baro de Bursem, comitatus et ductus a Capituli Pedello et Secretario ad Offertorium, gestabat manu cereum album, in quo

(*) Nempe Magistratus urbis, scholae publicae, cives et sodalitates &c. &e. —

infixi erant 3. flor. aurei. Post Commendationem funus e castro doloris a Scabinis Trevirensibus elatum, et ad locum requiei a deputatis Opificii Textorum 12. in loculum paratum intrusum est, Suffraganeo, assistentibus choris nostris (*), preces persolvente, quae in sepulturis solitae sunt (**). Haec ceremonia protracta fuit ad 2. pomeridianam. Ex ordinatione ecclesiae Metropolitanae Decani distributae sunt cuilibet Canonico et Vicario, tam ecclesiae Metrop. quam Collegiatarum, quatuor vini amphorae et totidem panes. Distributa sunt etiam numismata cum variis inscriptionibus in memoriam Joannis Hugonis.

CAPUT CCCXLVII.

Hoc anno 1715. (***), cum Status patriae per Electorem Principem nostrum Trevirensem essent convocati propter longas dissensiones Status ecclesiastici et saecularis, quas ante saeculum tentatum fuerat componere: in hoc tandem convenerunt, ut deputarentur commissarii utriusque Status, qui ommes terras, tam cultas quam incultas, tam vineas quam campos, prata et hortos dimensurarent, ut tandem apparareret, quinam ea possiderent, et ut juxta eorundem quantitatem et qualitatem quilibet in simplis, exactionibus, aliisque oneribus portaret, quod Status justum et aequum existimarint. Et fuerunt hi Commissarii numero 15., quorum quinque insimul Amptmanniam (†) unam habebant describendam in superiori Archidioecesi.

Hujus anni 1715. 11. Decembris advenit, per cursorem extraordinarium, nuntium, quod Viennae in Austria, variolis infectus, obiiset

---

(*) Scriptor est Canonicus ad S. Simeonem.

(**) Protocollum Magistratus civitatis his ceremoniis addit: „Hierauf zerſchlug „auf dem Grabe der Secretair des Domkapitels das Kurfürſtliche Wappen Johann Hugo's. „Sic stricte observatum.“ —

(***) Jam circa finem anni 1714. (23. Nov.) Conventio principalis inter hos Status de ratione et norma contributionum provincialium, Confluentiae facta est. In sequelam hujus conventionis, anno 1718. et sequentibus, singula per Treviratum praedia dimensa taxataque fuere; quo opere absoluto, ante finem anni 1723. communia subsidia novo hoc stylo levari coeperunt. (Vid. Honth. Hist. Trev. dipl. III. p. 877.) et additamentum ad hoc caput.

(†) i. e. Satrapiam.

4ta Decembris Princeps Elector Carolus. Hic cursor fuit directus ad summae aedis Praepositum, Carolum Casparum de Kesselstatt. Audito hoc nuntio, eadem die congregatum fuit Capitulum Metropoliticum, tum consistens in sex Capitularibus, qui hic resistentes aderant, et convocati Suffraganeus, Consiliarii, Praepositus civitatis variique alii, jussi sunt, fidelitatis juramentum deponere coram Capitulo, quamdiu sedes vacaverit. Ulterius mandatum fuit, ut ter per diem omnes campanae in omnibus ecclesiis pulsarentur per sex septimanas. Ita in brevi regimine substitit Carolus e Lotharingiae Ducibus (*). Fuit etiam Episcopus Osnabrugensis et antehac Olmucensis, et Prior ordinis Melitensium magnae Castiliae. Transiit interea urbem nostram extraordinarius cursor, hanc ultimam dignitatem pro Coloniensium Archiepiscopo a sua Majestate Catholica petiturus.

Capitulum in dies congregabatur, regimenque vacante sede assumpsit. 25ta Decembr. prodiit mandatum Suffraganei, Officialis et Vicarii gener., ut omnes orarent pro felici electione. 28va Januarii 1716. advenit Legatus Ducis Neoburgici. — Hisce diebus tanta decidit nivium copia, quanta ab hominum memoria visa non fuit. Undecima Februarii advenit Legatus Caesareus, qui invigilaret in electione in iis, quae intererant Imperatori Carolo VI. Is Legatus habebat ad quemlibet e Capitularibus Metrepolis missivam ab Imperatore, et unam ad Capitulum congregatum, quam 17. Februarii, admissus ad audientiam, in Capitulo exhibuit una cum creditiva. Die 20. Februarii convenerunt omnes et singuli Canonici Capitulares, praeter duos absentes (**). Missa de Spiritu sancto musicaliter cantata fuit; qua finita, processerunt Capitulares ad Capitulum, in quo fuerunt per horam, et ex post exeuntes adduxerunt duo juniores Legatum Caesareum ad pedestallum praeparatum prope summum altare ad latus Epist.; erat hoc pedestallum tapeta stratum et cussino rubro holloserico aureis fimbris distincto. Legato Decanus summae aedis, comitatus Syndico, Secretario

(*) Vide additamentum ad hoc caput, exhibens statuta nova Caroli Archiepiscopi, Seminarium Clericorum in urbe Trevirensi concernentia, quae nullibi typis edita leguntur.

(**) Praesentes erant Capitulares 14. — Vid. Instrumentum postulationis Francisci Ludov. Comitis Palatini Rheni in Archiep. Trev. 1716. 20. Febr. — ap. Honth. (Hist. Trev. dipl. III. p. 896. sq.)

et testibus, praelegit, qualiter unanimiter postulatus esset ad hanc sedem Archiepiscopalem Franciscus Ludovicus ex Comitibus Palatinis Rheni, Magnus Teutonici Ordinis Magister. Idem Decanus ex odeo idem praelegit populo, et nunc tibicines, timballae et tormenta personarunt, et intonato hymno Ambrosiano finiit haec ceremonia.

Anno 1716. in mense Augusto die 20. ex mandato Capituli Metropolitani Regentis comparere jussus est clerus, tam saecularis quam regularis, in Metropoli Trevirensi, ad reddendas Deo grates pro reportata contra Christiani nominis hostem Turcam prope Carlowitz in inf. Hungaria, inter Danubium et Savum fluvios, signatissima victoria 5ta currentis Augusti. Episcopus Rosmensis, Suffraganeus Trevirensis, celebravit Missae solemnia, inter quae musica, tibicines et tormenta bellica sonum dederunt; praesidium bellicum et veterani cives (vocant Letzstgesellen) in armis dederunt salve. Guardiae Electoratus in suis armis chorum stipabant, et P. Dalbender S. J., ordinarius Concionator, concionem dixit pro populo. Ex mandato praefati Capituli accepit quilibet in choro praesens Canonicus et Vicarius quatuor amphoras vini ex palatio! —

Hoc etiam anno et mense, et quidem die 17ma Augusti, incepta est restauratio pontis antiquissimi et solidissimi hic Treviris, qui pons, saeviente in urbem Gallico furore, eversus fuerat anno 1689 (*); et quidem hic labor, postulantibus Magistratu et civibus Trevirensibus, et sub beneplacito Capituli Regentis initium sumpsit. Ad illud vero opus primus lapis ceremonialiter fuit positus et firmatus, astantibus Capitularibus et multitudine infinita populi, 29na ipsa die decollationis S. Joannis Baptistae. In capsa plumbea ibi deposita reconditae sunt Reliquiae de SS. Materno et Martyribus Treviribus, et moneta aurea et argentea a Capitulo sede vacante cusa. Hic lapis est in primo pilari versus civitatem, et quidem in medio. Interea dum haec agebantur, timbala et tibicines resonabant, et in ordines positi veterani cives et tormenta bellica concrepabant.

De ponte Trevirensi, anno 1716., sic canebat poeta:

(*) Conf. cap. 322. et additamenta ad hoc caput.

Ne foret in terris quidquam durabile semper,
Quando hoc non poterat frangere tempus opus:
Gallia destruxit, reparatur sede vacante;
Fiunt Canonici sic modo Pontifices.

CAPUT CCCXLVIII.

Anno 1717. in Februario parabatur castrum doloris, ad 30. pedes elevatum, in navi Metropolis nostrae Trevirensis, pro exequiis Archiepiscopi Electoris Caroli, in urbe capitali Viennae defuncti. Omnia in summa majestate et magnificentia peracta fuerunt diebus 15. 16. et 17. ejusdem mensis. Vide, quae scripsimus supra in sepultura Joan. Hugonis ab Orsbeck. Addamus haec: Ante castrum doloris, ad distantiam 8. pedum, in subsellii elevati genuflexorio, substrato panno nigro, flectebat Legatus Ducis Lotharingiae, Comes de Hunstein (*), qui trahebat pallium nigrum, cujus cauda excedebat octo ulnas et ab ephebis gestabatur, quem ante fores ecclesiae rheda nigra et equi sex nigris induti exspectabant. — Distributae fuerunt singulis in choro praesentibus, e quatuor Collegiis, tribus continuis diebus, quatuor vini amphorae et totidem panes ex palatio Archiepiscopali. Concionem funebrem habuit Praepositus et Vallis Ehrenbreitsteinianae Pastor meritissimus Betz (**).

Illud adhue non omittendum, quod, ex mandato Ducis Lotharingiae, ejus Legatus largas in monasteria et pauperes domesticos eleemosynas distribuerit, ad aliquot imperialium millia.

Anno hoc ab incarnatione Domini 1717. 17ª Augusti cursor ordinarius circa sextam vespertinam attulit perquam felix et jucundum nuntium de reportata victoria contra exercitum Turcomannorum, qui obsessae per exercitum Caesareanum Albae Regali in inferiori Hungaria succursum afferre minabatur.

Haec inter faustissima nova dum quilibet hac in urbe Trevirorum triumphum canebat et laetitiam personabat; subito circa 11mam noctis horam apparuit infausta erumpens flamma ex tecto mediae navis ec-

(*) Fortasse Hunolstein.
(**) Haec oratio funebris typis expressa legitur in Honth. Hist. Tr. dipl. III. p. 882. sq.

Quibus sic actis Gallici milites toti intimidati, exercitum Germanorum appropinquantem et se persequentem metuentes, 22. Octob., cum confusione terga verterunt, recesserunt et redierunt Treviros. Si Germanus exercitus illos fuisset insecutus, absque dubio plenissimam et maximam de Gallis accepissent victoriam; imo ipsi Galli, timore perterriti, nullibi constitissent, sed, relictis omnibus, ubique se fugae dedissent (*).

Germanis ergo Gallos non insequentibus, ipsi Galli milites in vicinis pagis circa civitatem Trevirensem, sub titulo fouragementi accipiendi, simul omnia hominibus diripuerunt in Henteren, Lampaden, Baldringen, Paschel, Sehr, Pellingen, Crittenach, Emmel, Wiltingen, Contz, Paltz, Erang, Trierweiler, Ruwer, Schweich, Assell, Foehr (quod et aecenderunt), et aliis et aliorum dominorum pagis; ita ut non fuerit a longissimo tempore major miseria circa Trevirensem civitatem visa. Omnia devastarunt, olera, uvas et stipites ex vineis, arboras ex pomariis &c. abstulerunt et combusserunt, omnes hortos, sive, ut dicuntur, die Olcken, in civitate occupaverunt pro castris; ita ut inaestimabilia damna fecerint; pro avertendo exercitu Germanorum Dux de Belleisle totam sylvam S. Maximini prope dem Grünhauß jussit abscindere ad faciendas vias impracticabiles, similiter in sylvis Erang et Palz. Pro locandis infirmis et vulneratis militibus jussi sunt Patres Benedictini ad S. Martinum exire a suo monasterio, et versum in Lazarethum.

Repulsis igitur et retrogradientibus Gallis, Comes de Seckendorf

---

(*) Seckendorf, Caesareorum Dux, certis ex causis, hosti temperare voluisse videbatur. Treviri hujus temporis id quidem suspicabantur.

cum suo exercitu quotidie propius ad urbem Trevericam accedere conatus est, et 29. Octob. pervenit usque in campum Eringium, imo supra montem S. Marci et Apollinis e regione civitatis; Gallis alteram partem Mosellae, destructis suis pontibus navalibus, occupantibus, peditibus super montes et equitibus in vallibus et in hortis civitatis collocatis, et suis tormentis bellicis ex monte Ruwerano et campo S. Paulini continuo (sed sine magno effectu) Germanos salutantibus, et vicissim Galli a Germanis per tormenta bellica, locata in Biwer et supra montem Palliganum, multum inquietati sunt.

Interea dum haec ex utraque parte agerentur, et jamjam milites Caesarei parati essent, Gallos quocunque modo possibili ex urbe Treverica fugare, et depost ipsam Galliam introire: ecce subito, nemine cogitante aut somniante, fit armistitium inter Caesarem et Regem Galliae (*), consistentibus utriusque partis militibus in locis quibus erant; Germanis ab altera parte Mosellae, Gallis manentibus in civitate et ab hac parte Mosellae. Milites Germani hoc inexspectatum armistitium aegerrime tulerunt, ex eo, quod jam, intimidatis undique Gallis, fortunam suam facere potuissent, quod et factum fuisset, et nemo illis resistere potuisset, et transivissent illaeso pede Parisios usque (?); sed videtur non fuisse voluntas Dei, tam propter Galliam, ne a tot diversarum nationum et fidei diversae hominibus devastaretur, quam ob civitatis Trevir. et adjacentium monasteriorum salutem; quia in hoc casu forsitan a Gallis fugientibus, uti solent facere, civitati, monasteriis, et adjacentibus et obviis pagis non bene evenisset; nam, ut depost dixerunt, se fuisse mentis, civitatem ipsam et omnia circumquaque igni tradere, neque lapidem super lapidem relinquere, et sic fugere.

Interim ex facto inexspectate isto armistitio, pro confirmanda, uti sperabamus, pace, neque civitas nostra, aut patria parum emolumenti habuit; nam pari modo, sicuti praecedenti anno, tam civitas quam monasteria sua gravissima hybernia a Gallis sustinere debuerunt, et alia fouragementa et exactiones debuimus solvere, sicut ante. — Haec om-

---

(*) Praeliminaria pacis jam 3. Oct. 1735. signata erant, et 10. Novemb. inter Duces militares Treviris induciae factae sunt.

nia mala venerunt super nos, ut ipsi Galli nobis continuo objecerunt, ex eo, quod Franciscus Georgius Archiepiscopus et Elector noster non manserit neutralis, sicut alii Electores (Bavarus, Palatinus, Coloniensis) et Hollandi, et soli Electores Moguntinus, Trevirensis, Saxonicus et Brandenburgicus partes Caesaris in hoc bello susceperint (*)! Quamdiu jam adhuc Gallos a tempore, quo haec scribo (scil.

(*) Audiamus ipsum Franciscum Georgium in suis literis, (quarum autographas ad manus habemus) ad Suffraganeum Nalbach directis, hac de re familiariter disserentem hoc modo:

„Dem Hrn. Weihbischoffen ist selbsten bekannt, wie vorsichtig, lang und behutsam ich bey „denen Creyß Conventen und der Reichsversammlung zu Regensburg selbsten gegangen, undt „daß ich mich dadurch sogar sehr suspect gemacht habe. Auch mein bey dem Reychstag ab„gegebenes votum war so manierlich und modest, als es immer möglich war — und doch soll „undt muß ich der einzige seyn, der ahn dem bedaurenswerthen Krieg die Hauptursach undt „schuld traget, auch andere Stände dazu aufgehetzet undt verführet! Wie ohnrecht aber mir „darinnen undt damit beschehe, ist leicht undt ohnschwer zu erweissen undt zu probiren, wann „ich mit grund und Wahrheit versichere, daß ich in dieser materie mit keinem Reichsfürsten in „einiger correspondenz oder verhandlung gestanden, als nuhr mit dem Churfürsten von Cöln „undt der Pfaltz, undt dies nuhr als antwort erlassen, undt also nicht ex proprio motu, „oder in verführerischen absichten, wie man mir aufbührten will. Daß mich aber darin, undt „bey meinem zu Regensburg, spät genug, abgegebenen voto denen Reichs-principien nach „betragen und äussern müssen, ist mir umb so weniger mit billigkeit zu verdencken undt zu ver„argen, als mich eines theils meine aufhabende Pflichten darzu anwiessen, undt anderen theils „die sache so clar an dem tag gelegen, daß ich solche ohnmöglich dem Kayser undt denen ohne „mich vorhanden gewesenen majoribus votis hätte ableugnen können: bey welchen umbständen „sofort auch die blose ohnmöglichkeit ware, meines orths mich für die neutralität zu „erklären (†), wohl überlegendt, daß, wenn ich solches thun würde, man mich und meine „Lande sogleich von seithen des Kayſers für feindselig wurde angesehen, und das Ober„erzstifft von Luxemburg aus davor tractiret haben; das Niedererzstifft aber nicht besser gehal„ten, und meine Vestungen gar bald ohne weiteres hinweggenommen haben, unter dem vorwand, „daß, weil bekanntlich ich nicht selbsten in dem Stand sey, solche erforderlich zu besetzen undt zu „defendiren, ihrer Kayſ. Maj. aber zukäme, für die Sicherheit des Reichs zu sorgen. Da an „der hiesigen Rhein-passage, insonderheit an der Vestung Ehrenbreitstein gahr vieles gelegen „sey, ich solche ohnversäumt räumen, undt einer Kayſ. Besatzung hätte überlassen müssen; wel„ches, wann ich nicht gethan haben würde, man mich gahr bald mit der gewalt sollte gelernt „haben. — Da indessen auch meine beyde Wormsische undt Elwangische Lande nachmahls wür„den empfunden haben, was eine neutralität, ohne genugsamb starck zu seyn, um sich selbsten „dabey schützen zu können, sagen wolle undt nach sich führe. Man thuet zwahr desfalls das „exempel von Anderen, aber nuhr dessentwillen gantz ungereimt, gegen mich anführen, weilen „ein gahr großer unterschied zwischen einem Regenten von geburth undt dessen Erblanden, undt „zwischen einem nur ad dies vitae erwehlten, der kein eygenthumb hat, zu machen ist. Wohl

---

(†) Interim idem Princeps Elector Trev. neutralitatis consiliis in annis 1742. — 1745. saluti subditorum consulere studuit.

1736. 22. Febr.) in monasterio nostro ad octo Compagnias, et in civitate ac patria Trevirensi simus habituri, et an pax universalis sit futura? Deus scit.

CAPUT CCCLXVIII (*).

Anno 1737. 8. Febr. tandem post multa nostra suspiria advenit desideratus cunctis Trevirensibus exoptatus dies, in quo a jugo et inhabitatione Gallorum civitas liberanda esset. Hac spe, a facto armistitio in Nov. 1735. usque huc, lactati, sed saepissime a falsis de nostra liberatione nuntiis decepti sumus. Advenerunt igitur milites Trevirenses (**) 3. Febr. in Palatiolo, et hic perstiterunt usque mane 8. Febr., ubi circa medium septimae per portam S. Simeonis intromissi, et a Generali de Doubine, et Commandante de Lubrin, ac Platz-Majore excepti, et ad primariam excubiarum stationem in foro deducti sunt, et possessionem harum excubiarum acceperunt: interea tibicine cum hoboistis ac variis musicantibus in turri S. Gangolphi plenis fistulis ac vocibus Trevirensium militum adventum applaudentibus congratulantibusque. Exinde a Commandante Gallico aliisque praedictis Officialibus, comitante nniverso Magistratu, D. de Hohenfeld cum or-

---

„angeſehen nun, daß deſſen Familie allzeit eine privat-Familie bleibet, undt nach abſterben „des zeitlichen Regenten, nach gefallen gezüchtiget, ja gäntzlich ruinirt werden kann." — In alia hujus Principis epistola ad eundem Suffraganeum legimus: „Liebſter Hr. Weihbi„ſchoff, es iſt heutiges Tages kein Trew undt ehrlichkeydt mehr in der Weldt zu finden, undt „die eydtſchwühr werden für nichts geachtet, ſondern ſchlechterdinge nur für ohnverbündliche ce„remonien gehalten." Alio loco queritur: „Es iſt nunmehro (1741.) nicht nuhr umb die „freyheit von Teutſchlandt, ſondern beſorglich auch umb die von ganz Europa gethan. Es „ſcheint, daß es Gott alſo haben wolle, dahero auch alles mit Chriſtlicher gelaſſenheydt ſchul„digſt in geduld zu übertragen iſt: non est enim malum in mundo quod non fecit Domi„nus." — — Epistola an. 1744. habet: „Es ſcheint, der feſte Schluß iſt gemacht, daß „das ganze Reich umbgeſtürzet undt zu grundt gerichtet werden ſolle, undt kommt es meines Be„dünkens nuhr lediglich noch darauf ahn, ob der allmächtige Rex Regum ſolches zulaſſen undt „geſtatten wolle!"

Historiam hujus belli in nostra patria, de quo in textu Gestorum sermo est, ex literis authenticis descripsimus s. t.: Der Weihbiſchof von Nalbach als Abgeordneter der Kur-Trieriſchen Landſtände an den Franzöſiſchen Hof im J. 1734. (Treviris, 1835.) —

(*) Ex eodem Msto St. Mathiano (Aemiliani Reichman).

(**) Sub Duce de Hohenfeld.

dinatis ad hoc militibus deductus est ad portam novam, abeuntibus interea pro portam novam, et albam sive antiquam, omnibus Gallicis militibus. Possessione accepta de porta nova, traditis D. de Hohenfeld clavibus civitatis, sese invicem osculati sunt (*), et ita Commandans Gallicus cum Generali Commissario aliisque Officialibus, facta super civitatem cruce (dicente Commandante: o bona civitas, commendo te Deo et Principi tuo!) ad suas se rhedas recipientes fecerunt valete et abierunt, utinam nunquam amplius reversuri! Hoc autem fuisset brevi factum, si staffetta illos in itinere attigisset; nam cum Metis advenissent, venit staffetta a Rege, quod adhuc per tres menses debeant manere Treviris. Certe fuisset in luctum versus chorus noster, et extrema gaudii luctus occupasset; sed Deo sint laudes, cujus dispositione factum fuit, ut staffetta ista retardata fuerit, et nimis sero venerit! —

Anno 1739. habuimus satis fertilem et bonam vindemiam, ubique vero in medio vindemiae Mosellanae circa vigesimam Octobris supervenit frigus et ventus frigidissimus extraordinarius, ita, ut in diversis locis, quia nimis diu cum collectione exspectaverant, uvae, cum maximo damno totius patriae, congelatae fuerint; ita ut postea mercatores propter rumorem istum non tantum illa loca (Piesport, Liser, Maring, Trarbach &c.), verum et alia noluerint pro emptione vinorum accedere. Haec fuerunt nimis matura initia et indicia secuturae longissimae et acerrimae hyemis; nam in subsequente mense Novembri talis asperitas aëris et frigus continuum subsecutum est, ut in festo S. Catharinae prima vice tota Mosella et alii fluvii, uti Sara, Sura et

---

(*) Ex Chron. Msto monialium S. Joan. haec enotamus: „Die Franzosen haben den 8. Febr. „1737. die Churfürstl. Soldaten mit grosser höfflichkeit an der Simeonspforten empfangen, und „haben sie geführt auff den Marck vor die Haubtwacht, allwo die Franzesche Schildwacht von „den Deutschen ist abgelöst worden, und haben also die Deutsche mit dem schönsten Spielwerck, „wie auch mit allen Stattherren, die Franzosen bis an die Neuporten begleit, alwo die Fran„zosen mit grossen Complimenten die schlüsselen der Statt Trier übergeben, und seindt wieder „in Franckreich gezogen. — Man hat zum öftern hören sagen, daß bei Menschengedencken kein „sonderbarlicherer Krieg sey gewesen. Eben also ist auch das Endt desselben; dan es ist kein „Frieden zu Trier erklärt worden, und ist kein Freudenfeur gemacht worden. Doch hat das „gantze Landt Gott Danck gesagt vor die güttige erledigung des Feindes." —

Tractatus pacis definitivus inter Imperatorem Galliamque Vindobonae tandem in Novembri 1738. ad finem perducitur.

Rhenus, congelati fuerint (quod ab hominum memoria tam cito factum fuisse non scitur). Frigore depost aliquo modo cessante, subsecuta est maxima inundatio. Aquis iterum decurrentibus, secunda vice ante festum Nativitatis Domini, Mosella congelata est, tertia vice in principio Junuarii, et quarta et ultima vice circa festum S. Scholasticae, et perduravit frigus et congelatio Mosellae, Rheni aliorumque fluminum usque ad decimam quintam Martii. —

CAPUT CCCLXIX (*).

Anno 1740., consequenter ad annum praeteritum, quasi mundi globus inversus esset, continua fere per totam aestatem erat inconstantissima aura; ita ut nihil suo solito tempore tam in frugibus et vineis quam arboribus potuerit maturescere. — Inde inhibitum fuit per totam patriam, edicto Principis, coctio cerevisiae, sub poena confiscationis hordei et ollarum cerevisiariarum; simul confectio vini adusti ex frumento, sub poena 100. imperialium, et qui non possent solvere hanc poenam in aere, per notabile tempus ad arbitrium Principis deducendi et condemnandi essent ad labores in arce Ehrenbreitstein. O quam difficilis erat annus et hyems pro pauperibus!

Praeter frigus praematurum, et cum damno maximo per Octobrem et Novembrem continuatum, tanta in fine Novembris hujus anni secuta est apuarum inundatio et fluminum undequaque excursio, ut similis ab hominum memoria visa non fuerit (**). Man ſagt, daß im vorigen saeculo eine ſolche Ausgießung des Waſſers geweßen, daß die Moſell in der Statt Trier biß obent des Novitiatspforten geſtanden, alwo noch ein Creutzlein in der Mauer pro termino iſt außgehawen. Dieſes Jahr hat ſie geſtanden zehn ſchritt ungefehr geringer. Zu Coblentz hat ſie in der Statt zur Moſelpforten obert dem Wirthshauß, zum wilden man genant, geſtanden, imgleichen der Rhein ſich ſo weit ausgegoſſen, daß man geförcht, Rhein und Moſel würden in der Statt zuſammenkommen und das meiſte theil der Stadt überſchwemmen und verderben. Die gantze Castorsgaſſe ſambt der Stifts-Kirchen haben im Waſſer über 3. Wochen geſtanden, mit gröſtem ſchaden der Häuſern und Ihnwohneren. — Allhier zu Trier ware alleß erſchröcklich anzuſehen, wie eine andere Sündflut; St. Barbern,

(*) Ex eodem Msto per eundem scriptorem.

(**) Aemilianus Reichman idiomate germanico textum suum prosequitur.

St. Medart, St. Martin, St. Mergen ꝛc. ꝛc. haben im Waſſer geſtanden; die Moſell hatt ſich bis ahn den fuß vom Poltz- oder Marx-bergh, als wie ein Meer ausgegoſſen, und iſt nit ohne ſchrecken anzuſehen geweßen, mit grauſamen und ungewöhnlichen Sturmwinden. Es hatt dieſe Ueberſchwemmung biß zu End des December gedauert. Was ein ſolches bedeute, wird uns die Zeit lehren; dicitur: aquae multae, populi multi. Gott wende alles Uebel von unß ab. Amen! (*)

CAPUT CCCLXX (**).

— **Franciscus Georgius foecundissimo ad gignendos Principes satus sanguine, qui in Joanne Philippo, Lothario Francisco, Joanne Philippo Francisco Carolo et Damiano Hugone binos Electores Moguntinos, totidem Episcopos Bambergenses, tres Wirceburgenses Franconiae Duces, Wormatiensem, Spirensem et Constantiensem unum, ut et S. R. E. Cardinalem Ecclesiae et Imperio dedit; is, inquam, excelsa hac juxta ac opulentissima domo prodiens, nulla ejus ditandae cura anxius, atque a Nepotismi studio alienus, nequidquam in eam opum infert, e qua cum fratribus, patruis et propatruis amplissimas hausit, raram scilicet vim ingenii, sapientiae et consilii profunditatem, nativam Schönborniis eloquentiam, animi magnitudinem, tenerrimam in omnibus conscientiam, denique consummatam utramque regendi artem, tantasque dotes, spiritum principalem comitantes, in hanc Archidioecesin faustis avibus invexit, communem cum magno fratre suo Friderico Carolo, nuper defuncto, Catonis hujus saeculi nomen in- et extra Germaniam sortitus (***).**

(*) Hucusque Aemilianus Reichman, Prior ad S. Mathiam. Anno 1746. hic scriptor diligens diem obiit supremum.

(**) Consilium nostrum est, adferre in hoc et sequenti capite 371. typum regiminis sub Francisco Georgio, et quidem verbis clarissimi Honthemii nostri (Hist. Trev. dipl. III.) qui unus ex ejusdem Principis familiaribus erat, testis ergo coaevus et oculatus.

(***) Audiat lector et alium virum de hoc eximio Principe his verbis disserentem: „Franz „Georg war beredt, beſonnen, unterrichtet, ſtandhaft, guten Rathes voll. Er verſtand die „Kunſt, alles, was von ihm abhing, zuſammen zu halten, und (wie ein Arabiſcher Geſchicht„ſchreiber von einem tüchtigen Manne ſeiner Zeit ſich ausdrückt) über den Dingen zu ſchweben. „Viele Fürſten Europa's holten Rath bei unſerm Franz Georg; Maria Thereſia ſchätzte ihn „hoch; Friedrich II. von Preußen nannte ihn einen großen Regenten. Er hatte zwei Brüder, „die gleich ihm den Namen Schönborn verherrlichten.

„Zwei Flecken wirft man ihm vor — den ritterſchaftlichen Vergleich, und übermäßige Aufla„gen. Aber man bedenke auch ſeine Zeiten!“ — —

Religionis avitae zelum, dignam Deo majestatem in divino cultu et in exercitio pontificalium praeferens, maximam sollicitudinem in promovenda animarum cura et miram in egenos caritatem exhibet. Templis instaurandis, exornandis et ad antiquum splendorem reducendis immensos thesauros impendit, San-Pauliniano prope Trevirim praesertim (*), quod aere privato a fundamentis (**) novum extruxit tanto ornatu et magnificentia, ut parem Germania vix ostentet. Precum formulas sibi et quotidianis suis exercitiis plurimas composuit, universum autem clerum suum ordinatius orare docuit, Breviario Trevirensi nuper non tam in exteriore forma et nitore, quam interiore reformato (***). In tot tantisque calamitatibus, quae sub ejus regimine huic Archidioecesi ruinam minatae sunt, indictis communibus precibus iram Dei evidenter mitigavit, ipse exemplo et opere praeiens, magnus sacerdos. Uti ecclesiarum sibi creditarum juribus, ita populorum saluti temporariae et aeternae nunquam non intentus.

Nec minora Imperio qua Princeps et Elector praestat, tum immensa illa consiliorum, prudentiae ac singularis providentiae vi, tum testatissimo in patriam, id est Germaniam universam, amore et servandae ejus formae ac constitutionum zelo, qui suprema ei in omnibus lex est, nulla suo suorumque commodo unquam posthabita, quique pro patria sentientium animos, oculos, quin et vota in Imperii et Circulorum conventibus, quorum respective condirector et membrum est, ab ejus sententia suspensos tenet. Prodiit haec Germana Francisci Georgii fides singulariter in ambabus electionibus Imperatorum Caroli VII. et Francisci I. — Hanc quidem universim loquuntur communia et publica Imperii harumque electionum acta: quibus vero consiliis, qua prudentia, in singulis rerum momentis usus fuerit, successores in Electoratu docebit longa illa series actorum domesticorum voluminumque in singulos menses distributorum, quorum ipse tertiam saltem partem sapientissimis ad suos Legatos praeceptis, rescriptis, et datis ad eos privatis epistolis propria sua manu (†) implevit, ae-

---

(*) Vid. cap. 316. et additamenta ad calcem voluminis.
(**) Anno 1732. fundamenta jacta sunt.
(***) Conf. Prolegomena nostra (Vol. I. p. LIV.)
(†) Quarum maximum numerum possidemus.

terno posteritatis documento. Communia haec Imperii commoda cum propriorum subditorum salute, quorum alterutrum periclitari haud vane timebatur, felici nexu conjunxit, cum defuncto Carolo VI. Imp. anno 1741. Legatus Franciae Mareschallus de Belle-Isle, Electores ad mentem Regis Christianissimi inclinaturus, Trevirensem omnium primo adiit (*). Sed et hanc novit concordare cum profundo illo in summam sedem respectu, quando non multo post ejusdem S. sedis extraordinarius Nuntius Princeps ab Auria, nunc S. R. E. Cardinalis, totam Romani Pontificis confidentiam plena manu offerens, omnes quidem observantiae supremo Ecclesiae capiti debitae notas reipsa retulit, illud tamen non effecit, ut quod ad capitulationis Caesareae articulum XIV. monendum e re Germaniae Elector judicaret, monere omitteret (**). Eodem spiritu communis boni ductus, anno 1745., digno Electore commeatu coronationi Imperatoris Franscisci I. adfuit (***), tum ut in augusta hac solemnitate suo Electoris officio fungeretur, tum vero maxime ut Augustissimis, id impense desiderantibus, sua de Germaniae, imo Europae, commodis et tranquillitate consilia aperiret. Sic vota Imperii integerrima fide coaequat, et spem provinciarum, quas regit, superat, ipse sibi in his et reliquis, inter concatenatas pro religione et republica subditorumque commodis curas, primarius minister, cujus consilia optimi sequuntur, sapientissimi mirantur.

CAPUT CCCLXXI.

Ferrea vivit tempora, quae sua prudentia et vi gubernatrice aurea

---

(*) Possidet modo biblioth. Trev. Mstum (No. 1483. sig.) s. t. Besondere Correspondenz zwiſchen dem Churtrieriſchen Wahlbotſchafter von Spangenberg und J. N. v. Hontheim, anno 1741—1742. — Haec collectio memoratu dignissima continet 149. tam literas originales quam alia documenta, quae ad historiam horum annorum plurimum faciunt. In literis plura indicantur signis secretioribus, e. g. o͡ (Rex Borussiae), c͡ (Gallia), n͡ (Elector Saxoniae), α (Suecia), ⊃ (Corona Imperialis), k (Sanctio pragmatica) &c. &c. &c. — Conf. quae publicavimus s. t. Diplomatiſche Umtriebe im J. 1741. Ein Beiſpiel aus unſrer Landesgeſchichte, nach Originalquellen bearbeitet. (Treviris, 1835. No. 18. u. f.)

(**) Vid. Moſer's Teutſches Staatsrecht. Th. VIII. Kap. 159. §. 15. u. f.

(***) Solemnis ingressus Francisci Georgii Elect. Trev. in urbem Francofurtanam pro actu coronationis Francisci I. (1745. 2. Oct.) legitur in Honth. Hist. Dipl. Trev. III. p. 955. sqq.

facit, felicem se reputans, cum miserorum causam assumit. Hinc libellos supplices, a subditis cummulate oblatos, clementissime suscipit, studiosissime perlegit, et cum rerum aequitas ac conditio patitur, vel precibus paterne annuit, vel alia via et ratione supplicantes solatur.

Omnes vias sollicite praescindit, quibus pecuniae aliave munera a subdito extorqueri possint, aut etiam ab hoc sponte Magistratibus vel Ministris exhiberi velint. Justitiae autem cura inter primas est; unde et omnium superiorum dicasteriorum protocolla, hebdomadatim aut menstrue oblata studiose vel perlegit ipse, vel ex iis sibi accurate referri curat, et optimis praeceptis illustrat (*).

De incrementis scientiarum et elegantiorum artium egregie sollicitus, literatos novis Musarum insrumentis in bibliotheca publica Trevericae Academiae ad eruditionem excitat (**).

(*) Exempli causa referimus hocce loco sequentia ex literis authenticis, hucusque ineditis Franc. Georgii ad Suffraganeum Nalbach directis, haec scilicet: „Eine betrübte „Begebenheit, wie Ihnen nur zu viel bekannt seyn wird, ist bey der Universitaet zu „Trier entstanden, da sich eine sehr verdächtige Convention von etwelchen Juristen hervor„gethan, so in einem sicheren Hauß der sogenannten Ursel ein besonderes Zimmer gemiethet, „solches mit Cattons verdunkelet, hernechst auch einige ring mit denen Buchstaben C. F. S. „constantia, fides, silentium bemerken lassen, und gleicher gestalten einige Bildnisse, auf et„was Mysterioses ausdeutige, mahlen lassen — mithin die Conventicula deren frey-Maurer „anzufangen sich haben bevorstehen lassen. Zu deren Aufhebung solle von seiten der Juristen „facultaet ganz praepostere zu werck gegangen, und mit übergehung der General inquisition „der Processus ab inquisitione speciali angehoben worden seyn; der Professor Susewind „aber solle die mehreste Schuld daran tragen: inmassen Er bey denen Collegiis privatis viel „zu frühezeitig dagegen laut geschlagen, und wider die Complices allzu eyfermüthig herausge„fahren, fort eben darum mit dem alten Knodt und dem v. Halberg in weitläufigen inju„rie-Process würcklich verfallen seyn solle. Nun mag ich zwarn diese, zumahlen von Profes„soribus Juris selbsten viel zu voreilig überschnellte, und contra Jura notoria zu ihrer aige„ner Beschimpfung verkehrter angestellte untersuchung weiters nicht perstringiren, besonders, „wo die Thatt von Selbsten offenkundig ist. — Ich gebe dem Herrn Weybischoff gelasentlich „anheim, ob nicht, alß viel immer möglich, alles in der Stille unterdrücket, die „Verdächtigen vor das Consilium oder Facultaet ganz geheim gezogen, ihnen der unfug vorgehal„ten, fort sie zu Besserung, und aydlich anzugeloben, von dergleichen Societaeten gänzlich abzu„stehen, ernsthaffest gemahnet und gewarniget werden. Zu dem Ende wolle sich der Herr Wey„bischoff als Commissarius unter qualitaet eines Procancellarii sich gebrauchen lassen, immassen „ich auf dessen bewährte Geschicklichkeit vollkommen zähle, und mich gänzlicher versichert halte, „daß durch dessen vernünfftige und vorsichtige Behandlung dieses so verdrießliche, als ge„fährliche geschäft auf solchem fuß glücklich werde geendschafftet werden."

Ehrenbreitstein, den 29. Aprilis 1746.

F. G. Churfürst.

(**) Treverico studio, historico potissimum, de amplissima bibliotheca providit, in

Cum Capitulo suo Metropolitano (quod non minimum est felicitatis momentum in provinciis ecclesiasticis Germaniae) magna nunquam non vixit intelligentia.

Statibus provincialibus horumque comitiis summa sub moderato ejus imperio libertas; horum simultates, disidia et lites cum patria Nobilitate anno 1729., inter se ipsos et respectiva eorundem directoria annis 1744. 1746. et 1747. non vulgari patriae emolumento penitus composuit. Inde belli calamitatibus, quas annis 1734. et 1735. Electoratus toleravit, minuendis declinandisque oneribus a subditorum humeris intentus, integras noctes insomnes traduxit: hinc subditorum securitati invigilans, arcem Ehrenbreitsteinianam, necessario belli apparatu instructam, novis munimentis ampliavit, et ad eum perfectionis statum deduxit, ut nunc inter primarias Germaniae merito numeretur. Quae et non vulgari commodo fuere, cum nobis quidem neutralitate fruentibus, annis 1744. et 1745. utriusque belligerantis partis exercitus alternis vicibus arci proxime assiderent, et nonnulli forte oculis animisque eam occuparent. — In frequentissimis militum transitibus horum Ductores et Officiales omni officiorum et humanitatis genere demereri studet, quo subditorum fortunis parcatur.

Moenia urbis Trevirensis, quorum partem, ponti Mosellano propinquiorem, Gallus anno 1734. demolitus fuerat, partem vetustas juxta S. Simeonis portam dejecerat, atque etiam hujus Divi portam eleganti opere restituit (*). His addendae tot pontium viarumque pro commoditatibus itinerantium exstructiones et reparationes; item ampliationes ac meliorationes castrorum et Principalium domiciliorum in Cärlich, Mayen, Engers &c. &c. (**), et quae haec omnia longe superant, splendidissima illa ac sumptuosissima Curia Electoralis, Regiminis, Camerae rationariae, Judicii Revisorii et Forestarii, Parlamenti aulici alio-

---

quam, quidquid rei diplomaticae et omnium historiarum, sive generalium sive particularium, sacrarum et profanarum scriptores, rerum Germanicarum et actorum Imperii publicorum nec non miscellaneorum operum, collectores utile fecerunt, maximo sumptu (Honthemio ministram manum Principi ferente) illatum est. —

Maxima cum gratiarum actione his egregiis libris usi sumus et utimur.

(*) Anno 1746.

(**) Haec aedificiis auxit; Schönbornias vero delitias (Schönbornslust), nec non amplissimas aedes, de quibus porro sermo est, a fundamentis assurgere fecit.

rumque dicasteriorum atque tabulariorum eo pertinentium domicilium, intra ambitum aulae Ehrenbreitsteinianae (*), nec non Curia Archiepiscopalis Treverica prope Metropolitanam, privata magis Principis industria, quam publico sumptu ac onere a fundamentis exstructa. Aulae aulicorumque nitor et decus vere Electoralia sunt; hospitalitas autem, quae in eadem exercetur Regia, a peregrinis omnibus admirata.

In tantis impendiis sub Francisci Georgii regimine, et quidem propria potissimum ejus sollicitudine aucti domaniales reditus ad quinquaginta imperialium millia annua, et amplius. Servat praeterea immensam vim vinorum (**) et annonae frumentariae, certum adversus inexspectatam communem penuriam remedium. Ex hac provisae frugis copia, ingruente frumentorum gravitate, non semel subditis ea ministrari fecit, post uberiorem messem tantundem sine omni usura recepturus.

CAPUT CCCLXXII.

(***) Cum Franciscus Georgius apud S. Sedem supplex institerit, ut ob ingravescentem aetatem, aliaque gravissima momenta, opportunum perpetui Coadjutoris subsidium obtineret: Capitulum generale, die 11. Julii 1754., L. B. Joan. Philippum de Walderdorff, ecclesiae Metrop. Decanum per unanimia vota in Coadjutorem perpetuum cum spe futurae successionis elegit (†). Franciscus Georgius Archiepiscopus Suffraganeo suo Trevirensi, Joan. Nicolao ab Hontheim,

---

(*) Ibidem etiam capellam aulicam in formam ampliorem redegit, et rupi deciduae murum validumque fulcrum ad aulae tutamen objecit.

(**) Anni praecipue 1748. — In Protocollo ad S. Mathiam legimus: „Hoc anno „1748. fuit vindemia fertilissima et optima.“ — Alia documenta germanice scripta habent: „Der Frühling dieſes Jahrs war rauh — und noch im Anfang des Mai iſt der Weinſtock blind geweſen!“ — —

(***) Vid. instrumentum designationis Coadjutoris Trevirensis an. 1754. Benedicto XIV. Pontifici O. M., quod impressum legimus in Honth. Prodr. II. p. 949. sqq.

(†) Mstum nobis in manibus est, exhibens acta vidimata (duodecim) designationis Coadjutoriae Trevirensis de persona Joannis Philippi de Walderdorff factae 1754. Plurima acta (decem) continent bullas aliasque literas apostolicas (Benedicti XIV.); primo loco processus designationis Coadjutoris positus est, et diploma Caesareum (Francisci I.) super Principatu Prumiensi in fine legitur.

plenum dedit mandatum, electionis Coadjutoris, quam in personam sibi gratam expletam iri speraret, nomine suo ratihabendi, dandique licentiam ad ejus solemnem Clero et Populo faciendam publicationem.

Franciscus Georgius, tandem plenus dierum, in arce Ehrenbreitstein summo cum luctu totius patriae obiit anno 1756. 18. Januarii (*). Funus 26. Apr. anni ejusdem sub consuetis ceremoniis honorifico sepulchro illatum est in ecclesia Metropolitana Trevirensi. Stanneo sarcophago, cui includebatur, inscriptum erat:

Haec urna tegit ossa, non memoriam aeternam

Francisci Georgii

Archiep. Trev. S. R. J. per Gall. et regnum
Arelaten. Archicancellarii et Electoris,
Epis. Wormatien. Principis Praep. Elwacensis,
Administratoris Prumien. perpetui.
Ex Comitibus de Schoenborn, Bucheim, Wolffthal.
Saeculi nostri Salomonis;
Qui Sacerdotio et Imperio probatus,
Omne, conscientiam et honorem
Quod laederet, respuit;
Usque dum post infulae Treviren. an XXVI.
Wormatien. et Elwacen. XXIII.
Anno MDCCLVI. XVIII. Jan. obiit in senectute bona,
Aetatis LXXIII. VI. mens. die I.
R. I. P.

Alia, sed minus apta inscriptio legitur in altaris parte exteriore, in cujus interiore funus Principis requiescit.

(*) Quaedam hic enotamus ex Msto **Ottonis Hoch**, ex Eschweiler, Canonici Coloniensis, his temporibus aequalis. Sunt vero haec: „Zehn Täg vor dem seeligen Hintritt dieſes „großen Erzbiſchoffs hat er ein Sendſchreiben an alle Gemeinde ſeiner Unterthanen ergehen „laſſen, jene offentlich von den Cantzelen um Verzeihung zu bitten, welche er etwa ohnwiſſend „in ſeiner Regiernng ſollte beleidiget haben. Denen armen Weltgeiſtlichen zu einer beſſeren Stands-„Verpflegung vermachte er ein anſehnliches Capitale, nemblich 60,000 Dahleren, der hohen „Dom-Kirchen zu Speyer 40,000 Dhlrn.

„1756. den 1. Jan. wurde Franciscus Georgius von einem anhaltenden hitzigen zehrenden „Fieber mit einem ſtarken Erbrechen ergriffen. Die Krankheit nahme immer zu, und die Ge-„fahr zu ſterben ſahe man vor Augen; dahero ihme dieſe von ſeinem Beichts-Vatter, einem Capu-„ciner, wie er ſelbſt begehrt, angedeutet wurde, vor welche Nachricht er dem Beichts-Vatter ge-„dancket, mit dem heroiſchen Zuſatz: ich fürchte nicht zu ſterben, dahero auch bereit bin, mich „mit allen h. Sacramenten zeitlich verſehen zu laſſen, wie er dann auch den 13. Jan. durch eine „allgemeine Beicht zur Nießung der letzten Wegzehrung mit höchſter Auferbaulichkeit ſich bequemet.

„Seinem Churfolger, **Joan. Philipp ex Baronibus de Walderdorff**, übergab er ſeine

CAPUT CCCLXXIII (*).

Anheut (a) den 24. Februarii 1756., (welcher Monat ſich in den liebreichſten Monat May verändert hatte, ſo fröhlig war der Himmel, ſo günſtig die Sonne, ſo zart die Lufft) iſt Johann Philipp Morgens eilff Uhren zu Schweich an der Moſel, in Begleitung des Freyherrn von Beysel, Dhom-Stiffts Capitularn und Vicarii Generalis, ſo dan des Oberſtallmeiſters Freyh. von Boos zu Waldeck und Montfort, des Freyh. von Spangenberg Geheimden Rathten, Herrn Hoff-Cantzlern von Münch zu Bellingshausen, angelanget, woſelbſten der Fürſt in der Behauſung der Abtey St. Maximin durch den Prälaten empfangen, und mit einem prächtigen Mittagmahl regaliret wurde. Nach welchem Er über eine von den Trieriſchen Stadt-Schiffleuthen geſchlagene Schiffbrücke hinüber passiret, fort anhero die Reyß fortgeſetzt hat. Auf gedachter Schiffbrücke haben die Schiffergeſellen und Knechte ganz weiß gekleydet geſtanden, in ihren Händen blau und weiß angeſtrichene Haacken habend, mittelſt welchen ſie ein gantzes Gelenter zu beyden Seithen ausgemachet. Die Bauren aus denen dahier angrenzenden Aembtern waren den gantzen Weeg hindurch, faſt drey Stunden ausmachend, auf beyden Seithen der Landſtraßen geſtellt, ſo allerhand Spielwerke vor und bey ſich gehabt. Zu Schweich, auf der Quint einer Eiſenſchmitt, zu Ruwer und Thiesburg, zu Pfalzel und hinter der Abtey St. Maximin waren Stücke und Böllern gepflanzt, fort von ſelben beſtändig canoniret worden, wobey ſich aber hieſiges Stadtgeſchütze von den Bollwerken beſtändig hören laſſen.

Vor der Feld-Pfort (b), wo die Bauren abgelaſſen, waren die Studiosi mit ihren fliegenden Fahnen postiret; hernächſt drey hieſiger Junggeſellen Compagnien, worunter eine Grenadiers Compagnie war; demnach die hieſige Stadt-Freyſchützen Compagnie mit fliegenden Fahnen, Trommeln und Pfeiffen und Muſik. Hernacher ſtunden immediate vor der St. Simeons-Pforte die Bürgermeiſtere mit dem Stadt-Magiſtrat in Mänteln; ſofort binnen der Stadt die übrige Burgerſchafft mit ihren fliegenden Fahnen, Trommeln und Pfeifen, Compagnieenweis im Gewehr zu beyden Seithen rangiret — bis zum Pallaſt, in welchem die Churfürſtl. Leib-Garde mit Paucken und Trompeten, und die übrige Soldatesca paradirte.

„letzte Willensmeinung mit eigenen Händen, mit angeheffter Bitt, daß er ſolche in ſeinen Schutz „wolle auf- und annehmen; weiters recommandirte er ſeine getrewe Diener, und ſämmtliche „Unterthanen, worauf er ſein Haubt entblöſete und begehrte von ſeinem Churfolger mit gefalte„nen Händen den Ertzbiſchöflichen Seegen, deſſen Hände er kurz zuvor mit der Salbung des h. „Oels ſelber geheiliget hatte.“ — Conf. Sermonem funebrem, dictum Confluentiae in ma„jore basilica B. M. V. die IX. Feb. 1756. a P. Philippo Maria Bensheimensi Capu„cino, Concionatore aulico (ap. Honth. in Prodr. II. p. 953. sqq.)

(*) Quae jam exhibemus Gesta sub Joanne Philippo Archiepiscopo, collegimus ex documentis synchronis, publicis et privatis, tam manuscriptis, quam impresis rarissime obviis, quorum argumenta fideliter referimus.

(a) Stricte hic sequimur cujusdam scriptoris anonymi, sed testis oculati, narrationem, quam inscripsit: Wahre Beſchreibung deſſen, was vor- bey und nach der Anweſenheit Johann Philipps Erzbiſchoffen zu Trier ꝛc. ꝛc. ſich zugetragen hat dahier zu Trier 1756.

(b) Quae non amplius extat.

Der Wagen des Churfürſten wurde von zwey Burger-Compagnien zu Pferde (wovon eine Huſaren-Compagnie), begleitet, alle ſtattlich equipiret und uniformiret mit koſtbaren geſtickten Estandarts. Dieſer beyder Compagnien Officiers waren Severini des Raths und Wollenwebermeiſter, und zwar der blau und roth montirter Reuter; der Huſaren aber Cramer des Raths und Obermetzgermeiſter.

Die Juristen der Univerſität hatten ſich alle en Couriers gekleydet mit vor ſich blaſenden ſechs Poſtillions: dieſe ſeynd mit den beyden Reuter Compagnien Morgens mit dem hieſigen Statthalter und Ober-Chorbiſchoffen Freyh. von Quadt zu Buschfeld, als Deputirter des Dohm-Capitels, nach Schweich abgegangen.

Demnach iſt der Churfürſt in folgender Ordnung dahier gegen Abend fünf Uhren angelanget. Erſtlich kam die erſte Burger Reuter-Compagnie; dann drey Churf. Wagen mit den Cavaliers und Officianten, hernacher der Wagen, worin der Churfürſt ſaß, welchem immediate zuvor die Juristen als Couriers mit den ſechs blaſenden Poſtillons vorritten; auf beyden Seithen giengen die Schiffs-Knechte in obbeſchriebener Montour; gleich hinter dem Wagen folgte die Burger Huſaren-Compagnie.

An der St. Simeons-Pfort wurde der Churfürſt durch Stadt-Syndicum Severini, Nahmens des Stadt-Magistrats und der Burgerſchafft complimentiret, und dann die Stadt-Schlüſſelen praesentiret — und zwar auf einer großen, ſtark vergoldeten ſilbernen Schüſſel, welche die Stadt-Weinröder trugen. Der Fürſt übergab die Schlüſſelen wieder mit folgenden Worten:

„Die Uns zu jederzeit von Unſerm Stadt-Magistrat und Burgerſchafft der Stadt „Trier bezeigte beſondere Devotion und Liebe veranlaſſet Uns, Burgermeiſteren, Scheffen „und Rath die Stadt-Schlüſſelen anzuvertrauen in der gäntzlichen Zuverſicht, dieſelben „werden, gleichwie bey Unſeren Vorfahren am Erzſtifft rühmlich geſchehen, fortfahren, „ihre aufrechte Treue zu dem gemeinen Stadt-Wohlſeyn fortſetzen. Wir verſicheren, „daß Uns dieſes Wohlſeyn beſonders zu Hertzen gehe und lieb ſeye."

Worauf der Magistrat und alle anweſende Bewohner der Stadt mit heller Stimme und aus Herzensgrund ihr Vivat riefen, und damit continuirten, bis der Churfürſt im Pallaſt angekommen war, wo er vom Dhom-Capitel beneventirt wurde.

CAPUT CCCLXXIV.

Donnerſtag den 26. Februarii erſchienen im Pallaſt der Dhom-Dechant von Boos, und der Ober-Chorbiſchoff von Quadt, als des Dhom-Capitels Deputirte in habitu clericali. Auch erſchienen der Dhom-Syndicus Counet, und der Secretarius Staadt, und im verſchloſſenen Audienz-Zimmer wurde die Capitulation verleſen, vom Churfürſten unterzeichnet, auch vor Crucifix und Lichteren beſchworen (*).

(*) Capitulationes saeculo jam decimo quinto neoelectis a Capitulo ad jurandum propositas esse, notavimus Vol. II. pag. 338. — Argumenta praecipua in pactis juratis leguntur ap. Honth. (Hist. Tr. dipl III. p. 288. sq.)

Hierauf verſammelte ſich der Stadt-Magiſtrat in der Dhom-Kirche, ſo wie alle hieſige Abteyen, Stiffter und Clöſter Ordinum Mendicantium. Nach dem feyerlichen Ambt der heiligen Meß, erſchienen die genannten Deputirte des Dhom-Capitels im Pallaſt, um den Fürſten ad actum inthronisationis einzuladen.

Bey dieſem feyerlichen Zug in ſeinem Staatswagen zur Dhom-Kirche war der Erzbiſchof mit einem ſchwarzen Talar und Chor-Rock von Spitzen bekleidet, ein ſchwarz ſammet Biret in der Hand haltend.

Als man an den Dhom gekommen war, warteten daſelbſt vor der Kirchen-Thür der Suffraganeus ab Hontheim in Pontificalibus, mit geſambtem Dhom-Capitel in habitu chorali, den Aebten von S. Maximin, Epternach, S. Mathias, S. Martin, Mettlach, Tholey und Himmerod in habitu ordinario, ſambt dem gantzen Stadt-Trieriſchen Clero saeculari et regulari.

Der Weihbiſchoff hielt hier eine ſeiner würdige lateiniſche Rede, folgenden Inhalts (*):

Exspectat sancta Trevirensis Ecclesia, Virgo illa sine ruga et macula, speciosa suum Joannem Philippum, exspectat sponsa sponsum suum. Agnoscit illa in Te Emme Princeps, haeredem et successorem tot sanctorum et magnorum Praesulum, qui Ecclesiam Dei verbo, scriptis, exemplo aedificarunt, Romanum Imperium fide, consilio et armis munierunt, vastissimam hanc Archi-Dioecesin juste et provide rexerunt.

Habuit illa strenuos orthodoxae fidei defensores, Maximinos, Nicetios, et ut multos praeteream, Joannem a Petra. Habuit jurium Imperii et Germaniae nostrae magnos assertores in Brunone, Cunone a Falckenstein, et prae omnibus in eo, qui vix oculis, necdum animis nostris ereptus est, Francisco Georgio. Habuit temporalium Treverici Electoratus egregios vindices et promotores in Baldewino Luxemburgico, Jacobo ab Eltz, aliisque. Sed quod his amplius est, et terrenos Principes Deo proximos reddit, habuit Patres Patriae, et populorum suorum delitias, Carolum Casparum a Petra et Joannem Hugonem ab Orsbeck, quorum laudatissima facta dum parentes nostri nobis narrarent, saepe amoris lacrymas, et pios singultus verbis miscebant.

Idem ille sanguis, qui binos hos optimos Principes animavit, fluit in venis tuis, Emme Praesul, nobisque certus sponsor est, futurum, ut horum exemplo populum tuum regas amore et beneficentia. Ingredere itaque in haereditatem Patrum Tuorum, ingredere in haereditatem illam sanctam: sit ingressus tuus jucundus, gloriosus, pacificus. Benedicat eum Dominus, faciatque Te sacra hac haereditate in pace et jucunditate quam diutissime gaudere. Nulla hanc possessionem turbet adversitas, nulla infestet tribulatio. Unum solum oriatur dubium, una perduret contentio: Num Populus magis salvum velit Principem, an Princeps Populum?

Hoc dicto, trat der Erzbiſchoff in den Dhom. Binnen der Kirche an der Thür reichete der Decanus das Aspergillum, und der Archidiaconus Major incensirte hierauf. Dann wurde Eminentissimo per Thesaurarium L. B. Breidbach de Bürresheim, Welter Praebendato et Subcustode ministrante, angelegt mit einem Vesper-Mantel oder Pluvial von Goldſtück. Der Decanus reichete eine brennende weiße Wachs-Kertze. Nun wurde der Ertzbiſchoff

(*) In manibus habemus authenticum hujus allocutionis.

unter einem Baldachin, welches die vier älteſte Rathsſcheffen Coels, von Bodden, Hartman und Helling in rothen Mäntelen trugen, geführet durch die Kirche zum hohen Chor, und bis zum hohen Altar.

Ohnmittelbar voran giengen drey Domicellaren in habitu chorali neben einander, als nemblich Freyh. von Kesselstatt das Ertzbiſchöfliche Creutz, Graf von Bassenheim die Mitre, Freyh. von Warsberg das Pedum tragend, vor dieſen aber gieng Freyh. von Wiltperg, Hoff-Marſchall, mit dem Schwerd in der Scheide.

Nach einigen Ceremonien intonirte der Suffraganeus ab Hontheim den Ambrosianischen Lobgeſang. Te Deum finito gieng der ganze Zug zu Fuß — der Erzbiſchoff unter dem Baldachin mit der Kerze in der Hand — zum Pallaſt zurück.

Der Churfürſt hatte den 27. Februarii beſtimmt als Huldigungs-Tag.

Die Steipe, ein ſo genanntes Stadt-Hauß auf dem Marck gelegen, war vom Piedestal bis oben mit einer Architectur-mäſſiger Mahlerey und ſonſtigen ſchönen und koſtbaren Ornaten verſehen, worvor eine Bühne aufgerichtet war mit einer breit Oval-runden Stiegen in der Mitten, und mit zweyen an denen Seithen. Die Bühne und Stiegen waren mit rothem Tuch belegt, ſofort mit koſtbaren Tapeten gezieret, und beſetzet mit einem Baldachin zwey Stappel hoch, unter welchem ein koſtbarer Lehn-Seſſel pro Eminentissimo.

Die Burgermeiſtere, Scheffen und Rath hatten ſich postiret vor der mittel Stiegen, hinter ihnen und umher die Burgerſchafft Zuntfweiß mit ihren Stangen und Schilder. Die Freyſchützen Compagnie paradirte hinter dem Marck-Brunnen.

Alles war ſtill und in ſeiner Ordnung. Dann fieng der Cantzler, nach empfangenem Winck des Fürſten, zu reden an, und zwar in beſter Redens-Arth, etwa wie folgt:

„Es iſt eine Reichs- und Landeskundige Sache, wie nach dem Hintritt Weyland „des Kurfürſten Frantz Georgen, weſſen Gedächtnus im immerwehrendem Seegen, der „Hochwürdigſte in Gott Fürſt und Herr Johann Philipp aus dem uralten Reichs-Geſchlecht von Walderdorff die Regierung dieſes Ertzſtiffts und Churfürſtenthumbs, im „Nahmen des Allerhöchſten, würcklich angetretten.

„Höchſt Ihro lieget nichts näher am Landes-Vätterlichen Hertzen, als die wahre „Glückſeeligkeit, wie geſambter Chur-Landen, als beſonders auch dieſer Haupt- und „Reſidenz-Stadt Trier, in ſo viel es an Ihnen hafftet, auf das liebreichſte zu beförderen: erwarten aber auch, es werden Burgermeiſtere, Scheffen nnd Rath hinwieder„umb durch das geheiligte Band des Lands-Hultigungs-Aydts gantz bereitwillig ſich „verbinden wollen. Es bedarff die Redlichkeit eines Trieriſchen Gemüths und Geblüts „hierzu keiner Spohren; dann ſonſten wären Burgermeiſtere, Scheffen und Rath, fort „geſambte Burgerſchafft mit einer ſolchen Munterkeit allhier nicht erſchienen. Eure „wohlhergebrachten Rechte, Gerechtigkeiten, Polizey-Ordnungen und Freyheiten werden „allerdings gehandhabet, ja ſogar nach Befinden verbeſſert und vermehret werden.“ —

Der Aydt wurde verleſen und in die Hände des Fürſten geleiſtet, und zwar zuerſt von den Burgermeiſteren und dem Rathe, worauf die Zünfte, die Bruderſchafften, und zuletzt die Olivianer, heiligen Creuz und Löwenbrücker Heimburgere.

Der Churfürſt ließ der Burgerſchafft ein Geſchenk von drey Fuder Wein und fünfzig Rthlr. reichen (*).

Hierauf fuhr Johann Philipp zum Pallaſt zurück. Der Stadt-Magiſtrat folgte in corpore dem Wagen, und an dem Schlage rechter Hand gieng der ältere Burgermeiſter Hermes, und der Consul Helling linker Hand, fort ihre Hände an gedachte Schläge haltend.

Und dieſes geſchahe unter beſtändigem Paucken- und Trompetenſchall, Canoniren und Vivatrufen von jung und alt.

Des Abends war Illumination. Um dieſe zu ſehen, begab ſich der Churfürſt zur Steipen, und nahm das daſelbſt vom Stadt-Magiſtrat angeſtellte Soupé an. Auch ließ der Magiſtrat unter dem Volck ein Fuder weißen und ein Fuder rothen Weins lauffen, wodurch die Burgerſchafft gantz Freudenvoll wurde.

Die Einſchriften, welche zu ſehen waren, ſind beſonders folgende:

Vor der Steipen oben in der Höhe:

VIVat Io. VIVat
Ioannes PhILIppVs e BaronIbVs De WaLDerDorff
PatrIae TreVIrensIs PrInCeps.

Anzuführen ſind noch, auſſer vielen anderen kleineren, folgende nach Römiſcher Art zwiſchen Säulen:

Aeternae Gloriae
Domus Molsbergicae.
E. qua. post. Heroas. tot. alios
Toga. sago. sacerdotiis. claros.
Divis. faventibus. in. lucem. prodiit.
Patre. Carol. Lothar. Chiliarcha. Caesareo.
Matre. Anna. Cathar. Elisab. de Kesselstatt.
Natus. VII. Kal. Jun. M. D. C. C. I.
Magnorum. Patrui. Philipp. Wilderici.
Episcopi. Vienn. S. R. J. Princ. et. Pro Cancell.
Avunculi. Joann. Hugonis. Archiep. Trevir.
S. R. J. Elect. et. Episcopi Spirens. Magnus Nepos.

Honori atque amori
Capituli Metrop. Trevir.
A. quo suffragiis. communibus. M. D. C. C. L. IV.
V. Id. Jul. electus. est. Coadjutor. coelo. auspice.
Perillustri. Familia. Urbe. Patria. plaudentibus.
Domicellaribus. adscriptus anno. XVIII.
Capitular. XXXVI. Vicar. in Spirit. triennio.

(*) Der Magiſtrat beſchloß ſpäter: „Obgleich es ein alter Gebrauch ſey, dem neuen Kurfürſten bei ſeiner Ankunft „in Trier, zwei Fuder Wein zu verehren; da der Churfürſtl. Keller aber dermalen mit Wein wohl verſehen ſey, „ſo wolle er ſtatt des Ehrenweins dem Churfürſten hundert Dukaten in Gold verehren. Sic alia documenta urbis.

Decanus. per. an. XIII. et totid. Trevir. Pro-Priae.
Franc. Georg. g. m. XV. Kal. Feb. vita. functo.
In. Archi-Episcop. Electoratu. an. LVI. v. Kal. Mart.
Ritu. Majorum. inauguratus. Successor.

Perenni memor
Benedicti XIV. P. M.
Quod. electione. M. D. C. C. L. IV. ratihabita.
Mox Patracensis Eecles. Antistitem. cum. elogio.
Coram. Patrib. Purp. declaravit. an. L. IV.
Divinis. Electi. virtutibus. Domus. Molsbergicae.
In S. Sedem. meritis. et. zelo. pro. conservatione.
Religionis. Cathol. inter. Nassovios. Cattosque.
Exercito. permotus. atque. nunc. Trevir. Ecclesiae.
Pallio. Archi-Episc. ornatum. an. LVI.
Consuetis. solenniis. vestiri.
Et. in. possessionem. mitti. fecit. an. L. VI. V. Kal. Mart.

Francisci I. Rom. Imp. S. A.
Quod. electioni. per. legatum. suum.
Clementissime. favit. et. familiam. Walderdorffianam.
De. Imperio. Domo. Austriaca. bene. meritam.
Amplius. privilegiis. instar. Comitum. et S. R. J. Principum.
A. Leopoldo I. M. D. C. L. X. IIX. Id. Jul. donatam.
Novis. favoribus. prosequi. dignatus.
Electum. creavit. M. D. C. C. L. IV. prid. Id. Aug.
S. R. J. Principem. hodie. Electorali.
Pileo. ac. paludamento. condecoratum.
Imperio. Urbe. Patria. congratulantibus.

Bis zum 29. Monats Martii verweilte Johann Philipp noch in der Stadt Trier, und fuhr sofort nach Coblenz die Mosel herab

CAPUT CCCLXXV (*).

In den Jahren 1755. und 1756. erlebte man zu Trier und im ganzen Rheinlande gewaltige Erdbeben.

Tum (1755. 1mo Novemb. festo O. S.) insolito terrae motu aliquoties iterato ruit Lisabona urbs Portugaliae, et circa 30,000 homines

---

(*) Continuamus textum ex diversis aliis domesticis documentis coaevis, partim sermone latino, partim lingua vernacula, alternatim scriptis. Haec cuncta nos eodem modo in his fastis Treviricis fideliter exhibemus.

in hac calamitate perierunt. Die 27mo Decembris ejusdem anni tres terrae concussiones sat sensibiles contingebant in nostra provincia. Eo ex tempore tanta timoris angustia urbium incolas, potissimum inferioris Rheni invasit, ut credidisses, extremum iis imminere judicium. Sic in civitate Coloniensi aedes passim derelinquebantur, omnes ad templa, velut tutissimum asylum in communi malo, confluebant, confitentes, orantes, cantantes, et die non sufficiente noctes in precibus adjuvabant. — Tum profecto sancta Colonia dici poterat.

Quo pavore nonnihil mitigato, alius et quidem par timor nostrae provinciae incolas invasit, cum anno 1756. plures sentiebamus terrae motus.

„Er schrieb nun, zum Beweise der Reichsunmittelbarkeit der Stadt, gegen den Erzbischof, seine Annales Trevirenses, welche er, noch als Handschrift, dem Kaiser Maximilian II. auf dem Reichstage zu Regensburg, im J. 1576., nebst anderen dahin einschlägigen Dokumenten überreichte. Eines dieser Dokumente war die noch in der Handschrift vorhandene „Conclusions-Schrift der Stadt Trier gegen Jacoben Ertzbischoffen ꝛc. ꝛc." Der Verfasser dieser Schrift war der Strasburgische Jurist Ludwig von Frudenstein, der sich für diese Arbeit von der Stadt vierhundert Thaler zahlen ließ!! — Die gedruckten Annalen wurden dem Kaiser Rudolph II. dedicirt.

Von diesen gedruckten Annalen sind fünf Auflagen erschienen, welche ich alle zugleich vor Augen hatte. Die Originalausgabe hat folgenden Titel: Commentarium de origine et statu antiquissimae civitatis Augustae Trevirorum. Diese erste und durchaus anonyme Ausgabe wurde, allem Vermuthen nach, zu Cöln, zwischen 1576. und 1580. gedruckt. Der Erzbischof Jacob ließ diese Originalauflage, so viel als möglich, aufkaufen und die Exemplare zerstören.

„Im ersten Viertel des siebenzehnten Jahrhunderts folgten erst die anderen Ausgaben. Im Texte der Gesta hat Linden uns hierüber Aufschluß gegeben. Er entdeckt uns die politische Ursache dieser späteren Auflagen. (Vid. cap. 302.)

„Im Jahr 1603. erschien zu Zweibrücken die erste neue Auflage u. d. T.: Annales sive commentarii de origine et statu antiquis. civ. Aug. Trev. Authore Wilh. Kyriandro J. V. D. et Syndico Trev., ex ipsis Archivis fideliter conscripti &c. &c. &c. Biponti &c.

„Dieser Auflage folgten daselbst noch drei; die von 1604., 1619., und 1625. — Selbst alle diese Zweibrücker Editionen sind selten geworden.

„Bey allen Litteratoren, die von Kyriander sprechen, kommen, mehr oder weniger, Unrichtigkeiten vor. Hertzius (Biblioth. germ. s. notitia script. rer. Germ. num. 464), Bayle (Dict. hist.), Moreri (Dict. hist.), Le Long (Bibl. hist. de la France. Paris, 1719. p. 804.), Vogt (Catal. hist. crit. libr. rarior. Editio an. 1793. p. 490.), Lipenius (Bibl. real. jurid. Lips. 1757.), Hummel (Neue Bibliothek der deutschen Alterthümer. Bd. 3. S. 272.), König (Biblioth. vetus et nova. p. 450.), Georgi (Allg. Europ. Bücher-Lexicon Th. 2. S. 371.), Joh. Jac. Moser (Staatsrecht des Churf. Erzst. Trier. S. 283.), Baring (Clav. dipl. p. 72.), Ludewig (Praef. ad T. I. Reliqq. Mss. §. 18.), Zapf (Litteratur der alten und neuen Gesch. S. 432.), Gatterer (Pract. Diplomatik. Gött. 1799. S. 201.), Peignot (Dict. critique, litér. et bibliogr. des principaux livres condamnés au feu, supprimés ou censurés. I. p. 207. Paris 1806.), und

einige Andere, haben keine genauen Kenntniſſe von dieſer Sache gehabt; da ſie nicht die günſtige Gelegenheit hatten, die fünf Auflagen in Augenſchein nehmen und vergleichen zu können.

— Lata sententia die 18. Martii &c. &c.

In memoriam hujus sententiae monumentum posuit Jacobus his verbis:

Jacobus Dei Gratia Archiepiscopus
Trevirensis Princeps Elector Sententia
Per Imperatorem Rudolphum II. Lata
Ad Perpetuam Memoriam Posuit
An. Incar. Domini MDLXXX.

Mechtel in suo Chron. Limb. refert sequentia: „Es waren auch durch beyde Jar her 1580. „et 1581 die vier trophaea uber den vier principal Stadtpforten stehent, ausgefertiget durch „den kunstreichen Meister Ruprechten Bildhauern zu Trier.“

Conf. Browerum (l. c. II. p. 415.) —

Porta nova, pontis et S. Simeonis, tempore subsequente renovationem passae sunt, et trophaea illis superposita tum sunt translata; remanente unico supra portam, quam dixere albam, quod vidimus adhuc circa finem anni 1794. Hujus trophaei iconismum ad perpetuam rei memoriam asservamus.

AD CAPUT CCXCIX.

— Formam, modum et ordinem gerendi Senatum praescripsit &c.

Reformatio Senatus et ordinatio civitatis Trevirensis (de qua hoc caput loquitur) in vim sententiae Imperialis, dicta vulgo Eltziana, legitur ap. Honth. (Hist. Trev. dipl. III. p. 136 sqq.) Alia sensim sunt subsecuta statuta, urbis administrationem concernentia, quorum plura vidimus exempla mssta, a Magistratu redacta, ab Electore confirmata, s. t. Statutenbuch der Stadt Trier im 16. Jahrhundert, quae statuta imprimi fecimus in foliis periodicis, quae inscribuntur: Treviris, 1836.

De judiciis civilibus, quibus Joannes a Metzenhausen anno 1533., et Jacobus ab Eltz an. 1574. s. t. gemeiner Ambts-Ordnung, leges dederunt, et de parlamento aulico (Hofgericht), quod an. 1569 laudatus Jacobus reformavit, Honthemius in Dissertatione ad saeculum XVI. disputat (Op. cit. II.)

Hocce loco adferre liceat, ex authentico et hucusque inedito, Reformationem judiciorum Joannis de Schonenburg Archiep., Jacobi successoris, (de an. 1587). En hujus decreti argumentum:

„Nachdem ſich in Administration der Justitien ein zeitthero allerhandt mängel befunden, dardurch die partheien zu ſchleuniger Expedition Jres rechtens ſchwerlich kommen können, auch ſonſten vnderſchiedliche beſchwerunghen geklagt werden, haben Wir auß Vätterlicher Trewerhertziger Zuneygungh zu dem Weltlichen Gericht in der Statt Trier, vnd damit die Justitia, welche das höchſte Kleinodt iſt, deſto beſſer befordert werde, vor eine hohe nottursft eracht, obgemelter beſchwernuſſen vnd mängell halber geburliche Inquiſition zu thun, zugleich eine Reformation anzuſtellen. — —

Vor das erſt. Vnder anderm iſt nicht ein geringer mangell, daß zur Zeitt wann das Gericht pflegt gehalten zu werden, vom Schultheiſſen, vnd Scheffen vnd anderen Gerichts Perſonen, die rechte Stundt

der Zuſammenkunfft bis anhero vbel obſervirt, daß man bißweillen umb zehen, ja beynahe zu eilff Vhren zuſammen komen, vnd jetzt vff Einen, dann uff ein Andern gewartet worden — zum ſchaden der Parteien, vnd zu nit geringer Verachtungh des Gerichts. Wir ordnen dahero, daß zweymall in der Wochen, vermöge voriger Ordnungh, nemblich Mittwochs vnd Sambſtags Gericht gehalten, vnd man im ſchlagh der acht Vhren Vormittagh zuſammen kommen ſoll. Daß vff den Fall der mangels an dem Schultheißen were, derſelb vier Batzen, were es aber ein Scheffen oder Gerichtsſchreyber, zwey Batzen erlegen ſoll. Vnd ſoll zu ſolchen Seumnuß geldt ein ſonderliche beſchloſſene Buchß verordnet werden. —

Da auch zum andern vnderſchiedliche Clagen furkommen, daß die Executiones ſo woll vff ergangene Vrtheill am Weltlichen Gericht, als ſonſten in andern fellen — faſt langſamb erfolgen, verordnen wir, daß der Schultheiß, ſobald er von den Parteien angeſucht oder requirirt wurdet, vermögh vnſers Erzſtiffts general Vntergerichtsordnungh hinfuro die Execution ins Werk richten, vnd dem obſigenden Theill zu ſeinen rechten ſchleunigh verhelffen ſoll. —

Wir wollen hirmitt Schultheiß vnd Scheffen im allen gnaden ermahnen, daß ſie die Hochheilige Justitiam fur augen haben, vnd ſich durch geſchenk oder in andern wegh, welche des Richters gemuth bißweylen einnehmen, vnd zur Partialitet Vrſach geben könnte, nicht davon abwegigh machen laßen; — auch mit ſonderlichem Ernſt nachzuſehen, wann die Procuratores vnd andere dem Gericht verwandte Perſonen an irem Beruff ſeumigh, dieſelbige mitt geburender Straff anſehen, vnd in allem dahin trachten, damit die Justitia gehandthabdt, den Parteien ohne Parteilichkeit recht wiederfaren möge — —

Zu Vrkundt haben wir mit eignen handen vnderſchrieben, vnd vnßer Cantzley Siegel hierunder uffdrucken laſſen. Geben zu Trier, den dritten Monatstagh Octobris An. &c. Achtzigh vnd ſieben." —

Johan.

— Illustratur praecipue historia diplomatica judicii nostri, quod dicitur Scheffengericht, ex codice Msto Trev., No. LVI. sig., qui variorum Principum ordinationes hac de re continet, promulgatas inde a Wernero Archiep. de an. 1400, usque ad Clementem Wenceslaum de an. 1779. Plurima diplomata hic perscripta desiderantur in Honthemii Hist. Trev. dipl. —

AD CAPUT CCC.

— Commissarius Caesaris &c. &c.

Nomen hujus Commissarii est Germanus Erndlin, J. U. D. et Camerae Imperialis Advocatus. Sessiones suas habuit in monasterio Carmelitarum, ubi ab illo auditi sunt testes in hac memorabili causa ab utraque parte producti, quorum depositiones, in immensa illa Actorum mole (115 voluminum in folio) 31 volumina complent. —

Vid. Prolegomena editionis nostrae (Vol. I. No. XXXV. p. XLVII. sq.) —

— Additamenta quaedam alia ad Jacobi Archiep. Gesta.

Quae hic adscribimus notatu digna, literis mandavit Julius Cordara S. J. in libro cui titulus: Collegii Germanici et Hungarici Historia libris IV. comprehensa. Romae MDCCLXX. Typis Joan. Generosi Salomoni, in 4° maj. — (*)

(*) Ex bulla Gregorii PP. XIII. (1573.), de institutione Collegii Germanici in Urbe discimus, Julium Papam III., Gregorii praedecessorem, optimo quidem consilio hoc Collegium alendorum, et latinis, grae-

Sunt autem haec, quae ex hoc libro rarius obvio, referre, non inconsultum duximus. Gestorum scriptor praetermisit has res.

„Interim (scribit Cordara p. 113. sqq.) strenue viriliterque res agebatur in dioecesi Trevi„rensi sub Archiepiscopo Electore Jacobo ab Eltzio, qui itidem se eximium Collegii Ger„manici aestimatorem ac fautorem ferebat, Venerant ab initio invitatu ejus Treviros ab Urbe „(Roma) accersiti juvenes ornatissimi tres, Petrus Binsfeldius, Felix Hortulanus et „Jacobus Tectonius. Sed eae irrepserant in amplam dioecesim ex conterminis haereticor„um provinciis malorum labes, ut his convellendis multo majori operariorum numero esset opus. „Itaque nova auxilia petivit. Et petenti dati sunt haud absimili ingenio virtuteque juvenes, „Nicolaus Eringius, Guillelmus Lindener, Joannes Saliceus, aliique suis infra „locis nominandi. His autem succinctus hominibus pius Praesul, ad sananda suae dioeceseos „vulnera se convertit, atque ab insigni monasterio Prumiensi sumendum duxit initium. Prumia „oppidum est ad amnem cognominem, a Treviris iter bidui, Abbati monasterii, quod ibi est „Ordinis Benedictini, obnoxium. Vetustissimum id monasterium est. — — Abbatis tantae erant „opes, ut vix ulli e potentioribus Dynastis de potentia concederet. At monachi, antea discip„linae tenaces et sanctimoniae laude florentissimi, turbulentis illis Germaniae temporibus, ut „sunt res humanae, sensim ad remissionem licentiamque vitae defluxerant. Oppidani vero, pa„rum aut male exculti, tantum non aperte fidem Catholicae pietatis mutaverant. Ad mali cu„mulum, extincto nuper legitimo Abbate, in ejus locum vi se intruserat Comes a Mander„scheido Vernemburgus, secta Lutheranus, atque omnia monasterii bona occupaverat. Verum „Eltzius Septemvir, Caesareo ac Pontificio decreto suffultus, Abbatem novum creaverat, et „possessore injusto armis exacto, loci dominationem et subjuncta praedia in potestatem rece„perat. In hoc statu cum essent res, restitui in oppido cultum Catholicum, in coenobio priscam „sanctitatem atque ordinem revocari Septemvir cupiens, id negotii Petro quem supra nominavi „Binsfeldio dedit, juveni docto ac prudenti, e Collegio Germanico recens educto (*). Arduum „plane negotium, praesertim juveni, cujus inter grandes natu viros, et professione monachos, „haud magna esse posset auctoritas, nisi pietate eximia, nec vulgari doctrina sustentaretur. „Binsfeldius tamen suavitate et patientia opus injunctum egregie praestitit. Profectus Prumiam, „illiberaliter primum a monachis est exceptus. quippe hominem censorium refugientibus. Ille, „ne esset justo molestior, bis tantum intra hebdomadam ad eos verba facere instituit; nunc „Regulam S. Benedicti opportunis explanans enarrationibus, nunc de Theologicis rebus erudite „disserens, atque his aliqua, quae excitandis ad pietatis cultum animis aptiora viderentur, in„terserens. Nihil admodum succedebat initio, perinde monachis atque oppidanis in deteriorem „partem quaecunque afferret accipientibus. Qua de re scribens ad Lauretanum (**): Omnia,

---

cis, hebraeicisque literis, Logica, Physica aliisque liberalibus disciplinis, et sacra demum Theogia, ac piis et christiano homine dignis moribus instituendorum Germanicae nationis puerorum causa, Romae erexisse. Tamen id ejus coeptum atque conatum, tum propter obitum ipsius, tum ob varias temporum et rerum difficultates, parum processisse, quin potius quasi destitutum ac praetermissum esse. Discimus porro, Gregorium Papam XIII. ad opus hoc promovendum redditus annuos decem millium Aureorum Collegio Germanico ex Camerae apostolicae pecuniis quotannis attribuisse.

(*) Joannes a Bridel, Abbas in Himmenrode, primus Binsfeldii patronus, juvenem in vicino pago humili loco natum, a domesticis servitiis ad Musarum castra traduxit. (Rob. Bootz Series Abbat. in Himmenrode &c. Ms)

(**) Michael Lauretanus Collegii Germanici primus Rector erat. — Historiae hujus scriptori facta est domestici tabularii, in Collegio asservati, scrutandi potestas.

„inquit, quae fiunt, in malam monachi partem interpretantur; unde me non li-
„benter, maxime Seniores, vident, qui eorum vitam noto, mihique causam
„instituendae reformationis tribuunt. Multa video quae dissimulare cogor,
„et interim in animo crucior. Mihi credat Reverentia Vestra, in nulla adhuc
„schola discipulus tantam exercere patientiam coactus sum, quantam doctor
„disco. Sed omnia libenter perferrem, si viderem eos pro sua utilitate labo-
„rare, quorum causa ego laboro. — Haec de monachis. Tum ad oppidanos deducto
„sermone, eos ait Catholicos videri dicique velle, sed hujus professionis non nisi inanem no-
„menclaturam ferre, mille erroribus depravatos, et ipsa re Lutheranos. Nuper, addit, cum
„de Missa dicere coepissem, plurimi ex Templo fugerunt nunquam reversuri.
„Jactant a suis Pastoribus talia non doceri. Sacerdotes ignorantissimi sunt,
„nihil omnino de divinis sciunt aut docent. — His tamen difficultatibus animum non
„despondebat, maturam laboris frugem a die magis atque ope divina, quam ab industria cona-
„tuque suo exspectans. Atque interim Romam ad veteres Collegii sodales scribens, magnopere
„eos hortabatur, ut virtutis copiam, dum liceret, sibi comparare studerent, usui futuram suo
„tempore, nec alibi melius quam in Collegio comparandam (*). Juvat ipsa ejus verba referre,
„minus illa quidem compta, sed pium ardorem spirantia, et animi ejus sensa, quo simplici-
„us, eo verius apertiusque prodentia. Multa igitur de Germaniae necessitatibus, de Sacerdotum
„inscitia, de bonorum Parochorum paucitate prolocutus, ita subjungit: Vos fratres caris-
„simi laborate jam pro hieme, quae veniet. Veniet, veniet tempus, quando
„memores eritis Collegii Germanici. Quid sit Collegium Germanicum, in Col-
„legio Germanico non cognoscitur. Qui nihil aliud nisi lucem inhabitat, de
„tenebris judicare nescit, nec lucis praestantia dignoscitur, nisi quando te-
„nebris comparatur. — —

„Binos ipsos annos Prumiae Binsfeldius posuit, lente, ut videbatur, negotium agens, at
„sensim in animos monachorum insinuans, et quotidie aliquid ab iis exsculpens, donec facilitate,
„lenitate, patientia, in primisque vitae integerrimae exemplo captos et conciliatos, ad omnia
„dociles et dicto audientes habuit, nemine jam renuente veteris disciplinae jugum accipere, et
„ad normam legum vitam instituere. Nec minus prospere gesta res apud oppidanos, ea facta
„morum atque opinionum commutatione, ut jam, non tantum nomine, sed re Catholicos diceres.

„Hos rerum successus ut accepit Septemvir, hominem tam expertae virtutis, et cuivis, ut
„apparebat, negotio ab insigni prudentia parem, habere apud se honore censuque auctum sta-
„tuit. Et siquidem debilitari sibi vires in dies aetate gravescente sentiebat, et Episcopalia mu-
„nia per se, uti solebat, obire aegre jam poterat, Binsfeldium nec opinantem evocavit Treviros,
„sacravitque Episcopum titulo Azotensem, vicario in eum officio ac potestate translata. Addidit opi-
„mam Praeposituram S. Simeonis, quo sustinere dignitatem commodius posset. Nihil in nova luce
„et ampliore theatro, de usitato vitae instituto Binsfeldius mutavit. Par modestia, par pietas,
„eadem in cultu corporis abstinentia. Laborum moles fortasse gravior, cum et dioecesim am-
„plissimam lustrare, et negotia expedire, et quae propria sunt Episcoporum sacra ministrare,
„ad haec adesse Principi in consiliis, et sententiam dicere cogeretur. Quae ille omnia summa
„semper fide ac sedulitate praestitit. Caeteras ejus dotes eximia quaedam benignitas ac libera-
„litas commendabat. Opum contemptor splendidus, e locuplete censu nihil seponebat sibi prae-

---

(*) Hoc Collegium, a Pontifice Julio III. per Bullam prid Kal. Sept. anno 1552. institutum, floret adhuc.

„ter egestatis depellendae praesidia. Quod erat reliquum, in pauperes erogabat. Egentiores, „ne a potentioribus, ut saepe fit, in judiciis opprimerentur, pecunia ac patrocinio adjuvabat. „quaedam etiam scripsit vulgavitque admodum utilia, e qnibus quod est De receptis in The„ologia sententiis, spissum atque eruditum opus, magna doctorum approbatione fuit ex„ceptum (*).

„Sed ne in uno haerere caeterorum obliti videamur, Binsfeldii virtutem alii per Trevirensem „dioecesim alumni aemulabantur. Jacobus Tectonius, quo primum anno redux e Collegio „fuit, canonicatu S. Florini donatus Confluentibus, sacras ad populum Confluentinum conciones „per Quadragesimam jejuniorum habuit, tanta eloquentiae laude, ut parem in dicendo neminem „sibi auditum praedicarent homines exactae aetatis.

„Felix Hortulanus paroeciam S. Laurentii administrabat Treviris, Joannes Saliceus „Polchemensem, Guillelmus Lindener Vilmarinam, Nicolaus Eringius Limponsen„sem. Omnes in officium intenti, Pastorum diligentium laudem non vulgarem ferebant. „Eringii tamen praecipue eluxit ingenium ac diligentia in opere, quod subjicio. Hunc Sep„temvir ornatissimum juvenem detinuerat initio apud se velut unum ex familiaribus cum eoque „transigere plures quotidie horas a publicis negotiis vacuas solebat. Venit forte in sermonem „de reformando quotidianae psalmodiae codice sacerdotali (Breviarium appellant), qui codex „ad eam diem incerta lege atque ordine apud Trevirenses fuerat (**). Eringius id ita confieri „censuit oportere, ut ab Romana Pii V. forma quam minime abesset. Et accepto rei conficien„dae mandato, jam supplens quod deerat, jam quod redundabat resecans, ordine quaeque suo „disponens, Breviarium Trevirensi ecclesiae dedit, optime ordinatum, atque ab omni parte „perfectum.

„Per haec alii ex aliis subinde adventabant ex Urbe (†) alumni, quo ex numero Jacobus „Duirrus, Guillelmus Tilius, et Maternus Guillenfeltus fuere. Septemvir (††), om„nes ex Romana schola venientes benigne complecti solitus, Duirrum paroeciae Polchensi im„posuit. Frequens ea erat incolis, et fidei tenax, at propter haereticorum vicinitatem periculo „obnoxia. Namque accolae Lutherani, contracta cum Polchensibus ex frequenti commercio fa„miliaritate, eos ad defectionem blandis saepe sermunculis sollicitabant. Haec autem ferme in„gerebant. Fatuos enim vero Papistas esse, qui a suis parochis eo usque dementari se sinerent, „ut praeter ipsos audirent neminem, ac ne libros quidem eruditos, in quibus contraria tradun„tur, legere ab illis prohibiti auderent. Hos paulum si volutarent, intelligerent profecto imponi „pulcre sibi a suis Pastoribus, nec iis se tanquam brutae animantes ducendos permitterent. „Minus quidem certe nexus illos conscientiae, illas ecclesiae censuras expavescerent, vacua no„mina, veram Papae carnificinam.

„Quae, et his similia ut altius insiderent animis, ejusdem argumenti libros venenatos iden„tidem supportabant, et amicis legendos tradebant. Inde Parocho assiduus atque infinitus labor „erudiendi nutantem in fide gregem, et offusas mentibus tenebras dissipandi. Nihil tamen ae„grius impetrabat, quam ut vetitis abstinerent libris, quorum sane multos eorum ereptos mani„bus igni tradidit.

(*) Octo habemus, quae typo reliquit, opera.

(**) Conf. quae de missalibus et breviariis habent Decreta Provincialia Consilii Trev. sub Joanne ab Isenburg Archiep. an. 1549. (Honth. Hist. Tr. dipl. II. p. 746.)

(†) Roma. (††) Idem Trevirensis ab Eltz.

„Tilius eodem tempore in urbe Confluentina curabat, Canonicus idem, et in aede B. „Virginis Parochus, utrumque cum laude. Ea in urbe Septemvir Collegium Societatis molieba„tur (*). Dum paratur instruiturque Patribus excipiendis domus, Tilius morae longioris impa„tiens, quosdam ex iis evocavit suam in domum, sua mensa sustentavit, ac plane hospitaliter „ad aliquot menses habuit. — — Similem, et ampliorem fortasse hospitalitatis laudem tulit „per causam tumultus Belgici, quo haeretici regionem pervolantes, rapinis, incendiis, stupris, „atque omni scelerum atrocitate omnia humana ac divina jura miscebant, funesti belli faces ac „furiae. Tunc enim effundentibus inde se multis omnis aetatis ac sexus, et fuga salutem quae„rentibus, Catholicos sacerdotes et Belgio profugos excipiebat domi, et quoad poterat susten„tabat. Accidit, ut Confluentes per eandem causam se reciperent sex sacratae Deo Virgines, „rerum omnium indigae, omni humana ope destitutae. Eas etiam Tilius excepit domo, quam „canonicatus titulo possidebat, et partim sua, partim corrogata ab amicis ope diu aluit, binos „eodem tempore Sacerdotes apud se habens in domo curiali, quos itidem ex Belgio pavor ex„pulerat.

„Guillenfeltum Septemvir Canonicum renuntiaverat eadem in urbe Confluentina ad S. „Castorem, cum hoc ut militare praesidium arcis Ehrenbreitsteinianae, quae Trevirensis ditionis „praecipuum munimentum est, sacris procuraret. Ut brevis est Ehrenbreitsteinium ex Confluen„tibus per flumen Rhenum trajectus, eo se diebus prope singulis Guillenfeltus transferebat, mi„lites otio, aleae jurgiisque deditos, atque in omnem vitae licentiam effusos, qua privatis allo„quiis, qua publicis sermonibus ab tristi vitiorum veterno, quo misere obruebantur, ad metum „Numinis excitabat, peccata confitentibus aures dabat, nullam caritatis industriaeque partem, „quo meliores fierent, praetermittebat.

„Verum haec dum ita diversis per dioecesim geruntur partibus, Eltzius Elector et Archi„episcopus senio atque aegritudine confectus diem obiit supremum.“ — —

Hucusque Julius Cordara.

Addimus paucula quaedam, sed memorabilia ex Browero, quae legimus Annal. II. p. 417. „Doctorum, ait, ipse (Eltzius) artes ingeniaque egregie nutriebat. Claudii Ptolomaei tabulis „Geographicis pristino nitori restituendis unice favit, misso ad Gerardum Mercatorem „ex Cusana bibliotheca nobili exemplari scripto! — Arnoldi vero Mercatoris „Geographi manu, ditionis suae chorographiam, magno sumptu tabulis aliquot descrip„tam, ad usus successorum privatos exhibuit.“ —

AD CAPUT CCCI.

— Quia vulgo creditum &c. &c. —

— Lectu et admiratione certe digna est descriptio fortis, quam in textu hujus capitis Lin-

(*) Vid. cap. 301. — In Frid. Reiffenb. Hist. S. J. I. p. 191, ubi de Collegii Confluentini initiis agitur, de hujus urbis incolis haec notantur: „Utroque cum Rheno, tum Mosellae in litore saliceta, arbusta, et „comparati ad amoenitatem horti occurrunt, qui cum oppidanorum elegantia mirifice consen„tiunt; quippe quos pridem appellavit Mercator (Münster Cosmog. de Confl.) emunctae naris homi„nes, et nescio quid Atticum spirantes. In hac civitate cum propter commeantium frequentiam, „heterodoxorum viciniam, et vividam juventutis indolem boni plurimum per Societatem J. praes„tari posse confideret Jacobus Archiep., significat Superioribus nostris suam de nobis huc inferendis vo„luntatem.“ — —

den, horum eventuum sane tristissimorum testis coaevus et sincerus, exhibet. Cod. Eb. Clus. in edit. Honth. haec paucissima tantum habet: „Anno 1585. dioecesis Trev. purgatur a sagis „tam severe, ut in duobus pagis duae tantum mulieres superstites fuerint.“ Addit idem codex: „Anno 1589. Treviris quidam Senator et Juris Licentiatus, nomine Joannes „Flade, afficitur supplicio magiae debito, post seriam dehortationem a curiositate.“ — Minus recte haec dicta sunt: non enim Joannes, sed Theodoricus Flade J. U. D., anno 1586. Rector magnificus Universitatis, urbis Trev. Praetor, qui tot magos sagasque ad rogum tum damnaverat, tandem et ipse, ut magus, eodem supplicio occubuit! — Joannes Flade Theodorici pater fuit, et urbis Secretarius.

Legimus documentum, manu Wilhelmi Bidburg Notarii Trev. anno 1590. scriptum, cui titulus: General-Inventarium aller Güter, so dem Ehrenvesten und Hochgelehrten Herrn Diederichen Flade Doctor, Schultheisen zu Trier selbigen zugestanden, welche in seinem Hause theils, und im Rathhause zu unterschiedlichen Tagen und Zeiten inventaryrt worden. Ex hoc inventario constat, Praetorem Flade lautam rem familiarem habuisse. Summa 4,000 florenorum, quam vir infelicissimus urbi Trev. crediderat, per edictum Joannis Archiep. inter ecclesias urbis parochiales, ad pias causas, an. 1590. distributa est. De justitia judicii in hunc virum lati agit Delrio (Disquis. magic. lib. 5. sect. 11. et 16.) Conf. etiam Nelleri Conatum exegeticum, 1779. p. 32. sqq. — Honthemius vero scribit (Hist. Tr. dipl. III. p. 170. not. a.): „Egregium „hunc virum patrium, in chartis nostris haud semel cum laude memoratum, non solide mi„nus quam lepide defendit Hauber (Biblioth. magic. II. cap. 184.)“ —

Fridericus Spee S. J., vir nobilis genere et animo, ex gente equestri a Spee de Langenfeld (nat. 1595), quem optime de humano genere promeritum esse arbitramur, ideoque corona civica dignissimus, formidolosae contra magos sagasque inquisitionis has causas notat: Praeposterum religiosorum virorum zelum — judicum in physiologia parum versatorum imperitiam — accusatorum malitiam ac suspicaces animos — lucri etiam vel privitae ultionis in multis studium. Vide hujus viri, magnis laudibus decorati, Cautionem criminalem, seu de processibus contra sagas, auctore incerto Theologo Romano &c. &c. Masenius (in continuatione Metrop. Eccles. Trev.) haec fatur: „Liber, „quem (Pater Spee) Cautionem criminalem inscripserat, cum per alienas manus, nondum per „Societatem probatus, lucem subiret, non paucis suum autorem periculis expo„suit.“ Hoc aeternae memoriae opus Rintelii an. 1631. primum prodiit. Conf. cap. 306. p. 80.

Audiamus hocce loco nostrum Spee, de tormentis seu quaestionibus disserentem lepide et vere, et quidem hoc modo: „Quid, tam sollicite maleficos quaerimus? Heus, Judices, „ostendam extemplo, ubi sint: agite, rapite Capucinos, Jesuitas, Religiosos omnes, „et torquete — fatebuntur; si qui negant, repetite ter quater — fatebuntur; si adhuc obstinati „sunt, exorcisate, detondete; utuntur maleficio, obdurat eos daemon, vos procedite — tandem „dabunt manus. Tum si plures vultis, rapite Ecclesiae Praelatos, Canonicos, Doctores — „fatebuntur: nam quid miseri illi et delicati, qui subsistent! Quod si adhuc plures vul„tis, vos ipsos ego torsero, et me vos deinde: non diffitebor, quod vos fassi eritis. Sic om„nes Magi sumus!“

Ubi Spee de stigmatis sagarum disputat, et an indicium dent ad torturam et condemnationem? haec respondet: „Antequam ex stigmatis (ajunt in corporibus sagarum reperiri loca „quaedam, quae sensu vacent et sanguine et quae daemon asseclis suis inurat) procedatur, „plura judicibus in conscientia incumbent, quae boni isti ne quidem cogitare videntur.“ Primo

loco hanc notam ponit: „Ne fidant lictori, cujus lucrum agitur, et multi nequam sunt.“ — Alio loco dicit: „Auget periculum nequitia et libertas nimia carnificum.“

Atque ita plane rem se habuisse, ipse demum intellexit Joannes Archiep., eamque ob causam gravissimo cavit edicto, ne in posterum sine discrimine in quaestionem dentur homines, quo melius bonorum existimationi, judiciorum integritati, ac quieti publicae consulatur. (Ordinatio Electoralis de modo procedendi adversus sagas et maleficos, an. 1591. 18. Decemb. in Honth. Hist. Tr. dipl. III. p. 170. sqq.) — Queritur in eodem edicto, emuncta esse a Legulejis viduarum marsupia, excitatas plurimis in locis seditiones et odia, commissos inter se cives et ruricolas, insontes cum reis permistos, temere multos rogo et flammis addictos, ipso non raro carnifice causae arbitro constituto. Jubet Princeps, omnes hos tolli in posterum abusus, et Caroli Caesaris in rebus ejusmodi capitalibus stare decretis (Caroli V. peinliche Gerichtsordnung).

Aevum illud auri nimis cupidum, summaeque licentiae ac luxuriae, nec non vesaniae plenissimum, videtur fuisse. Gestorum textus nostram sententiam fortiter confirmat. In excitanda hac luxuria ac vesania partem fortasse aliquam habuerunt plantae quaedam venenatae, prae aliis illa, quae nominatur Hyosciamus niger (das ſchwarze Bilſenkraut). Legimus ap. Eschenmaier (Magnet. Archiv III. St. 1.): „Das tollmachende Bilſenkraut gibt, eingenommen, „das Gefühl des Fliegens. Die ſogenannten Hexen haben es wahrſcheinlich auch in ihre Einſalb„ungen gemiſcht.“ Conf. etiam Bechstein (Naturgeſch. der Gewächſe, I. S. 397.) —

Maximum horum processuum numerum, in causis sagarum, possidemus, et quidem in actis authenticis, quorum aliquam partem aliis locis in lucem emisimus. —

— Anno 1593. Cornelius Loseus, patronus causae sagarum &c. &c.

— Natus est Loseus (Loos) Goudae in Hollandia. Theologiae studio se applicans, et Treviris vivens, scriptis non minus quam viva voce surrexit contra saeculi sui temulentiam in procedendi modo contra personas de magia suspectas. Praedecessorem habuit Joannem Wier (sive Weyer) natione Brabantum et professione medicum, in operibus de praestigiis Daemonum et de pseudomonarchia Daemonum. Obiit interim in pace hic vir Cliviae anno 1558. — Scripta vero et dicta Losei non modico illum exposuerunt periculo, quod subterfugere alio modo non potuit, quam (ut Gestorum textus refert) palinodia formali. In custodiam datus in abbatia S. Maximini per mandatum Nuntii Apostolici, coram Commissariis in textu nominatis, die 15. Martii 1593., sententias suas revocavit, et se errasse et mentitum esse professus est. Libertatis eam iniit viam, quae sola relicta erat. In hoc instrumento nominatur Cornelius Loseus Callidius. Libertatem nactus, et in patriam redux, priorem mentem atque sententiam iterum adoptavit, quapropter et jam in carcerem conjectus est; sed morte praeventus, processum ulteriorem terminavit.

Hos viros, (et nostrum Linden, Gestorum scriptorem) secuti sunt, primis saeculi XVII. decenniis, Adamus Tanner, noster Fridericus Spee, ambo S. J. Presbyteri, et Balthasar Bekker, Theologus Belgicus.

Hinc cuivis, opinamur, facile apparebit, quid de assertione illorum scriptorum sentiendum sit, qui Christianum Thomasium, ceterum ingenio, doctrina et scriptis eximium virum (nat. 1655., denat. 1728.) primum fuisse dicunt, qui contra hos processus famosos eorumque executiones terribiles linguam et calamum movisset! —

AD CAPUT CCCVI.

— Ex folio Msto autographo Comitis de Falkenstein, temporibus illis aequalis, (2. Jan. 1632.), enotamus quaedam memoratu digna de Gustavi Adolphi rebus bello gestis in provincia Rhenana (*); sunt autem haec hucusque inedita: „Nachdem König. Maj. in Schwe„den unlengst bey Rheindürkheim mit etlichen Schiffen über Rhein gesetzt (so zwar die Spanische „anfenglich, wiewohl etwas zu späth undt vergeblich zu verhindern unterstanden) seinnd Dieselbe sobalt „vor Oppenheim gerückt, sich der Statt (dazue dann die Burger undt Bauern, so darin wahren, „mit uffhauwung der Pforten sehr geholffen haben sollen) bemechtiget; daß also die Spanische, so „sich in das Schloß gethan, zu ergeben auch bezwungen worden. Woruff der König den 22. Xbris. „(1631.) in voller Bataille vor Mainz gerückt; alda wurde aus der Statt mit Stücken undt sonsten „wacker feuwer geben, daß in 50. Schwedische geblieben, wie auch ein Schwedischer Oberister hart „verletzt worden. Die folgende nacht hatt der König seine Stück gepflanzt, auch Lauffgreben machen, „und zum Sturm Leytern beibringen laßen; den 23. Xbris etlich wenig schuß mit Stücken gespielet, „daruff, sobalt sie den ernst gesehen, accortirt worden. Die Spanische besatzung ist mit Ober- undt „underwehr sampt 2. kleinen Stücken, undt aller pagage noch selben tag außgezogen. Ist also daruff „der König mit etlich Regimenten eingezogen, dero Losament im Schloß genohmen, undt, wie verlauth, „ietzo etlich Regiment, Franckenthal damit zu blocquiren, commantirt haben soll. Sonsten „hatt der König hierumben im gantzen Landt allenthalben großen favor, auch „vom gemeinen Bauersvolck grossen Zulauff, die sich fast an allen orthen zusam„menrotten, undt ohne underschiedt uf den Straßen blindern undt rauben, daß „der Bauern halben fast niemandt sicher." — —

— Addimus ad historiam pactorum inter Philippum Christophorum Archiep. Trev., Ludovicum Franco-Galliae, et Gustavum Adolphum Sueciae Regem, chartam sequentem, nullibi, quantum scimus, impressam, ex authentica, quae nobis ad manus est, fideliter exscriptam (**).

„Nos Philippus Christophorus S. Dei gratia sanctae Sedis Treueren Archieps, sacri Romani „Imperii per Galliam et regnum Arelaten Archicancellarius, ac Princeps Elector, Eps Spiren, „Administrator Prumie perpetuus, et Praepositus Weissenburg &c Damus hisce Illmo et Ex„cellmo Dno Marchioni de Brere, et Dno Baroni Charnasse Legatis Matis Christianissimae „conjunctim et divisim mandatum et potestatem, ut cum Sermo et Potentissimo Rege Suecia „Neutralitatem a Nobis subscriptam nro nomine conciliare, vel de novo simpliciter et pura mente „repetere et statuere possint et valeant. Ita tamen, ut oia loca occupata tam in Eptu Spir, „quam Archieptu Treuiren statim restituantur, et Quartiria sine ullo damno educantur, et con„ditiones per D. Charnasse, nomine Matis Christianissimae, et Sermorum Electorum Colonien et „Bauariae aliorumque statuum tractandae et concludendae, ob id non infirmentur; sed eas quo„que, ne dilatio praesentissimo periculo utrique parti noceat, et per Quartiria ad arma, et con-

---

(*) Post pugnam Lipsiensem (1631) Sueciae Rex Franconiam subegit, et tum provinciam Rhenanam pervasit.

(**) Apud Honthemium (op. cit.) varia alia diplomata, has res concernentia, leguntur. — Suecum inter et Gallum foedus, Parisiis tractatum, Bernwaldae in nova Marchia 13. Jan. 1631. est conclusum. — Tum varii Imperii Principes (Palatinus Neoburgicus, Ferdinandus Coloniensis Elector, alii) neutralitatem in vanum petebant; Philippus autem Trevirensis eam obtinuit, postquam pacto cum Gallis Confluentiae, die 21. Decemb. 1631. foedere (ap. Dumont Corps dipl. VI. P. I. p. 24.) eis arcem suamEhrenbreitstein promisisset. — Conf. etiam Londorp Acta publ. IV. p 274. sq. —

„secutive ad cassationem Neutralitatis occasio praebeatur, aut scopus Pacificationis quoquo modo „impediatur, sed potius uno, vel altero justo modo promoveatur, corrobare et subscribere nos „parati simus.

„In quorum fidem praesentes manus nrae subscriptione et sigilli nri subimpressione commu- „nivimus. Datae in Ciuitate nra Confluentina die 14a Februarii Anno 1632.

Philippus Christophorus (S.)

ArchiEps Treuiren: Eps Spiren. &c.

— In hoc tempus infaustum, nescimus quis poeta Treviricus, composuit hos versus:

Epitaphium Germaniae.

„Hic ego nunc jaceo quondam Germania foelix,
„Dum mens una mihi, vita quieta fuit.
„In me sed postquam fidei discordia nata est,
„Imperii vires heu cecidere mei.
„Hispanos timeo, timeo Gallosque Getasque,
„Omnes hi de me parta trophea canunt.
„Quis tum ex illis belli me jure tenebit?
„Nescio: quod perii seditione, scio!“

(Ex documentis Mstis domesticis, olim Collegii S. J. Trev.)

AD CAPUT CCCVII.

— Durante Philippi Christophori captivitate, suos ille habuit exploratores in urbe Trevirensi aliisque in locis, ipsi omnia minutius nuntiantes, quae undequaque contigerant. Ne sine documento et exemplo loquamur, videamus quid contigerit, post Philippi reditum Abbati ad S. Mathiam, Nicolao Trinckeler.

Protocollum Ms. dicti monasterii (hucusque nondum impressum, modo bibl. Trev. N. 2092. sig.) refert sequentia:

„Cum Princeps Elector Philippus Christophorus ad civitatem Trevirensem conductu militum „Ducis de Turrene reduceretur, per dictos milites monasterium nostrum plurima damna passum „fuit. — — Dicitur etiam, quod tunc temporis ingentem thesaurum, omnibus tunc tempo- „ris in monasterio degentibus ignotum, qua arte Deus scit, milites invenerint et ab- „stulerint, uti milites sparserunt ad 24. millia imperialium in auro. — Fuit is thesaurus ab- „sconditus in sacello Abbatis — in pede altaris. — Dicitur, quod Gangolphus Abbas hunc the- „saurum ibidem absconderit. — Sed in his jam monasterio nostro illatis damnis non cessavit „tribulatio; sed ipse D. Nicolaus Abbas in sua persona adhuc acerbiora perpeti debuit. Nam „cum D. Abbas Archiepiscopum in monasterio S. Martini degentem visitare et salutare venerat, „statim ab ipso audire debuit: Tu fur es; abstulisti enim mihi bona mea, scilicet „Vilmariam, quam me absente a Canonicis meis tibi restitui fecisti. Tu es „proditor meus; quomodo? quando? quid feci? tu scivisti me captivandum, et „non insinuasti mihi, nec monuisti! — —

„Ecce quam caute sit loquendum cum hominibus, et praesertim commensalibus! D. Abbas „quandoque ad mensam suam habens hospites, incaute prolocutus: se scivisse aliquid de adventu „Hispanorum ad excutiendos Gallos ex urbe Treverica. Hoc scriptum fuit Viennam ad Archi-

„episcopum, qui revertens sic bonum Abbatem excepit et remuneravit. Vide ergo in similibus „occasionibus, cui fide!“ — —

— Adscribamus porro hoc loco narrationem nondum typis expressam, monachi cujusdam S. Maximiniani, horum tumultuosorum temporum aequalis, quae ad repraesentandam hujus aetatis imaginem multum facit. Narrationis titulus est: Memoriale verum et breve potissimorum, quae contigerunt huic monasterio ab anno 1645. (Cod. ms., modo bibl. Trev., N. 1253. sig.) En hujus scripturae verba:

„Novembris decimo recessit Abbas Luxemburgum propter adventum Turenicum. Decimo quarto „venit Turenius, qui castra posuit in hoc monasterio, et permansit 22. diebus cum suo ex„ercitu. Hic omnia frumenta et pecora comesta, vina epotata, aedificia disrupta et exusta, „quae prae ligni penuria in tali frigore fieri in exercitibus solent, fructiferae arbores amputatae „et exustae. Discessit 6ta Decembris. Sequenti die septima Decembris occupavit Vicecolonellus „Weyller monasterium cum una cohorte desultariorum equitum, qui die sequenti intravit ur„bem, relictis hic, jussu Principis Trevirensis, undecim de monasterii substantia alendis. Ex „hac die debuimus emere siliginem, contrahere debita pro nostra alimentatione. Nihilominus „ad totalem monasterii exhaustionem misit Princeps Trevirensis die 24ta Februarii 1646. domi„num Zandt cum 14. militibus, qui die sequenti excreverant ad octodecim, quibus additi sunt „triginta pedites, omnes alendi de monasterii mediis exhaustis per exercitum Turenicum.

„Hi exercuerunt omnia hostilia; subditos famulos, religiosos inhumanissime injuriis et ver„beribus mulctarunt. Caveas, pistrinum, penum, januas clausurae multoties perfrigerunt, ci„bos conventus et famulorum violenter abstulerunt: et haec iniquitas duravit usque ad Augustum.

„Eodem anno 23. Julii Princeps Trevirensis Subpriorem Henricum Paschasium cum alio sa„cerdote religioso Jacobo Lossem, per suum Capellanum Ludoicum Medardt, ex Tabena, „quo ad servitium peragendum et decimas monasterii colligendas missi fuerant, vi militari ab„ducit, et cum esset P. Subprior in altari incipiens Sacrum, jussu Capellani praedicti, fuit a „militibus tractus manu, ne pergeret; quem pergentem, finito sacro, equo milites injiciunt, „et ejus confratrem scalis impositum ex loco sacro efferunt. Qui deinde Treviros ad palatium, „dehinc ad aedes monasterii in militari custodia deducuntur, in qua undecim diebus detenti; „quos tandem in exilium per milites ejecit, et patria Trevirensi proscribit.

„Prima Augusti captivavit totum conventum per suum Suffraganeum Ottonem Azoten„sem, in ipso choro templi durante officio divino. In qua captivitate violenta fuit P. Prior „Valentinus Adami, contestans de violentia coram venerabili Sacramento, trusus bombarda, et „graviter sauciatus. Post septimanae et aliquot dierum, in pane et aqua, in propriis cellis „captivitatem, cum diversi infirmari coepissent, plures per milites educti et a Principe Trevi„rensi extra patriam Trevirensem bannisati sunt, solum hic relictis duobus Sacerdotibus reli„giosis infirmis.

„Ex hoc tempore monasterium administratum fuit ad nutum Principis Trevirensis. — Rece„perunt fratres sese omnes Luxemburgum ad Abbatem, pro quorum alimentatione debuerunt de„bita contrahi. Item fuerunt debita contrahenda pro agente monasterii in tractatu pacis Monas„terii Westphaliae. Item pro causa monasterii Romae, et in aula Imperiali et Bruxellensi pro„movenda.

„Duravit autem exilium usque ad primum Junii anni 1649. quo die reversi sunt quatuor „fratres. Conventus rediit, expulsis Francis ex urbe. 12. Junii. Hoc anno fuit magna sterili„tas frugum. Nihilominus Princeps Trevirensis vi armata abstulit multis in locis frumenta, sicut

„et vindemiam abstulit. — Anno 1650. fuit iterum exigua messis et vindemia. Nihilominus „Princeps Trevirensis abstulit, quantum potuit. — Anno 1651. iterum fuit exigua messis et vin- „demia. — Anno 1652. fuit bona copia frumenti et vini. Hinc magni sunt facti sumptus pro „collectione vindemiae; qua necdum collecta cum obtinuisset modernus Eminentissimus Princeps „Trevirensis (*) a Caesarea Majestate rescriptum sub- et obreptitie contra monasterium nostrum, „involarunt, quasi signo direptionis dato, in bona monasterii, quique pro suo arbitrio. Doctor „Meelbaum (**) arrestavit nostra vina in Kempt et Urtz; telonarius Principis Trevirensis in „Pfalzel arrestavit nostras naves, et perforatis vasis pro suo libitu inde extraxit; Anna, uxor „Joannis Anethani, Cancellarii Principis Trevirensis (***), ex iisdem navibus, propria auctori- „tate, accepit sex grandia vasa, capientia prope 9. plaustra, in Mosella ante portam urbis. „Item ibidem etiam, tali auctoritate, accepit filius spiculatoris Trevirensis Folmarus tria similia „vasa. Qui postea deprehensus in similibus iniquitatibus decollatus est; Magistratu Trevi- „rensi nostrum vinum nihilominus retinente!“ —

Hucusque ex laudato Msto.

— Quaedam alia adhuc documenta Msta, hucusque incognita, res Philippi Christophori controversas dissensionisque plenas concernentia, nuper adquisivimus. Primum horum documentorum (Prodromus) pro hoc Principe fortiter militat; Antiprodomus vero Prodromi scriptorem acriter refellere conatur.

I. Prodromus manifestandi status Trevirensis (auctoris anonymi) (†).

„Capitularium Trevirensium animi aliquot annis in diversa fluxere, Philippi Christophori Archiepiscopi sui, et R. J. Principis Electoris &c. &c. conatus et insolitae lucis incrementa, suasu non optimorum, sibi posterisque damno ac discrimini fore existimantes. Unde per lenta et obscura, denique (a), ut factio se raro premit, per aperta ruerunt ad hujus Principis cogitata consiliaque palam infringenda, et ad odia Caesaris, Regis Catholici aliorumque in eum concitanda.

„Donec ipsum, nil tale suspicantem, (b) anno 1635. vn. Kal. Aprilis per militum manum in sua Archiepiscopali sede, violento assultu (c) (ubi conspiratorum primus et tragicomoediae hujus coriphaeus (d), ecclesiasticae dignitatis ac sui suorumque haud parum oblitus, temerario ausu, sclopetum ad explosionem expeditum, verbis parrhesiis insultans, jam nunc suae esse potestatis, impudenter admovere pectori non erubuit) ferociter impeterent, caperent, spoliarent, et demum regimine moverent; ac sacrum chrisma, quod eo loci ac temporis exul Coëpiscopus Moguntiacus (e) servabat, barbara impietate in terram effusum, dicto antesignano Clerico spectante, nec tamen prohibente, per milites scelerate profanaretur. Hic etiam in quaestionem exacti ii, qui

---

(*) Carolus Casparus a Petra, Philippi Christophori successor. Haec calamitas coenobii S Maximini, Archiepiscopis Trev. semper infestissimi, et post Philippi obitum duravit.

(**) Iste Jacobus Meelbaum J. U. D. et historiographus Trevirensis librum s. t. Sylva academica, anno 1657. typo dedit

(***) Joannes Anethan jam sub regimine Philippi, difficillimo illo tempore, Cancellarii munere functus est; sed in suspicionem venit, tanquam Hispanis et Capitulo favens, ideoque a munere amotus, sed a Carolo Casparo integratus est.

(†) Qui se ficte nominat Bar Philopatridam Epopten.

(a) Vide typis evulgata hinc inde acta capitularia, suspensionis decreta, censurae ecclesiasticae, oppositiones, sententiae justificationis &c. &c.

(b) Rescriptum Caesaris die 18. Octob. 1632.

(c) Contra auream bullam cap. 17.

(d) Vide cap. Gestorum 306.

(e) Ambrosius Sibaeus Eps Misiensis.

Principi studuisse, indicio aliquo depraehendebantur. Hunc Principem, quem ante idem Antesignanus pontificali amictu pallioque et cruce, quae collum ambiebant, scriptoriis armis et symbolis signatoriis extorrem fecerat, decimo post die, cum postridie in Coena Dni sacris operatus esset, Cardinalis Hispaniarnm tunc Infans amicis litterarum tabulis in Belgium evocavit.

„Capitularium indicta coitio, ut impigre vocationi morem gereret, utque abdicaret, suffragantibus militibus et paucis ex factione populari primoribus, ad illud coëgit. Capitulo-Praepositus (a), dum Princeps (quem ipse anno 1623. Spira accersivit, ut Lothario in Archiepiscopatn sublegeretur) currum conscenderet, ut ducerent eum cautc vectores inclamavit: caeteris e clero populoque, qui profuse circumspectabant, ad Iscarioticam vocem infrementibus. —

„Princeps interea in Belgio pompose de loco in locum (vix Gandavum Flandriae ingressus, quidam de S. Dominici grege (b) Roma forte litteras ad eum ferre deprehensus, squalore carceris, nono post mense, humano prohibitus consortio, extinctus est) et post decimum octavum mensem liberali cultu ac veneratione dimissus (c). Inde renovata, ex Caesaris decreto apud Donawerdam, captivitate, in Austriam deportatur, ubi e vivis sublato Ferdinando II. (d), juris fit Pontificii, consignatus illius Nuntio.

„Interea, uti a primo assultu, Canonici de Capitulo, non tam ex capitulata pactione, quam de facto sive ad vindictam, sive ad dominatum, sive ad cupiditatem, ignavia haud elanguescentes, rem gerunt nou secus quam ad eos ex jure devolutam.

„Quantam ea catastrophe jacturam et pestem secum traxerit, angustis his pagellis includi nequit. Facies non dissimilis captae ab hostibus provinciae. — Si verum est, Reges et Principes, non dominos et proprietarios, sed populi sui depositarios ac mandatarios bonorum reipublicae eese, et ad rationes teneri reddendas populo; quod et Trevirensis Archiepiscopi capitulationes (e) innuunt: satis evincitur, nihil his Capitularibus juris insidere, verum eo plus honesto appetentiores esse rei alienae, et despotici dominatus.

„Mox anno insequenti Ratisbonae, Plenipotentiariorum Capituli postulatio, qua suffragium electorale in Ferdinandi III. electione sibi vendicare satagebant, rejecta fuit. In urbe et provincia nova jura exercita, collata ubique multiplicia hiberna aestivaque militum, quae in hanc usque horam continuant: designata militiae ducibus diribitoria, designatoribus exactionum quota reservata, ut nemo uspiam uno in loco tot rogatores, diribitores, custodes, furum socios, tortores, divisoresque viderit. Illis incestus, stupra, raptus, incendia, substantiarum direptiones; hostibus spolia, litra, eversiones permissae: subditis in hac palaestra peremptis aut attritis.

„— Et hic momentosae fluctuationis, imo submersionis annus decurrit decimus. — Equidem Urbanus VIII. felic. record. (f) pro ea ac debuit indignatione succensus, nuncios suos ablegando, ac seria cum Rom. Eccl. Cardinalibus ineundo consilia vindicandi Praesulis, et in libertatem restituendi, propensae erga Trevirorum et Nemetum sedes, eorundemque pastorem, curae et sollicitudinis argumentum dedit, ac ultro Catholicos Principes universos, ut ei subvenirent, emoneri curavit; successori suo Innocentio X. complementum relinquens, ad expensas haud pavido. Nec defuit partibus suis Caesar, ut livore posito partes componerent, et Principi, uti antea, jus fasque esset, sacra prophanaque moderandi. Sed rejecit conditionem Princeps, et perfectae virtutis actum, constantis animi sublimitati postposuit. Caesar nihilominus, ut contro-

---

(a) Joan. Guilelmus Husman a Namedy. (b) Cosmas Morellis
(c) Ultima Maji 1636. (d) 3. Maji 1637. (e) Vide §. si pactorum &c. &c.
(f) Obiit 29. Jul. 1644.

versia demum funditus ac cito aboleretur, veniretque in partem solicitudinis pastoralis ejus frater Archidux (*) cum spe successionis, indicta Capitularibus die, eos cum pleno mandato Viennam evocavit; quae quoque evocatio omnisque tractatio in nonum usque mensem inanis fuit. —

„Ad Principis usque reditum, civitates orbae manebant civibus, arx Ehrenbreitstein annona, tam ferax pagus Mosellanicus vacuus incolis, oppida habitatoribus, domus ac familiae integrae inquilinis, villae, curtes, vincae villanis et cultoribus; Provincia denique tota, ob depravatam oeconomiam, extreme obaerata: quum et arae sacrae squaleant, templa deserta, ecclesiae curionibus viduatae, plebe careant; omnes omnium facultates in rapinam datae tum gubernantibus, tum consulentibus, tum militibus; tribunalia eorum arbitratu depravata, nova insolita justitia et officia foedi conditione quaestus prostent.

„Quae status elogia serae posteritati ad omnium manifestationem et obtutum dedicata sunto. Hac die XXV. Septemb., qua Philippus Christophorus Archiepiscopatus annum vigesimum secundum orditur Christi anno 1644.

„Optare bonos Principes pietas: damnare etiam nocentes religio. — —

Audiatur et altera pars!

II. Antiprodromus oppressorum lamentis manifestati, adversus prodromum manifestandi status Trevirensis. (auctoris anonymi).

„Cum Innocentius P. P. X. Ferdinandi III. Caesaris clementiae annuisset, et Archiepiscopus Trevirensis S. R. I. Elector, Episcopus Spirensis, Philippus Christophorus, decennio absens, in pristinum restitueretur, jamque Caesar eundem libere dimisisset; Söterianus quidam (**) belli stridore insonuit sub vomica cartacea, cujus putor assultum Caesareo-Hispani militis in urbem Trev. de 26. Martii 1635. tingit, Electoris in Belgium evocati, ac deinde in Austriam deducti consignationem conspurcat.

„Philippus Christophorus Archiep. Trev. &c. &c. sub annum 1566. in territorii Trevir. parte, quam Westregiam vulgo nuncupant, villa et domo familiae de Söteren, nobilibus et haereseos errore (?) imbutis, non tamen locupletibus parentibus, in lucem productus, primis annis cujusdam patrui sui Philippi Christophori in ecclesiasticis muniis celebris viri cura, apud Moguntinos, Trevirenses et Spirenses sacerdotiis auctus fuit: cujus etiam subsidio in Trevirorum Academia studiis humanioribus gnaviter insudavit. Inde Gallias Italiamque perlustrans, idiomata ista hausit. Proserpens hinc e latibulis ad aulas Principum aliorum, etiam ad ipsam S. Sedem Apostolicam et Caesarem Rudolphum legationes obivit Hic se variis artibus insinuare et vertumnum induere, ac Simonem agere doctus, studio simulatae virtutis, praestantis animi excellentisque nobilitatis multorum animos sibi adeo devicit eosque impulit, ut Praepositura Trevirensi anno 1603 potiretur. Et cum Episcopatus Spirensis oeconomia sub optimo et religioso Principe et Episcopo, Everardo a Dienheyn, delabi videretur, ac ipse, e coeno egestatis emersus haereditate patrui sui praefati, et ea industriose tot beneficiorum fructibus aucta, divitiis jam suis caeteros vel jam terruisset, vel obcoecasset, eidem Everardo, anno 1609, in Coadjutorem lectus fuerit. Mox Episcopus Spirensis factus vim intulit Magistratui hujus civitatis. Ad cujus moenia perquam splendidam fabricam novae aulae Episcopalis, demolitis etiam plurimarum aedium ad ipsam ecclesiam spectantium tectis, protendit. Inde se totum oppido Vdenheim, quod est

(*) Leopoldus Wilhelmus.
(**) Ille scilicet scriptor antecedens.

Episcoporum Spirensium percommoda residentia, aggeribus propugnaculisque muniendo dedit, in vicinorum aemulationem et oppidorum ac plebis ruinam. Castrum a suo nomine Philippinum nuncupari voluit.

„Non satiabatur hujus Episcopi animus divitiis quoquomodo coacervandis deditus, opulenti tunc temporis Episcopatus proventibus; etiam non novis ad emungendum subditorum fortunas per ipsum inventis, ut ingentia aera accumularet: sed cum subditos aes deficeret, vinum frumentumque quanti minimi in solutum accepit, et carius deinde iisdem vendidit. — Ex Politicorum damnato aphorismo: Princeps pius videatur et non sit, purissimi viri, religiosissimi Praesulis, justissimi ac constantissimi Principis nomen praetendere visus est. Id autem tempori judicialis ejus directionis, quam sub Caesaris titulo gessit, damus libenter (*), quod apud Nemetes in Dicasterio Camerali insignis justitia enituerit, sive quod is Magistratus tunc integerrimis viris et ab omni sorde alienis constaret, sive quod ipse judiciis frequenter adesset, Germania necdum armis detrita. —

„Dum Principis hujus anteactae vitae indignitas et sordes Trevirensibus obtectae manerent, ac Lotharius, e familia Metternichiorum, Archipraesul et Elector, anno 1623 vita fungeretur; accidit, ut suprema Archicathedrae subsellia adiverit. Cujus aditum nobilitavit, cum primis statim mensibus oppignoratas satrapias — Limburgensem ab Hassiaco Landtgravio — Bliscastellanam a Comite Sarapontano Nassovio redimeret, applaudentibus sibi subditis congratulantibusque de Principe, qui non modo parta tueri, sed quaerere et augere rem Ecclesiae novisset. Erat in vulgi admiratione, opinantis, nihil ab hoc pravum et perversum produci posse.

„Remisit autem applausus, cum mentem ei esse cognoscerent ad famosa tantum facinora attentam, peregrinam vero in plebis salute et prosperitate curanda; et cum ob Commendam S. Maximini in Curia Romana contra electum Abbatem, suppressa, ut ajunt, veritate, a se impetratam, superioris Archiepiscopatus ditiones cohortibus Hispanicis sub Isenburgio Comite totaliter devastarentur, donec juri, quod praetendere ex Apostolica concessione seu bulla potuisset, renunciasset (**): dehinc monstrosi et abominabilis Praesulatus specimina edens ultionemque spirans ob devastationem praedictam, nutabant in dies magis Principatus sui exordia; nam hostilitates cum finitimis aliisque Imperii Principibus pro causa militis conscribendi quaerebat, habebatque hoc Davidis frequenter in ore: Si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo. —

„Conversus dehinc ad Treviratum, eique subjectionem minitans, Statibus provincialibus evocatis dura imperitavit contra juris antiqui et Caesarearum sententiarum, privilegiorum patriaeque legum tenorem; conventas inter illum et ipsos pactiones, de pecuniarum summis in Provinciae necessitates pendendis, infregit; nunquam conventas, nec cogitatas, ut pote privatorum fortunas penitus exhaurientes, imperitavit et manu militari extorsit. — Inter haec meditabatur ampla aedificia, celsa, splendida ac sumptuosa, sed superflua, imo frivola: quibus apte disponendis perficiendisque Provinciam ad operas indefinitas et sumptus praestandos coëgit. Treviris apud Metropolim vetustissima monumenta, palatio ampliando, plurimasque domos cleri civium-

(*) Spirae Camerae Imperialis Judicem pro Caesare strenue justitiam administrasse, acerrimi etiam Philippi Christophori adversarii et insectatores affirmare coguntur.

(**) Vrbanus VIII. Philippo Christophoro administrationem Abbatiae S. Maximini commiserat per bullam de anno 1624. Vid. diplomata in Honth Hist. Trev. dimpl. III. p. 276. sqq.

que dejecit; extra moenia editas turres antiquitatum Romanarum evertit (*), ut lapides palatio aptarentur.

Ad Confluentes citra Rhenum Vallem molarem (**) de suo nomine Philippinam dixit, quod novae palatii et propugnaculorum molis excitandae montis partem complanasset ac rupes excidisset. In fenestrarum postibus hujus palatii Philippus Christophorus majoribus notis incisus (***): nullibi ara ad Dei cultum, nusquam Crucis, nusquam Christi, nusquam ullius sacrae iconis vestigium (†). Sed ne religionis fama prorsus destitueretur oppidum, novo nomine insignitum, a religionis Antistite dies noctesque de nominis sui gloria ad posteros derivanda cogitante; fructuosissimam vineam Naboth, id est, de cujus possessione Dinastas de Petra dimoverat, aliqua ipsis oblata pretii parte, in Capucinorum vertit conventum, claudentem superiorem oppiduli partem in Rheni ripa, subtus ecclesiam et conventum olim Patrum Augustinianorum. Hujus fundamenta in die S. Luciae 1628 jacta sunt, Abbate ad Lacum sacris operante; quibus inposita lamina aenea cum inscriptione: Philippus Christophorus ultimus familiae de Soetern (††). —

His infestis bellis, praeter integra suburbia, pagos et incolarum infinitas mansiones in et extra urbes solo aequatas, oratoria dejecta et prophanata sunt. In Benedictinorum S. Maximini, S. Mathiae, et B. Virgines ad Martyres Abbatiis, nec non in inclyta Collegiata S. Paulini, annona consumpta, fugatisque Canonicis, Religiosis et ministris, nec tecta nec parietes integra constiterunt. In ecclesiis stabulabantur equi. Ad Carthusiam S. Albani clausurae muralia dejecta; caetera aedificia, prout et omnium sacrorum locorum campanae litro redempta. Et quod praedo non rapuit, incendium absumpsit: hoc Praesule in templorum flammis et gregis sui calamitatibus gloriante. Nam in suburbio Mathiano conventus monialium ad Pontem Leonis cum S. Helenae ecclesia conflagravit. Montis S. Beati Carthusiae apud Confluentes prima tecta, et in Valle Philippina integrum olim Ordinis S. Augustini virorum coenobium cum ecclesia Gallicae cohortes corripuerunt; plures in ipsis civitatibus templorum fabricae tormentis bellicis funestatae. Aliae serviebant rei tormentariae, uti S. Stephani subtus S. Simeonis gradus; aliae, ejectis aris et antecessorum suorum Episcoporum mausoleis destructis, militum excubiis, uti S. Thomae ad Pontem (†††). Et nihilominus a clero ad frequentia et poenalia imperata Archiepiscopi debebant cohortes militares recipi, ipsis stipendia numerari, vina frumentaque eis praeberi.

Atque hac populum charitate ad bonos mores reduxit, his aedificiis ecclesias conservavit ac reparavit! Quod alia feuda recuperavit ecclesiae, quod haereticos converterit: sunt inanes propriae laudis jactationes et figmenta, quibus Pontifici Romano et Purpuratis suo more imposuit.

Habes aliqua, Candide Lector (a). Non enim possumus, neque debemus omnia evulgare pravi principatus opera, animi non naturae monstra (!); sed ea solum, quae vulgo constant, mode-

---

(*) Fortasse e regione suburbana ad S. Barbaram.

(**) Vallis Ehrenbreitsteiniana olim ob extantia ibi molendina Vallis molaris dicta est.

(***) Sic nostris diebus famosissimus ille Gallo-Francorum Imperator primam literam sui nominis (N.) munimentis quaqua versus incidere jussit.

(†) Haec odiosa neque Gestorum textus nec Masenius habent.

(††) Conf. Hierothei (Capucini) Manipul. Confluentinarum rerum, p. 186. sq. —

(†††) Alii rerum nostrarum scriptores de hoc templo sive sacello S. Thomae ad Pontem nullam, ut nos quidem scimus, mentionem faciunt.

(a) Haec est hujus contentiosi libelli conclusio.

rate, modeste et reverenter (a): ne post fata, famam hanc Principis amariori narrativa, a Prodromo provocatus recenseat Zoilus (b)“

AD CAPUT CCCXIV.

— Liceat hic aliqua notatu digna ex Auctario Nicol. Reichmani apponere. Masenius equidem illud jam imprimi fecit ad calcem sui operis postremi et satis rari, cui titulus: Epitome Annalium Trevirens. Aug. Trev. 1676. Apud Masenium hoc scriptum sub nomine: Auctarium historiae a Philohistore datum, impressum cernitur. Secundum Honthemii opinionem haec folia eundem Masenium parentem habent; sed vir celeberrimus errat. Possidemus nempe Mstum veri auctoris, (ut jam notavimus ad Gestorum textum pag. 150.) cum hac inscriptione: Auctarium historiae Trevirensis conscriptum a Nicolao Reichman, curiae ecclesiasticae Trevirensis Procuratore. In praesenti additamento hoc nostro Msto (olim bibliothecae ad S. Mathiam) usi sumus. Auctor horum temporum aequalis et testis oculatus est. Annectit Reichman suam narrationem, anno 1676. literis mandatam, Masenii libro supra laudato, eodem anno typis vulgato.

„Conclusam (narrat Auctarium) auctoris (Masenii) Epitomen anno Christi 1652. in morte Philippi Electoris, et Caroli Caspari auspiciis, ultima clade Trevirorum, quae in annum hujus seculi septuagesimum tertium, quartum et quintum incidit, tanquam aliquo Tragoediae epilogo coronare visum est; quanquam corona haec ex cupresso potius, quam lauro decerpenda videatur, utpote funestis amicorum et hostium casibus referta.

„Respirabat hoc tempore Metropolitana Trevirorum urbs a pristinis aliquantum sub Philippo Christophoro acceptis vulneribus, benignius in pace sub Carolo Casparo per annos viginta habita; cum repente ex vicina illi, heu nimium (*), Gallia, nova belli calamitas incubuit, ex qua nobilissimis sui corporis partibus mutilata, templis, suburbiis, monasteriis domibusque et opibus hominibusque exhausta, vix usquam ad pristinum decus emerget. Cecidit eversumque est nobilissimum cum splendidissimo templo S. Maximini monasterium Patrum Benedictinorum (**), quod prima sui ortus initia a Constantini Magni palatio (***), in sacram aedem claustrumque dicatorum Deo hominum verso, ducit. Jacet dirutumque est vetustissimum quoque D. Paulini

---

(a) Quaenam ista jocandi saevitia?!

(b) Constat, Zoilum maxima acerbitate Homeri carmina perstrinxisse, risisse, contemsisse. Quo factum est ut, quicunque in alios inveherentur, Zoili appellarentur.

(*) Haec: heu nimium: omisit edit. Masen. (**) Vid. caput 316.

(***) De antiquo S. Maximini monasterio Broweri Mstum autographum Metrop. eccl. Trev. haec refert: „Ad urbis latus septentrionale S. Maximino fuit antiqua sedes, cujus quoad licuit olim anti„qua vestigia rimati sumus, neque enim, in magna rerum vicissitudine, una loci facies situsque mansit, „qui jam juxta civitatis, valde quidem diminutae, moenia, angusto in orbe descriptus cernitur, ubi ex lege „S. Benedicti nobile stat phrontisterium. Altius accersenti originem religionis et loci, veterum tabularum „litterarumque Dagoberti et aliorum non vulgaris autoritas oblata, quae docebat, saeculorum intervallum, „quod ab usque Constantino ad Francorum regum aetatem defluxit, magna caruisse monumentorum luce: „unde posteritas de vetustis rebus ad liquidum explorate vix quicquam erueret. Adeoque Francorum ex„surgente imperio, praeter antiquas scedas arundini implicatas, vix aliud memoria dignum regi „Dagoberto potuisse exhiberi a Memiliano loci Abbate, cujus haec admodum fuerit relatio: in originibus

Canonicorum collegium (*), aedem sacram multasque circum domos complexum. Uterque locus sanctorum hominum monumentis, et hic inprimis ossibus reliquiisque sanctorum Martyrum sub Rictiovaro cadentium plenissimus, exterisque juxta et incolis venerandus, et quotidianis fere processionibus hominum, Deum in sanctis suis venerantium, adiri solitus. Excisum funditus est monasterium S. Barbarae, Patribus Societatis Jesu sustentandis attributum, et aliud religiosis Virginibus ad Pontem Leonis jam olim vindicatum (**). Prostrata funditus est amplissima Carthusianorum Patrum habitatio, praeter ecclesiam plures domos complexa (***), quam Balduinus quondam, eximius Trevirorum Princeps, suae monumentum pietatis excitarat. Aedes S. Antonii in speculam conversa. Uhrana flammis consumpta; pluribus et monasteriis et ecclesiis destinatum exitium, nisi autor malorum Petrus Comes de Vignory, urbi Gubernator a Galliarum Rege, pudet dicere Christianissimo (†), impositus, in ipsa machinatione praeceps, fracta cervice occubuisset, finemque nocendi morte sua fecisset. Paucis omnia exponi nequeunt: breviter hic tantum, Epitomae in morem, perstringentur.

„Galliarum Rex Ludovicus XIV. illaturus Hollandis bellum, quo se advenire subsidio Electori Coloniensi Maximiliano et Monasteriensi Principi Christophoro (††) ad ereptarum urbium restitutionem, et religionis violatae instaurationem ferebat: transitum per Mosellam navibus suis, et nonnullo etiam militi, innoxium Archidioecesi promisit, et ab Electore Carolo impetraverat. Et principio quidem sine noxa id praestitum, Rexque ipse cum exercitu in Cliviam et Hollandiam progressus, urbes complures, majori terrore quam vi, apertas habuit. Noviomagum usque progressus, cumque hinc a dextera urbibus imperialibus, a sinistra Belgicis metuendus incumberet; Imperator Rom. Leopoldus exercitum, sub ductu Comitis Montecuculi, ad Rheni limites custodiendos submisit, qui anno 1672. Brandeburgico adjunctus, nihil aliud nisi excubias agere visus est, opposito ad mutuam custodiam Turrenio, ad inferiores Rheni partes hibernante, Caesareis per dioecesin Paderbornensem maxima parte effusis. Hi vero cum deinde, magis per Hassiam, Rhenum ascenderent; Gallus quoque, Germaniae ad Rhenum inhaerens atque archidioecesi Trevericae potissimum, utraque illam ripa graviter premebat. Unde fidem violari Elector questus; Turrenius vero hostem observandum sibi esse obtendens, dissidere coeperunt. In his vero

---

„reperiri, monasterii sedem quondam **Constantini Magni fuisse regale templum** (a) — et ejus „nutu jussuque S. Joannis Evangelistae honori ac memoriae ab Agricio Primate dedicatum. — Atque haec „ibi in pervetusto codice legebamus.“ —

(*) Vid. additamenta sequentia.

(**) Haec erat quarta hujus monasterii devastatio. Scriptor synchronus, cujus Mstum, olim in hoc monasterio asservatum, nobis ad manus est, hanc rem hoc modo exhibet: „Anno 1674. die 24. Maji, ipso festo „Corporis Christi, hora 2da post prandium hoc monasterium a Gallis sub Gubernatore Petro de Vignory „fuit spoliatum, ecclesiae fores, portae monasterii et clausura, more barbaro, effractae, et religiosae „Virgines gementes ejectae fuere — me fratre Bernardo Cremer Confessario praesente, qui hoc scripsi, „et posteris ad notitiam collegi. Dictae Virgines religiosae, tunc quidem miseriam suam deplorantes, se „receperunt in villam S. Bernardi Treviris, quae domus ad conventum Himmenrodensem pertinet.“ **Conf.** notam marginalem ad cap. 301.

(***) Stetit hoc claustrum illo adhuc aevo in vicinia urbis meridiem versus, ad sinistram per portam novam exeuntibus.

(†) Et haec verba: **pudet dicere Christianissimo**, omisit in sua editione Masen.

(††) **Bernardo Christophoro Galenio**, inquietissimi ingenii homini.

(a) **Apollinis** templum, opinatur **Alex. Wiltheim** in suo Msto Annal. S. Maximini. — Constantinum praecipue coluisse Apollinem, et lucos et sacras sedes pulcherrimas numeni suo in variis urbibus exstruxisse, probat Eumenii Panegyricus, et confirmant nummi aliquot, in quibus sub Apollinis forma exhibetur, addito titulo: **Soli invicto.**

angustiis, cum Caesar pro suis apud Electorem, sibi Imperioque obnoxium, urgeret transitum; neque alius ad liberandas, ab utroque exercitu incumbente, ditiones suas pateret exitus: Imperatori, contra quem, salva fide, agere non poterat, obsequendum esse duxit. Cum propositum Caesaris esset, Rhenum alicubi intercipere, ne liber Gallis ad Hollandos Frisiamque, atque inferiorem, cui imminebat, Germaniam pateret aditus, quem postea, Novembri mense, occupata Bonna, electorali Coloniensis Archiepiscopi sede, ex voto interclusere; ut ex universis sese Batavorum et Frisiae locis recipere coacti fuerint. Galli igitur, quamvis innoxium regiis navibus indulgeret Elector Trevericus, ut convenerat, transitum; veriti tamen ne consilia mutaret, Treviros Mosellamque cum ponte suae potestatis, vi aperta facere constituunt, postquam Princeps Condaeus cum exercitu amice frustra aditum tentasset. Miles itaque, Rochefortio Duce, Treviros aquis terraque alapsus, circumsidere sensim urbem Augusto mense anni 1673. specie transeuntium coepit. Is vero simul ut fossas ducere, et aenea producere tormenta aggressus est, manifestum semet hostem professus, sedem praecipuam in S. Mathia et Carthusia urbi vicina fixit, et amphitheatro ac propinquo eidem colle S. Crucis ad suggestus machinarum curulium usus est, frequentique exoneratione in portam veterem turrimque SS. Trinitatis (*) usus, plurium dierum explosionibus; quamvis per ductas ad urbis muros fossas propius machinis, vix quidquam ad invasionem opportunum perpetravit, ut in collem reducendae fuerint, et vicina moenium pars, ad portam novam respiciens, quatienda: quae ut recentior opere, facilius cessit, interius tamen vallo ac propugnaculo incumbente defensa, aditum non angustum modo, sed et difficilem, pluriumque circa jaculis expositum, praebebat. Quia tamen Galli per fossas ad urbem; propugnaculis externis destitutam, sese admoverant, cuniculisque, quanquam falso, muros ipsos subiisse crediti sunt, et majoribus subvenientibus Trajecto subsidiis firmandi erant, exiguumque urbis insperato pressae subsidium, longae impar obsidioni ac pluribus Gallorum assultibus futurum videbatur: actum de urbis tradendae conditionibus est, missis ultro citroque legatis et obsidibus. Ex quibus qui in urbem recepti fuerant, pacti cum tribuno cohortium de milite cum armis educendo, deinde, velut re ex debito peracta, urbe clam civibus excesserunt. Quos cum incolumes recepissent Galli, Proprincipi, Consulibus, aliisque qui cum ipsis erant obsidibus, extrema minati sunt, nisi urbem ad Regis arbitrium dederent, polliciti tamen multa de Regis erga illos clementia: ut qua minis qua blanditiis hanc ad urbem accessum impetrarint. Quam octava Septembris die (**), Deiparae natalitiis consecrato, subiere: post biennium eodem poene tempore deserturi. Subinde missi ex utriusque partis consilio Lotharius Braun Proprinceps, et Franciscus ab Horst summae aedis Scholasticus cum aliquot proceribus, legati sunt, qui in Gallia de conditionibus traditae urbis audirent, Regisque gratiam experirentur. Hi ubi Metas attigissent, istic arcis custodiae inclusi, hodiedum an. 1676., recepta licet urbe, detinentur, lytro haud levi imposito redimendi. Ergo leges ex arbitrio Gallorum interceptae urbi praescriptae sunt, quae seculares juxta ecclesiasticosque menstruo gravatos aere, usque adeo exhausere, ut cum demum plerique fuga se subducerent, imparesque reliquos tributorum solutioni viderent, miseratione tacti, civibus, religiosisque et clero urbis abstinere; in Archidioecesim vero latius arma vimque explicare coeperunt. Quae causa Electorem, ad subsidiarium ab Imperatore pro reci-

(*) Conf. cap. 295. Illo tumultuoso tempore, Romanum et hoc opus, quod Thermas dicimus, Vandalico modo valde vastatum est.

(**) Die 25. Augusti Galli urbis obsessionem, et 29. ejus oppugnationem incoeperunt

pienda urbe militem exorandum, vehementius impulit, qui post biennium occupatae urbis postremo Augusti mensis die 4. anni 1675. obtentus est (*).“ —

AD CAPUT CCCXVI.

In nota marginali ad hoc caput pauca diximus de quibusdam manuscriptis nunquam evulgatis Alexandri Henn, coenobii ad S. Maximinum monachi et postea Abbatis celeberrimi. Agit in his manuscriptis vir laudatus, harum rerum testis oculatus, de variis demolitionibus hoc tempore ab hoste, horribili modo factis.

Quae nobis notatu digniora videntur (praetermissis illis, quae nihil ad rem faciunt) exhibere hocce loco, opportunum esse censemus.

In Msto., s. t. Ephemerides Treuericae obsidionis per Gallos, auctor refert sequentia :

„Summarium demolitionis (mense Majo, 1674.)

„Prima Maji effodi coepti a cuniculorum magistris subtus templi (**) ingentes turres, bini in ipso templo laterales cuniculi, in quibus dein ad subversionem usque assidue laboratum est, Nanceiano magistro aliam formam praescribente. — Tempore divini officii variae a Cunicularíis insolentissimae cantilenae! —

„Secunda et 3ª. (qua Ascensionis Christi solemnitate ultimum summum sacrum in choro ecclesiae canitur) Dormitorii urbem versus extima pars ariete concussa ad gradus usque procubuit una cum tecto, remanente duntaxat, eoque lacero, frontali Orientem versus, cum insignibus Mathiae Abbatis (cujus id aedificium opus fuit) muro.

„Quarta, 5ª, 6ª et 7ª. in sphaeristerium seu ambitum Conventus Cunicularíorum versus est labor. — Lapicidae Trevirenses (5. Maji ante prandium) inducuntur a Vignory in templum ad cuniculos in columnis faciendos. Promittitur primum perficienti Imperialis. Religiosi pro horis persolvendis cryptam B. V. ingredi coguntur ob tumultum. — Nec hic hujus diei stetit furor. Etenim sub octavam matutinam adest Centurio cum mandatis, ut asserebat, Commendantis Vignory, ut amplissimam illam, recens aedificatam, novam fabricam per cohortis suae militem disturbaret. —

„Octava Maji per instrumenta perystylium magno refectorio adjacens a militibus dirui coepit, ac sub finem mensis complanatum jacuit. Defodiuntur in choro prope odaeum tres majores campanae; inveniuntur varii sarcophagi, in iisque Religiosorum corpora vestibus induta, ligata, ac lignorum quisquiliis adimpleti.

„Nona Maji post prandium ex improviso adsunt plures, quam unquam alias, maxime integra legio de Picardia, quae ante biduum advenerat, Gascones plerique. Queis ubi Capitaneus non nemo ex scripto ordinationem Vignory praelegisset, mox veluti signo ad praedam dato, in abbatiam, culinam ceteraque adjacentia aedificia involant, obvia quaeque, nullo religiosarum personarum habito respectu, quas minis, pugnis ac verberibus a rerum suarum conservatione deterrebant, diripiunt ad vestes usque Religiosorum, ac breviaria, ac stramenta, quibus misere hactenus indormierant. Dein tectum conscendunt, tegulas, laterculos cum asserculis, furiarum in-

---

(*) Cetera hujus Auctarii sequuntur in ipso textu capitum 318., 319. et 320.

(**) St. Maximini.

star, decutiunt, ac, ut monstrarent, quo compulsore designarent, non contenti Asceterium ac Religiosos indignissimis modis habuisse, in ipsam Dei domum furioso facto agmine irruunt; Religiosis Dei hominumque fidem implorantibus, ac ab Officiatis opem contra ecclesiae violatores deposcentibus, a quibus nil solatii, nil responsi aliud acceptum, quam hanc Regis, hanc Gubernatoris esse voluntatem! —

„Decima Maji summo mane iterum adsunt milites, residui in cavea vini spe allecti, in eamque per violentiam irrumpunt — usque adeo, ut cum Religiosi in ecclesiae licet plane deformatae crypta B. V. M. sacrum celebrare, forte ultimum, vellent, nequidem ex cavea sua pro sacrificio missae vinum habere licuerit, sed aliunde procurare necessum fuerit. —

„Eodem die duae posteriores versus urbem ac turrim in navi ecclesiae columnae, injecto pulvere nitrato, dissiliunt. — Tum Suffraganeum, Joan. Henricum Anethanum, rogare placuit, quo liceret, aperto S. Quiriaci tumulo, sacra ossa extracta ac capsulae decenti imposita ad residentiam nostram urbanam transferre; quod et pomeridiano tempore in praesentia ejusdem Suffraganei, ac notarii publici Greins factum, apertoque per lapicidas tumulo, medietas circiter corporis in minutas tum confracti, diuturnitate temporis, partes cum decem dentibus ac multo in tumba pulvere, reperta, ac ad urbem delata est.

„Undecima Maji restabant tres ex uno latere columnae, queis tota, ut post patuit, ecclesiae fabrica ac tectum innitebatur; has igitur circa horam 11am antemeridianam simul dum inflammant, non solum elegantantissimum illud firmissimumque ad introitum chori odaeum plane eversum est ad altare usque S. Crucis, sed etiam universae ecclesiae laquearia ac tecta, prioribus cuniculis concussa, uno impetu subsiderunt ad cryptam usque S. Maximini et gradus summi altaris. — —

„Maji 12. circa horam quartam pomeridianam, cuniculis 800. pulveris nitrati pondo gravidis, altissimae illae elegantissimaeque templi Maximiniani binae turres, fundamentis queis nitebantur convulsis, evibratisque in crucis formam, mutuo veluti sese pro valedictione amplexurae, penitus procumbunt, excepta parva versus urbem turricula. — Aderat ad jucundum scil. spectaculum ipse Vignory, qui ubi Religiosos vidit plumbum ac ferrum sibi sumerent, admonuit, haec cuniculorum magistris antea addixisse. Unde nos ab iisdem per minas ac verberum intentationes repulsi, vix utramque crucem cum gallis et aliquantulo plumbo obtinere potuimus. Eodem die a lapicidis columnae, versus ac circa summum altare et sacristiam, cuniculis perfodiuntur, per quos residuum tecti ac fornicis supra cryptam S. Maximini et summum altare dejiceretur. Qua ruina ne forte crypta S. Maximini tota subsideret, oblongis in crucis formam instratis trabibus, impetum decidentium ruderum infringere studuimus, simulque ingentem illum rarissimae magnitudinis lapidem, seu mensam summi altaris, removimus, ac ad murum ereximus.

„Maji 13., ipso Pentecostes, columnae binae postremae versus summum altare, ac aliquot aliae minores in ipsis gradibus evibrantur. —

„Maji 14. et 15. iterum quinque cuniculis circa altare stans adhuc, sectis quadris ex lapidibus, muri hemicyclum disturbare, sed frustra, conatur. Qua re commotus, adveniens Vignory saxeas virilis magnitudinis B. V. Mariae, S. Jois Evangelistae &c. &c. in loculamentis positas statuas disturbari mandans, quarum impetu tum ipsae statuae, tum in planicie jacens summi altaris lapis confracta sunt.

„Eodem die adest D. Jenepin Thesaurarius seu Secretarius Intendentis (Nollange) cum Philippo Gulchen cive Trevir., ac nomine Intendentis Conventui insinuat in scripto mandatum, quo

residua in cavea vina ac in granario frumenta ad inventarium referantur, ac in asservationem contributionum a S. Maximino post demolitionem exactarum aut exigendarum sequestrentur!

„Maji 16. et sequentibus diebus turmatim distributi milites aedificiorum ubique muros instrumentis complanant, id quod ad finem usque continuatum est. — Tum 12. ingentes ex rubricante marmore columnae, ob lucrum exigui plumbi, penitus confractae sunt.

Quaedam alia posteriora notatu digna.

„Gubernator mandatum dedit de exscindendis arboribus, diruendisque aedificiis usque ad pagum Hund dictum. — Item aliud mandatum de complanandis amphitheatri ruinis!! —

„Vignory non semel auditus est interminari Religiosis omnibus, utpote noxiis Reipubl. ac de proditione suspectis. Quid? quod sacellanum suum Dominicanum habitu Ordinis uti prohibuerit, eo quod ne religiosum qnidem habitum ferre posset. — Affliguntur parentes ob pudicitiam filiarum! — —

„Plumbum ex templo S. Simeonis aufertur, nec solvitur, sed in globos conflatur.“

Ex altero Msto Alexandri Henn s. t. Excidium vere horribile monasterii S. Maximini in quo scripto singulari de his rebus fusius disputatur, referre sequentia, consilium nostrum est:

„Inauditum florentissimi ac totius Germaniae antiquissimi coenobii S. Maximini narraturus excidium, et Gallo-barbaras aliarum celeberrimarum ecclesiarum descripturus eversiones, pavente ad monstrum conscientia, inhorrescente calamo, vel in ipso funestae tragoediae vestibulo subsistere, ac prae insoliti facinoris atrocitate cum Vate Hebraeo exclamare cogor: Admiramini ac obstupescite! quia opus factum est in diebus nostris, quod nemo credat, cum narrabitur.

— „Vulpem induerat Turenius, cum contra datam Principi fidem universum Gallorum exercitum an. 1672. ad Treviratum in hyberna deduxit, damno illato prorsus inaestimabili. Cum interea per Commissarios suos mendacissime spargeret, hyberna haec Francica Trevirorum Principi prompta moneta (numeranda scilicet in Utopia ad Calendas Graecas) a Galliarum Rege persolutum iri. Vulpem denique eamque dolosissimam mentiebatur Rochefortius cum caeteris belli ducibus, dum anno 1673. praedabundo exercitu Treviratum ingressus, Principis se, non patriae hostem jactitaret, quam tamen, laxatis ubique avaritiae insolentiaeque habenis, miserandum in modum ubique convelleret, ac crudeli laceratione discerperet. —

„Rochefortius, Regiarum (Ludovici XIV.) irarum plenus, motis Lymburgo castris per medios Luciliburgorum agros populabundum trahens agmen, sub exitum demum Julii mensis opportunitatem praestolatus, Mosellae, Surae Saraeque littora infudit, et obvia quaeque, seu tempestas quaedam valida, disjecit.

„Turbavit improvisus hic Francorum in Archidioecesin adventus non parum urbis Trevericae primores, qui praesentem fulminantis belli cladem in tempore avertendam rati, frequentes coeunt, atque ad Gallica castra legationem decernunt. Etenim qui deputati aditu omnes, unico gallizante excepto, prohibiti minaciterque rejecti, nil nisi extremae calamitatis metum ad urbem reportarunt.

Post triduum a legatorum ex Gallicis castris reditu, trans-Mosellanus Gallorum equitatus, Fourillio (*) Duce, densatis ordinibus ex Sura movens, in campum supra urbem sese dimittit,

---

(*) Al. Fauvillio

et sub Calendas demum Augusti Fourillius praeter ipsum urbis pontem incessu gradario infestum agmen in proximos Palatioli, flava Cerere maturisque aristis opimos agros inducit.

„Caverat oppidi hujus securitati Trevirorum Gubernator Grunderius, submisso illuc militum agrestiumque manipulo: ne vero sclopetis rem gererent, aut hostile quicquam in subeuntes Gallos auderent, prorsus interdixerat. Fourillius, nemine reluctante, ad ipsas oppidi portas amice admitti postulat; ni faxint, fame ad deditionem impulsurus: quod et pauculos intra dies consecutum est.

„Dum in trans-Mosellana Trevirorum regione (usque ad oppidum Wittliacum), veluti furiis agitatus ita fureret fur-ille tertius, interea Francorum Dux Bissius, qui inter Mosellae Saraeque ripas cum milite snbstiterat, intercepto per infamem quorundam ignaviam Saraeburgo oppido.

„Subinde ex Belgicis Principis Condei castris, ductu Generalis Du St. Clar, novae in Archidioecesin sub quadraginta equestribus signis Gallorum adveniunt cohortes, quae, vadato supra Palatiolum flumine, ipso S. Bernardi festo, juncto cum caeteris agmine, in satrapiam sese Maximinianam exonerant, pauculisque corporum ac jumentorum quieti datis diebus, converso itinere recta Treverim tendunt, vulgato per emissarios suos rumore, universum propediem Gallorum exercitum ex devastatis Trevirorum agris in Alsatiam superiorem migraturum. — Hac se colluvie exonerandam propediem heu nimis credula Treviris sperat!

„Ecce! ipso Bartholomaei Apost. festo, sub incumbentis caliginis nocturnae crepusculum, ab omni urbis parte Francorum turmae sese inferunt. In Palatiolano campo quatuor equitum phalanges explicabat Generalis Du St. Clar; Fourillius cum suis occupabat montem Juranum; Bissius cum adjunctis sibi copiis ad S. Mathiam diverterat; alii in veteris amphitheatri ruinis considebant; alii in Apollinis montis planitie excubabant: cum interim Marchio Sourdius delectis cum equitibus trans-Mosellanam infra urbem regionem observabat. Stupebant ad insolitam rei novitatem Treviri. —

„Submissus ad urbem tubicen, Galliarum eam Regi dedi praesidiumque quinque millium admitti postulat: si ultro consentiant, clementius habendos; si vim exspectare vellent, et hanc et extrema quaeque experturos.

„Vane super his Gallorum postulatis in urbe disceptatum est: aliis hostium vim exspectandam indicantibus; aliis ad Trevirorum Principem recurrendum prius asserentibus; nonnullis etiam, cum suppetiarum spes nulla affulgeret, portas amice reserendas hosti, vociferantibus. —

„Equitabant, inter hanc Trevirorum inertiam, non gregarii duntaxat Gallorum equites, sed ipsi etiam primarii Duces, citra ullum periculi metum. Vicina urbis moenia urbicaeque fossae altitudinem latitudinemque quaquaversum considerabant, ipsa etiam moenia infirmiora non tam oculis, quam manibus designabant (*).

„Capta urbe Gubernator Vignorius universum peremptorie in aulam archiepiscopalem citat clerum. Conveniunt frequentes ad palatium saecularis regularisque cleri antistites, quos de redimendo aere campanas atrociter interpellat — tandemque conventum est, ut in urbanarum suburbanarumque campanarum lytrum decem imperialium dalerorum millia constituto die Metis numerarentur.

„Alius cleri emungendi ex officina Gallica prodit barbarus praetentus: aequum nimirum esse, ut, cum urbs regio praesidio adversum hostiles incursus (!) muniatur, ipsa quoque stipendia militi praesidiario numeret, quae Vignorii Gubernatoris, Quaestorisque Nollangii calculo in

---

(*) De obsidione et deditione urbis jam in Gestorum textu et in additamentis ab aliis scriptoribus coaevis satis clare relatum est. Ea ergo hic praetermittenda esse censemus.

mensem Septembrem ad undecim imperal. dalerorum millia per ecclesiasticam pariter civilemque remp. persolvenda excurrebant. Obriguere ad Manlianum isthoc edictum utriusque ordinis primores, praecipue tamen cleri optimates ad inauditam hanc ecclesiasticae libertatis procultationem inhorruere.

„Sed frustra. Vignorius, quo suum in libertatem immunitatemque ecclesiasticam animum testatum faceret, clerum graviore tributorum onere, quam statum saecularem opprimendum decrevit; ita ex undecim illis in Septembrem postulatis millibus ordini ecclesiastico septem millia quantocius numeranda, sub militaris executionis interminatione, indeprecabiliter sunt imperata. Etiam subsecutis mensibus clerus in tributis persolvendis duobus trientibus, saeculares vero uno tantum gravabantur: unde factum est, ut unicum S. Maximini monasterium in Septembrem 1053. Imperl. 40½ alb., in Octobrem 1182½ Imp., totidem in Novembrem, ac deinceps in Decembrem 990., in Januarium 880., in Februarium denique 1320 per Vignorii Nollangiique immane decretum solvere sit compulsum.

„Cleri interea proceres, cum meliora a Christianissimi Regis animo pro religionis libertate exspectarent rescripta, submissis ad aulam Regiam, quae id temporis Nancaci subsistebat, legatis pro remissione supplicandum decernunt. Cui legationis officio cum ultro se offerret Collegii S. J. Rector (*), obviis cleri votis, in non dubiam exspectationem Regiae gratiae, admissus est, qui vice et nomine omnium hanc legationem obiret. At privati, quam publici boni studiosior Jesuita; veritus etiam ne, si communem a Rege exemtionem oraret, nec privatam suorum Collegiorum exoraret. Politico usus consilio clam reliquis urbe excedit, ac unico, cui rem communicaverat, Patre Carthusiano comitatus, ne salutatis quidem cleri primoribus, Nancaeum ad Regem abit, interventuque Regii e Societate Confessarii ac aliorum in aula potentium patronorum pro Collegiis suis omnimodam a tributis exemptionem, pro Carthusianis vero unius quartae remissionem consequitur. Non repugnabant Jesuitarum impetrata optimates; modum tamen obtinendi contra datam fidem nimie politicum approbare non poterant, cum maxime hanc privatorum libertatem, publico totius cleri bono, fraudi onerique futuram praeviderent. Augurium confirmavit Regius in urbe Quaestor. Qui, ubi signatas has exemptionis tabulas inspexit, hos quidem imposterum immunes habuit, sed immunitate hac reliquum clerum oneravit, gravissima singulis etiam mendicantibus ordinibus executio interminata. — Unicum illud duntaxat ad singula cleri gravamina reponebant: Solvendum est, quia sic Regi placet! Diceres Gallicos hos Ministros e bellicis illis tormentorum aeneorum machinis prodisse, quas paucis ante Richelii Cardinalis obitum mensibus in Galliis fusas, horridoque isthoc lemmate (ratio ultima Regum) inscriptas fuisse memorant.

„Tolerabilior profecto longeque pacatior sub Mahometano Saracenorum tyranno Christianorum sacerdotum vita, quam in Trevirorum metropoli sub liliaceo Christianissimi Regis sceptro monasticorum ordinum hac tempestate conditio (**)!

„Quarto Augusti die, quo ante biennium Galli, perruptis Saravi supra urbem claustris, in cis Mosellanam ditionem penetraverant, Trevirorum metropolis, senis ferme Gallorum millibus defensa, a Caesareo octodecim millium exercitu circumsideri eminus coepit. Quo viso, urbis Gubernator Vignorius clerum ad ultimum cruentae tragoediae epilogum destinabat. Cum enim

---

(*) Ignatius Duraeus.

(**) Narrationem de S. Maximini demolitione, quae sequitur hocce loco, silentio praetermittimus; hae enim res ab eodem auctore, supra in alio scripto, specialiter exhibitae sunt.

inter portam nigram ac S. Martini Abbatiam, qua irrupturos Caesareos, sed falso, crediderat, nova erigere propugnacula novosque formare introrsum receptus meditaretur, barbaro proposito edicto clerum omnem (unis exceptis S. J. Patribus, quos in specialem tutelam Rex Galliae susceperat) ad funesti operis laborem accersiri, ac inter horrida roborantium tormentorum tonitrua praetervolantiumque globorum fulmina moliri terram, comportare cespitem, palos defigere, cum ac non dubia multorum pernicie, Manliano imperio eoque atroci jussit, ut plantatis juxta arboribus promptum cum laqueis caeteroque cum ferali instrumento adesse continuo vellet lictorem, qui recusantes quoslibet subire vitae periculum e vestigio apprehensos, indicta causa, ad furcam protinus raptaret, ni ipse e sublimi prior pendere mallet (*). —

„Hic vero quid porro actum sit, ne minus religiose insultare hostium calamitati videar, ab aliis, quam a me, discere te malim Lector!

Ex tertio ejusdem auctoris Msto, s. t. Excidium S. Paulini (**), sequentia exhibemus:

„Si unquam inter varios adversantis fortunae turbines ecclesiastica Trevirorum respublica jactata est, amice Lector! nostro certe saeculo, quo nullum adhuc fuit calamitate foecundius, eos sub barbaro Christianissimi Galliarum Regis jugo fluctus excepit, ut attonita ad ferale spectaculum Europa, novem ipsa amplissimae circum Trevirorum Metropolim ecclesiae, Gallica voragine haustae, demergerentur. Habuerunt quidem et superiora tempora sub Godegisilo Wandalorum, Marcomiro, Pharamundoque Francorum, Attila Hunnorum, Godefrido Nortmannorum Regibus, aliisque juratis avitae religionis hostibus ad nostram usque memoriam suas clades, nec nulli fere saeculo suae querimoniae defuerunt: sed quod cum extrema hac, de qua loquor, Gallo-turcica barbarie conferri possit, ex omni retro saeculorum historia simile nihil invenio. Ea enim inusitati Christianos inter furoris amentia, Christianissimi Regis milites jam per biennium in res longe sacratissimas desaevierunt, ut subversis antiquissimis celeberrimisque in suburbano Trevirorum agro ecclesiis, coenobiisque, ipsa hactenus per tot annorum centurias inter gentilium, haereticorumque persecutiones conservata religio, Gallica hac tempestate collisa, naufragio proxima esse videretur.

„;Nos exules Sti Paulini Canonici funestum atrocissimi facinoris decursum, prout oculis nostris conspeximus, veraci calamo descripturi, illud ante omnia amice rogamus, ne, dum achristiani hujus excidii auctorem nominamus Christianissimum Galliarum Regem Ludovicum XIV. &c. dum unicam immanis flagitii causam producimus implacabile in Treviros odium; dum monstrum illud hominis Petrum Comitem de Vignory, ut incentorem executoremque detestamur; dum universum denique Gallicam militiam nefandissimorum sacrilegiorum ream agimus: ne, inquam, tot tantorumque scelerum enormitate stupefactus de historiae veritate subdubitare incipias. Illud enim in ipso narrationis vestibulo hic Sancte affirmamus, nihil a nobis in describendo

---

(*) Conf. textum capitis 318 Caetera, quae prosequitur Alexander Henn, rhetorice potius quam historice dicta sunt.

(**) Alexandrum Henn hoc quoque opusculum scripsisse, testimonium dat subscriptio sequens autographa ad calcem Msti, quo usi sumus. Est autem haec: „Historiam praefatam excidii Pauliniani ad instan„tiam D. Decani Rosburgs, ex mandato Rmi D. sui Praelati Maximini Gulich scripsit et cõmposuit „Alexander Henn Religiosus S. Maximini Sacerdos professus, et S. Maximini in Abbatia successor. „In fidem. Alexander Henn Abbas S Maximini."

Aliud documentum coaevum de hoc excidio extat s. t, Relatio impartialis &c. &c., sed brevissimam. Canonicus quidam hujus ecclesiae auctor fuisse videtur. Hanc relationem, in germanicum idioma translatam, legimus in foliis s. t. Treviris impressam (1836. N. 41.)

Collegiatae hujus ecclesiae excidio confingi, addi nihil, nihil denique per odium nationale extendi; sed singula, prout a sacrilegis gesta sunt, citra livorem explicari. Audi, lege, crede, ac Dei Coelitumque injuriae illacrymare! —

„Ludovicus XIV. hujus nominis, Galliarum ac Navarrae Rex, funestum Batavis anno salutis 1672. illaturus bellum, cum traducto perfida Furstenbergorum opera in armorum societatem Ubiorum Principe Maximiliano Henrico ex Bavariae Ducibus, sibi suisque perquam opportunum ad invadendam Hollandiam fore praevideret apertum Mosellae tractum, ac per hanc liberi commeatus speciem in Trevirorum munimenta penetrare sub amici larva se posse speraret; submisso primario ex aula Ministro Marchione de Louvoy, pertentandum sibi artificiis Gallicis Emmi Trevirorum Principis animum putavit. Et hic quidem, ne Christianissimi Regis armis obsistere videretur, liberum per suam archidioecesin militiae annonaeque regiae commeatum non invitus concedit. At ubi per Marchionem de Anicau, Agentem de Heess, aliosque Galliae emissarios id demum qua blanditiis, qua minis agi sensit, quo Galliae secutus partes durante bello Hollandico, superioris inferiorisque Mosellae claustra in Regias manus ad Ubiorum Archi-Episcopi exemplum consignaret: indignatus enimvero Carolus Casparus ad violandam Caesari Imperioque juratam fidem sese provocari, palam fas sibi esse negavit, Imperii sibi concreditas urbes citro Imperatoris assensum in exteri Principis potestatem tradere, maxime cum non ignoraret, usque adeo immani Gallicorum armorum apparatu per Hollandiae jugulum totius Germaniae cor peti.

„Exarsit ad inexspectatam hanc Trevirorum Principis pro Deo Imperioque fidelitatem adeo impotenti furore Gallus, ut, expugnato, anno 1673. sub Junii exitum, acri magis quam diuturna obsidione ad Mosam Trajecto, cum jam spe vasta, quidquid Mosam, Rhenum ac Mosellam inter situm est, devorabat, vi tracturus Electorem in suas partes, majorem exercitus sui partem sub Campi Mareschallis, Rochefortio, Fourillio, Bissio, Troussio, Sourdio, in Trevirorum Archidioecesin, hostili furore evastandam, immitteret. Quam vago agmine sub Julii decurrentis exitum ingressi, uno quasi impetu, universam patriam inundarunt. Rochefortius, Bissiusque supra urbem, Mosellae, Surae, Saraeque littora complexi, cum praedabundo milite consident. Fourillius Wittliacum occupat, exhauritque. Sourdius Palatiolum, inspectante Trevirorum Metropoli, fame ad deditionem cogit. Troussius, tentato nequidquam Meigensi cum arce oppido, effusa in pagos rabie, ferro flammaque plures depopulatur: omnes denique unum id agunt, ut eam evastatae Archidioecesi rerum faciem inducant, quae infractum blanditiis Gallicis Principis Electoris animum vel ad deditionem compelleret, aut luctuoso isthoc subditorum suorum excidio gravi vulnere sauciaret.

„Verum quantumvis pestes hae publicae per menstruam, qua Treviratum plus quam hostili rabie infestarunt, moram, Trevirorum nemini parcerent, sed promiscuo in omnes furore debacharentur: Ecclesiasticis tamen Religiosisque a quibus pro redimenta noxa Ludovisios exspectabant, occulto livore infestae, si quid ad hos spectantium fortunarum attigissent, ea vesana mentis violentia grassabantur, ut jam tum fatale Treverico Clero bellum ultimumque exitium parari videretur. Sensit sacrilegas has Gallorum in bona ecclesiastica furias cum suburbanis Religiosorum monasteriis irreperabili sua clade collegiatum nostrum S. Paulini Capitulum. Cum enim intentatam fortunis nostris tempestatem aureis Ludovisiis averruncari non possemus, praeter alias in transitu acceptas clades, maturam jam ubique segetem, quae insolita hoc anno ubertate succreverat, tot votis exspectatam ab effusis Gallorum emissariis, non in hominum duntaxat victum succidi, sed conculcari etiam a jumentis, ac ea passim insania evastari conspeximus, ut ex universis Collegii proventibus decimisque vix unicus frumenti modius ad legi-

timos dominos perveniret. Nec resedit inter barbaram hanc messis depopulationem Francorum in res nostras improba rabies; sed, cum absumptis evastatisque frugibus egere coepissent, nec a profugis incolis, quae volebant, extorquerent, versa in villas, domos, vineasque saevitie, plantatas per vitiferos Mosellae colles longo annorum decursu vineas solotenus rasas, exusta Gallicis flammis pleraque Collegii nostri torcularia, domos villasque in colonorum usum immensis Capitularium impensis quondam structas, vel plane dirutas, aut adeo laceras horrideque vastatas invenimus, ut vel ipsae incineratorum aedificiorum favillae Gallicam hanc barbariem, irreparabilemque Collegio nostro illatam cladem immortali ad posteros gemitu sint propagaturae.

„Tentaverant jam pridem per insidias aditum in urbem Galli, sed cum vulpina, quod volebant, pelle non assequerentur, ex Lysandri apud Plutarchum disciplina leonis exuviis obarmati, a trigesimo primo Augusti ad septimum usque Idus Septembris clausam obsidione urbem pertinaci adeo tormentorum fulmine quatiunt, ut collabentibus una cum moenibus civium praesidiariorumque animis pridie Natae Deiparae, fatalem Treveris quidem omnibus sed maxime Clericis deditionem compellerent. Et certe vel ipsa deditionis hujus primordia boni nihil canonicali nostro Collegio portendere visa sunt.

„Etenim vix detonare ex urbis propugnaculis desierant infesta Treverorum fulmina, cum, qui in Amphitheatri hactenus ruinis substiterat Gallorum peditatus, et horum metu solutus, ac potiundae postridie urbis exspectatione laetus, proripere se repente ex illis cursoriarum fossarum angustiis, ac per subjectos Martio monti campos, concrepantibus festivum tympanis tibiisque, incessu gradario recta ad S. S. Paulinum, Maximinumque contendere. Sed, cum ab hujus noxa muris aquaticisque foveis prohiberentur, uno omnes impetu in Canonicorum conterminas ecclesiae aedes ruunt, ac pertusis fenestris, effractis ostiis, convulsis vi parietinis, praedatrices hae Gallorum copiae irrumpunt, obviam suppellectilem diripiunt, abditam perscrutantur, relictas in granariis fruges, in caveis vina exhauriunt, universa denique Capitularium domicilia foedissime depopulantur. Cum vero, quas subducerent, praedae deessent, converso in homines furore, ea per opacae noctis tenebras barbarae immanitatis dedere specimina; quae si consectari velim, ne et ipse Germani pudoris limites transiliisse videar. Illud unum de nocturna hac ad S. Paulinum irruptione dixisse sufficiat: fecisse nimirum, quod licuerit, licuisse, quod libuerit, ac ne quidem a liberis hominum corporibus, pactarum utrimque induciarum tempore, nefarias manus cohibuisse (*).

„Tandem a nonis Aprilis ad duodecimum usque Calendas Maji effectum est, ut octodecim, illa amplissima firmissimaque, Capitularium domicilia, furore Gallico funditus eversa, ac uno ordine excisa sint. — Atque ita, infra unius non integri mensis spatium, quidquid vel in aedibus, vel hortis, vel pomariis S. Paulinus possederat, miserando spectaculo afflictum jacuit. — Nullo tamen horum omnium respectu, sacrilegus ille Treverorum Gubernator, incredibile hactenus bonis omnibus visum, Paulianae illius basilicae excidium impie decernit, furiose indicit, et ad IV. Id. Maji plus quam scelerate promulgat.

„Obstupuit ad ferale hoc tonitru universa quidem Treverorum Metropolis, sed nos praecipue, quos propior cura tangebat, ubi tristem Manliani decreti nuntium accepimus, subito horrore perculsi in saxum pene obriguimus. Cumque ipsi consilii inopes in ancipiti usque adeo rerum discrimine exitum minime prospiceremus, magnorum in urbe Patronorum imploramus opem,

---

(*) Plura, quae sequuntur, cum aut fere eadem sint, uti illa in praecedenti scripto dicta, aut contineant digressiones ad rem nihil facientes, hic praetermittendenda existimavimus.

qui una nobiscum pro antiquissimae celeberrimaeque basilicae conservatione immanissimum Tyrannum adeant ac interpellent. Adimus, interpellamus, ac per omnia sacra humillime obtestamur; sed aures negat. Porrectis de genu precibus adjungimus lacrymas; immotus aspicit. Situm ecclesiae per mille octingentos sexaginta novem passus ab urbe remotum, adeoque nec urbi metuendum humiliter insinuamus: intra tormenti jactum esse respondet. Suam deinde pro domo Dei ex urbe Magnates interponunt auctoritatem; sed his Regiam opponit. Denique cum primae post Principem Electorem dignitatis ecclesiasticae Antistes horrida de sacrilegis alias sumpta supplicia, prodigiosamque templi Pauliniani non aliorum nisi Caelitum tumulata corpora terrae gremio recipientis sanctitatem ad terrorem inculcaret: „Ille, faxo, inquit, prodigii istius periculum, „eum suspendendum in proximo patibularium ad S. Paulinum defodi curavero, et hunc si e „templo ejectum videro, credam; equidem, quas modo frustra commemoratis aniles fabulas, in„terim vos hinc quam primum facessite, ac, si quae templi vestri ornamenta subsecuturo indu„bie excidio erepta vultis, quantocius exportate.“ Nos, quamvis obfirmatum ad sacrilegi facinoris executionem Tyranni animum ex truculentis responsis manifeste perspiceremus, rati tamen, ut in desperatis morbis, ita et hic extrema, licet periculosa, media esse adhibenda; barbaram hanc denique a furioso homine gratiam postulamus: tolleret exteriores templi tam aversos quam obversos urbi muros, ac reliquam ecclesiae fabricam unis columnarum basibus innixam in adventum hostium consistere permitteret, nullo molimine tunc pro libitu subruendam. Sed flecti nescius Vignorius, ad haec omnia nil nisi urbis periculum, hostis adventum, vastitatem vicinitatemque templi, triplicata Regis sui imperia, ac totale excidium ore rabido detonabat, neque ullis vel Canonicorum humillime obtestantium lacrymis, vel aliorum Patronorum supplicationibus, nec denique aequissimis rationum momentis a concepto semel facinore dimoveri potuit. Adeo induratum erat cor hujus Gallici Pharaonis.

„Desperata igitur eccles'ae conservatione, ad subtrahenda furioso militi ornamenta, reliquamque portabilem templi nostri suppellectilem accingimur, atque a sacris Reliquiarum thesauris exorsi, auctoritate Joannis Henrici Anethan Epi Hierapolitani ac Suffraganei Trevirensis, venerandis Sanctorum tumbis, in quibus tot jam saeculis beatissimi illi Trevirorum Archi-Episcopi Felix, Marus, Rusticus, Lupus, Fortunatus, Abrunculus, Leontius aliique Coelites requieverant, sacra eorundem corpora non sine tenero pietatis sensu elevata, in magno populi concursu ad urbem deportamus. Ab his ad deponendas ex turribus grandiores sex campanas conversi, ubi effossa altius humo foveas iisdem recipiendis moliri coepimus: Ecce tibi, spectaculum prorsus venerandum! ad singulos fere passus singuli sese offerebant Sarcophagi sacris Coelitum ossibus beati, quae et inexhaustam hic loci Reliquiarum gazam luculento argumento comprobarent, et implacabilem Christianissimorum horum barbariem omni voce potentius contestarentur.

„Aedicula erat in vicino ecclesiae coemeterio ante sex fere saecula (quo Trevericorum Martyrum ossa honoratiori loco reciperentur) ab Egelberto Treverorum Archiepiscopo sub annum Christi 1090 excitata, mole quidem ac structurae elegantia parum visenda, quae tamen ob incredibilem sacrorum ossium copiam vastissimis facile, elegantissimisque Germaniae totius, Galliaeque basilicis foret anteponenda. Non enim hic, ut in aliis ecclesiis fieri assolet, singuli per loculamenta singula Coelites requiescebant, sed integri sacrorum pignorum cumulatim a dextris et sinistris aggestorum acervi in sublime assurgebant, strue usque adeo densa ac alta, ut praeter tenuem inter c athratos utrimque obices semitam, ac rei divinae faciendae non magnam aram, nil nisi venerandam sacrorum ossium congeriem ab ima humo ad superiorem usque for-

nicem in toto sacello conspiceres. Coelum quoddam, non sacellum ingredi te diceres, ita non alia hic tibi spectacula, non alia templorum ornamenta, quam laureata sanctorum Martyrum trophaea, sacroque etiamnum cruore tincta membra occurebant. Et quis augustissimum hoc simulque angustissimum tot Coelitum sacrarium, tot sanctissimorum Heroum domicilium, vel solo religionis intuitu a sacrilegis Vignorii furiis intactum fore non crederet? quis tantillam aediculam vix a summis urbis moenibus ob interjacentium ruderum molem visendam (quid dicam urbi metuendam) excisum iri putaret? Et tamen non excisa duntaxat est aedicula; sed etiam universa tot inclytorum Martyrum corpora plusquam iconoclastica barbarie sunt profanata. Horreo, dum intoleranda a Gallis in sacelli hujus demolitione admissa sacrilegia cogito! Diffractis vesano impetu ostiis, abripiuntur, quos dixi, cancelli, disjiciuntur veneranda Martyrum ossa, tolluntur sacrilegis impurissimorum scurrarum manibus, pedibus proculcantur, eliduntur per ludibrium ad parietes, jactantur ad fornicem, confunduntur, comminuuntur, ac demum haeretico prorsus ludo in morem ensium ad digladiandum sacrosancta haec in habitantis quondam Spiritus sancti organa a Christianissima, si Superis placet, gente, stringuntur, vibranturque.

„Fuit ea, si nosse cupis, amice Lector, vigesima secunda Maji vere nefasta, vere fatalis Pauliniano Collegio dies, qua per probatos jam ante in Maximinianae basilicae excidio cuniculos subversuri, et Paulinianam, in domo Dei comparuere impii Vignorii apparitores, quorum funestam in subruendo firmissimo templo operam, quo penitius cognoscas, ejusdem prius basilicae structuram tantisper mecum contemplare, ac tum demum feralis artificiis energiam perspicias. Binis ea, elegantissimo firmissimoque opere structis in vestibulo turribus in sublime sese efferebat primum, dein per vasta se latera explicans, ac in templi navem chorumque diffundens, decem et quadringentos in longitudine, centum vero ac viginti pedes geometricos in latitudine, immani spatio complectebatur, ea architectonices ratione, ut ingens haec templi moles, decem grandioribus navem inter et alas locatis columnis, potiore sui parte succollaretur. Quod ubi pervidere hominum vaferrimi, quo universam ecclesiae fabricam compendio subruerent, decem illos Paulinianae ecclesiae atlantes subnervare primum constituunt, non ignari, facile collapsuram reliquam incumbentis templi structuram, si hi subsidissent. Consuetis igitur oblongioribus ex ferro instrumentis obarmati, in primam sinistrae alae versus turres columnam incurrunt, eamque quadrangulo foramine ad diametrum pertusam, pyrio pulvere infarciunt, ac relicto tenui ad recipiendum fomitem spiraculo, os cuniculi ligneo firmant obturamento, posteroque 23. Maji die, ductis per sparsum tenui linea pulverem, ad orificium flammis feralem effectum praestolantur. Sed dissiliente tantum ex media parte columna, horrido gaudio tum quidem fraudati sunt; exciso tamen mox alio ad oppositum columnae angulum cuniculo accensoque, tota in ruinam procumbens, et fornicis secum partem in terram traxit, et excussis grandioribus quaquaversum saxis elegantissimum illud variis emblematibus baptisterium evertit. —

„Aderat jam sacrosancta Venerabilis Sacramenti solemnitas, simulque Comitis de Toode Legati Suevici per Treveros in Gallias transituri adventus nunciabatur. Cum Vignorius ad hunc cum pompa excipiendum sollicitus, instituto per urbem militari delectu, consuetas cum Eucharistico ferculo Treverici cleri civiumque processiones hac quidem ratione impedit, nobis tamen per eam militum ad armilustrium avocationem tantum in ecclesia quietis indulget, quo in conservatis etiamnum cryptae altaribus postrema missarum solemnia celebrare liceret. Et vero constitutum erat homini impio in adventantis acatholici Legati pompam, S. Paulini templum subditis flammis per transitum subruere, quo nobilissimae ecclesiae casu gratius haeretico spectaculum exhiberet. Egressus in occursum Legati cum delectis copiis pomeridiano tempore Vig-

norius, dum magno eundem apparatu tubarumque perstrepentium clangore, praeter S. Paulini ecclesiam ad urbem deducit, simulque paratis jam ante cuniculis applicari ignem jubet. Ruptis horrendo fragore cuniculis, ecclesia quidem tota intremuit, stetit tamen, ac quaesitam ex infami spectaculo voluptatem profanis his Iconoclastis denegavit. Ictus hoc probro Vignorius, in eam furoris amentiaeque rabiem exarsit, ut mille diras, cruces mille cuniculorum magistris imprecatus, trecentos alios ex urbe operarios ad S. Paulinum destinaret, qui gravissimorum suppliciorum interminatione constricti, continuato per noctem improbo labore id effecerunt, ut luctuoso prolabentis orthodoxae ecclesiae casu hominis heterodoxi animum oblectare postridie liceret. Quod vix innotuerat draconistae nostro, cum repente ex urbe provolat, ductoque per speciem lustrandorum operum circum urbem Legato, inflammatas primum SS. Albani ac Barbarae ecclesias procul ostentat, tum ad S. Paulinum cum eodem digressus, subtus cuniculis faces imperat, qui rauco aliquamdiu murmure quaesito, sed non invento exitu, tandem cum totali fere procumbentis ecclesiae ruina, postridie Corporis Christi, sunt eluctati. Atque ita demum sacrilegi voti compos de tot nobilissimis circum Treverorum Metropolim basilicis collegiisqus homo nefarius triumphum duxit fastu usque adeo insolente, ut non Caelitibus modo, sed ipsi Deo veluti devicto insultare videretur. Unus certe aliquis cuniculorum Praefectus stricta in Deum Optimum Maximum blasphema lingua palam asserere non dubitavit: Deum sibi pulvere nitrato longe inferiorem videri, cum hunc juratum ecclesiis suis hostem a tot infestis probrosisque nomini suo cladibus cohibere non possit. Sic nimirum, sic Christianissimae huic genti, profanasse loca sacra, evertisse aras, subruisse ecclesias, non satis est, nisi in ipsum etiam supremum Numen virulenta maledicae linguae spicula ejaculentur.

„Jacente hunc in modum una cum praestructis ingentibus turribus universa usque ad chorum ecclesiae fabrica, unae supererant latentes sub principe ara amplissimae illae cryptae, quae octo columnarum humeris succollatae, iis religionis sanctitatisque insigniis sese efferebant, ut, quod in Hierosolymitano quondam templo Sanctum Sanctorum, idem in Pauliniano esset venerandum isthoc Hypogeon. Hic enim suo in tumulo, veluti in pontificio solio, sanctissimus ille Collegii nostri Archipatronus Paulinus inter laureatos Trevericae urbis Senatores medius residebat, ad cujus latus dextrum Palmachius Consul, Thyrsus Dux militum ad sinistrum excubabant. Ad caput septem urbis Senatores, dextrorsum tres, Constantius, Maxentius, Justinus; sinistrorsum quatuor, Maxentius, Leander, Alexander et Soter observabant. Ad pedes quatuor alii invictissimi Treverorum Martyres, versus auctrum Hormisda, et Papyrius, aquilonem versus Constans et Jovinianus quiescebant (*), quibus victorissimis Trevericorum Martyrum Ducibus sui jam manipulares ex diruto nuper sacello huc deportati accesserant, effecerantque ut locus hic subterraneus tot Sanctorum praesidio firmatus cuivis etiam profligate scelerato terribilis fore videretur.

„Resumpta pristina feritate, in vigilia S. Maximini, (a quo D. Paulinus enutritus fuerat) feralem de exscindendo Paulinianae ecclesiae choro sententiam Vignorius pronuntiat. Nec mora. Conveniunt ad Tyranni mandatum horridi ministri, per chorum, per cryptas insane discurrunt, singula disjiciunt, cuncta rimantur, cuncta depraedantur; tum designatis ab operum Praefecto locis, certatim moliuntur cuniculos, eo religionis fideique contemptu, ut profanatis sacrilego labore SS. Felicis et Mari tumbis, demum et ipsum Venerabilis Sacramenti loculamentum, reliquiarumque gazophylacium tribus incisis cuniculis funestare propudiosissimi nebulones non vere-

(*) Conf. quae Gesta referunt Vol. I. p. 45. 57. 87. sqq.

rentur. Quid in extrema hac rebus nostris impendente calamitate ageremus desolatissimi S. Paulini Canonici? De emolliendo Tyranni animo conclamatum erat, elevare autem tot Sanctorum corpora nec religio nec tempus patiebatur. Adoriri igitur promissis visum est cuniculorum Praefectum, si qua ratione amoliri a cryptis cladem posset. Et ille lucri spe inescatus, omnia liberaliter addicere ac spondere: eo se artificio dispositurum cuniculos, ut excusso in vicinum coemeterium pondere nocumenti quam minimum acciperent cryptae. Sed, quis fidem adhibeat hosti? Potitus ille muneribus, ea ratione elaboratos cuniculos direxit, ut tecti, fornicis, murorum columnarumque tota simul moles introrsum procumberet, simulque immanissimo hoc pondere convulsae disruptaeque cryptae subsiderent, ac locatas in pavimento marmoreas Coelitum statuas altariaque comminuerent. Atque ita demum ejectis in exilium Canonicis, eversis Capituli aedibus, excisis una cum amplissimo templo cryptis, celeberrimae illae per totam Europam Trevericorum Martyrum reliquiae, postquam sub annum Christi 1071. e Nortmannicis latebris erutae per sex jam saecula in luce ac veneratione omnium fuerant, hoc millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto Christi anno, Christianissimi Regis imperio, cum immortali nominis ipsius labe, altis iterum ruderibus sunt insepultae, ac completa est abominatio desolationis non remanente lapide super lapidem —

„Multiplices quidem adversantis fortunae casus jam inde a prima sua origine pertulit Collegiata nostra D. Paulini ecclesia, per continuas quodammodo persecutiones, gravissimasque clades ad haec usque tempora propagata. Etenim vix infantiae praetergressa annos, sub quatuor illis Trevericae urbis a Salviano deploratis excidiis eas inundantium malorum procellas excepit, ut vix nata, jam tumulo appropinquare videretur. A quo S. Mari Treverorum Archiepiscopi ope excitata restitutaque, in Nortmannico iterum cataclysmo omnium pene fortunarum personarumque naufragium fecit. Emergentem deinde ab his ruinis vix consecraverat sub annum Christi 1049. Leo IX. Pontifex Romanus, cum anno ejusdem saeculi nonagesime tertio, Calendis Augusti, fortuito rursus incendio, praeter Altare S. Clementis inter ardentium corruentiumque trabium ignes illaesum, tota cum adjuncto monasterio conflagravit. Ex his etiam cineribus tandem renata, Eugeniique III. Pontificia manu in Dei Genitricis honorem pridie Calendas Februarii sacrata, novas iterum flammas sub Eugenio IV. sensit, quas integro vix saeculo restinctas Patrum nostrorum memoria suscitavit fax illa Treverorum, Albertus Marchio Brandenburgicus. Priorem sub Eugenio IV. his verbis lamentatur antiquus Archivii nostri scriptor: „Anno „Domini 1438., tempore Eugenii Papae, tempore Concilii Basileensis contra eundem Eugenium „congregati, regnante Alberto Romanorum Rege, tempore magnae persecutionis ecclesiarum in „Dioecesi Trevirensi, tempore caristae generalis, tempore obitus Vdalrici de Manderscheid Prae„positi, fuerunt habitationes Canonicorum ecclesiae S. Paulini cum ipsa ecclesia combustae, ac „miserabiliter, pro dolor! devastatae, fuerunt prophanationes multorum Presbyterorum ac Cle„ricorum in Dioecesi Trevirensi &c. &c.“ Sic ille sui temporis miserias lamentatur. —

„Molestissima quidem res est (*), ut Ludovicus Galliarum Rex, quem religionis amor Pium indigitavit, dicere solebat, res ablatas justo domino restituere; sed tamen aequissima vox est, loquente Seneca, et jus Gentium prae se ferens: redde quod debes! Imo non aequissima tantum, sed ad salutem prorsus necessaria, magno illo Augustino proclamante:

Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.“

(*) His verbis concludit auctor narrationem suam.

AD CAPUT CCCXXII.

— Ipsa tamen urbs Trevirorum suis spoliata moenibus, et ponte vetustissimo a Gallis destructo. —

Mstum s. t. Chronik des Klosters St. Johann refert: „Anno 1689, den 8. April ist der h. Carfreytag gewesen, haben auf selbigen Tag die francossen die Stadt Mauren vndt Brück angefangen abzubrechen.“

Intacta autem tum mansit murorum pars Mosellam versus, a porta piscatorum (vulgo Fischerthor) ad portam pontis, et hinc ulterius ad propugnaculum usqus (vulgo dictum der rothe Thurm); quam enim vides hujus muri partem manu recentiore exstructam, haec a Gallis (anno 1734) destructa est.

Post hoc murorum urbis nostrae fatum, ne cuilibet vagabundo aperta maneat civitas, septa est palis usque ad annum 1719. —

Pontis Mosellani effigiem ante hanc destructionem exhibet Masenius in sua editione Annal. Trev. I. p. 97.

In jam saepius laudati, horum temporum aequalis Reiffenbergii Notis et Additionibus Msstis ad Broweri Annal Trev. legimus haec memoratu non indigna:

„Historiae Trevirensis partem, quae Metropolim jam tum (*) floruisse asserit, egregie confirmavit lamina illa plumbea, reperta tum, cum jussu Galliarum Regis venerandae antiquitatis pons Mosellae impositus, anno 1689, destrueretur, in quadrata pedum superficie saxi, tres pedes cum medio alti, atque pondus octies mille librarum aequantis, quod tertiae, ab agris numerum incipientibus, columnae pontis Architectus commiserat. Illa enim exhibebat dimidiatae eminentiae statuam, repraesentantem virum hastatum in simplicissimo illo et antiquissimo vestitu, quo fere Hungarorum Husari sive equites adhuc hodie utuntur (**).“

„Inventa tamen et alia, et subducta Gallorum oculis, etiam plumbea, ejusdemque cum priore mensurae, egregii artificis manu formata, quae saxo caeso inclusa, et ad sex pedes intra tertiam pontis columnam abdita, repraesentabat virum, cujus tegmen capitis et facies ictu vel attritu depressa impediebat, ne dignosci posset, an barbatus vel imberbis fuerit; at decora per humeros sparsa caesaries: tegmen capitis videbatur simile fuisse pileis antiquis, quibus adhuc utuntur Senatores Colonienses, Turcarum etiam aliqui sine plicis tamen, et nescio qui Orientales, ut in picturis videmus. Scutum gerebat non adeo magnum incisis variis, ad ornatum magis, quam ad tutelam accomodatum, in cujus umbone emblemata, non nisi ductus et flexus lineares. Gladio, non ut nos, ad latus, sed velut pugione, cujus capulus ventrem tangebat, accinctus erat; dextra manu arcum tenebat; chlamis videbatur squamata; per scutum fimbria pinulae sive paludamenti dependebat nodulata sive clavata, uti in exemplari videre est (***). Diversus est utriusque imaginis habitus, quia nimirum unus hominis togati et Regis, alter militis; in hoc tamen conveniunt, non fuisse, quos repraesentant, Romanos.“ —

(*) Scilicet ante Romanorum adventum in has provincias, ut opinatur Reiffenberg. Alii aliter de hac re judicant. Inter hos excitemus Browerum, cujus verba (in suo Annalium Msto authentico) huc spectantia haec sunt: „Ad Romani florentis imperii tempora relegandum opus.“ Quidam viri eruditi opinantur, pontem et portam Martis, opera quidem Romana, sed arte Etrusca exstructa esse.

(**) Haec lamina in manus Confessarii Ludovici XIV., Patris S. J. de la Chaise, per donationem venerat.

(***) Reiffenberg hanc laminam sibi acquisivit. — Binarum delineationem operi suo addidit. Vide etiam Wyttenbach (Gesch. von Trier).

„Dolendum, quod lapis ille, cui inserta fuit haec altera lamina, inventori (qui fuit Joannes Maurer) e manibus in aquam decideret. Dixit Latinis in eo scriptum fuisse literis: TREVIRIS; si non fefellit, sed bene legit.“ —

His adde Dissertationem nostram: Hiſtoriſch-antiquariſche Forſchung über das Alter der Moſelbrücke zu Trier. Trier 1826. —

AD CAPUT CCCXXVII.

— Carthusiam et pontem Conzianum &c. &c.

Audiamus scriptorem Msti Carthusiensis, quo jam in nota marginali ad caput 316. et ad cap. 256. (Vol. II.) usi sumus, de hac nova Carthusiae exstructione disserentem:

„Sub Priore Martino Schue (*) Neumagensi tandem de nova reaedificanda habitatione deliberatum est. Primo quidem de facultatum impendiis ad tantam molem necessariis; secundo de loco, ubinam scilicet maxime congrueret ejusmodi Carthusiam erigere; tertio de providendo valde perito architecto, ne, si in re tam ardua aedificantis peritio deforet, tam labor, quam expensae perperam applicarentur, et omnium nos ludibrio una cum rerum dispendio exponeremus.

„Difficultas potissimum nata de congruo loco, in qua diu multumque laborabatur, dum ex variis opinionibus variae sequebantur sententiae. Quidam iterum in antiquo loco prope muros Trevirenses, alii in civitate im Reulander Hof, alii prope Merzlich, alii in inferiore, alii in superiore Körich reaedificandum putabant. Perpensis perspectisque omnibus, tandem ad locum prope Merzlich, ad crucem pendulam seu dem fliehenden Creutz dictam, deventum est.

„Accurebat Pater Frey, socium habens Electoris Moguntini architecturae praepositum peritissimum Vitum Schneider, qui in dicto loco prope Merzlich aedificandum unanimiter concludebant. Ast, ecce nova turbatio novique motus! Cum enim potior pars loci ad Domicellas in Horreo seu ad S. Irminam cum jure regalium et supremae jurisdictionis pertineret; illae neutiquam consentire volebant, nec preces, nec aequissimas permutationes oblatas attendentes. Dixisses, facilius esse Augiae stabulum purgare, aut Lerneam debellare hydram, quam hasce virgines ad consensum permutationis permovere.

„In his angustiis constitutus P. Prior Martinus supplices literas ad Principem Joannem Hugonem dedit, ut dictas moniales ad consensum compelleret. Tunc Archiepiscopus Commissarios constituit, Suffraganeum ab Anethan, et Officialem Ossweiler, qui inter nos et illas judicarent. Nos interim, bona spe ducti, palos figere, funes ducere, et novae structurae fundamenta, auspiciis minus prosperis, delineare coepimus.

„Villicus autem Horreensis Abbatissae Annae Christinae Colb de Niedingen retulit, quod nostri palos pro terminis totius aedificii secus viam publicam posuissent. Hoc inaudito, muliebri concitata indignatione, jussit villicum omnes stipites evellere, se enim nullatenus passuram, ut in fundo et jurisdictione sua Carthusiani monasterium construerent.

„Ecce hic denuo in scyllam conjectus P. Prior, quo se converteret, haesit. Verum resumpto animo Abbatissam iterato supplex adiit, et ardentissimis precibus, ut Commissarios permutationemque admitteret, persuasit.

(*) Hic trigesimus quintus Carthusiae nostrae Prior a Capitulo generali ex Praesidentia Erfurtiana ad Prioratum Trevirensem missus, anno 1679. 7ma Junii installatus, cuncta strenue administravit. Crescente fama et authoritate hujus viri egregii, a Capitulo generali primo Convisitatoris, ac mox Visitatoris primarii munere cohonestatus est. Obiit 23. Decemb. 1695. —

„Acceptato itaque contractu P. Martinus Schue anno 1680. omnibus praeparatis, Principem, misso supplici libello, ut fundamentalem lapidem consueta benedictione ac ceremoniis solemnibus ponere dignaretur, rogavit. Igitur 30ma Aprilis, in honorem Dei O. M., B. V. Mariae, S. Joannis Bapt., S. Patris nostri Brunonis et S. Albani Martyris, primum hujus Carthusiae lapidem, delegata sibi potestate Archiepiscopali, posuit et benedixit Joannes Philippus de Walderdorf Metropolitanae ecclesiae Decanus, coram ibidem agentibus Damiano Henrico ab Orsbeck, Damiano Ernesto a Warsberg, Wilhelmo de Loe ex Wissen, Canonicis capitularibus, item Patribus Joanne Frey Visitatore et Martino Schue Priore cum septem aliis Conventualibus. Intererant quoque duo Patres Capucini, quorum unus ad circumstantem utriusque sexus populum elegantem habens sermonem, praesenti negotio omnino conformem, plausum plebeculae adeptus est. —

„Post haec coepti operis machinam, caveas vinarias, anteriora hospitum cubicula, fratrum laicorum et officialium cellas, et in utraque ala aulas majores cum ceteris appenditiis, scilicet bibliothecam et sacellum B. M. V. prosecutus est. Hoc sacellum anno 1685. cum tribus in eo structis altaribus benedixit Joannes Philippus Burckard Episcopus Tripolitanus, Spirensis Suffraganeus (Trevir. Suffraganeo infirmitate Confluentiae detento).

„Crescente hoc modo structura nostra, crescunt quoque tribulationes. Carthusia, quae ultra vires aedificium aggressa fuerat, pluribus sese debitis obstrixit. Ast Deus insignem submisit benefactricem, Agnetem Maurbach, civem Trevirensem, quae opulenta valde, octo cellas suis sumptibus aedificavit, debita remisit, ornamenta ecclesiastica argentea, serica et linea, cum quatuor candelabris argenteis donavit, altare S. Agnetis fundavit, insuper pro Conventu in S. Agnetis festo et in die anniversarii sui, in futura saecula plenam gratiam in piscibus et vino cum torta butiracea ex certa pensione porrigendam legavit, —

„Tandem anno 1716. ecclesia nostra, suum nacta colophonem (sub Priore Friderico Kneip) mire superbuit. Eam Suffraganeus ab Eyss, adstantibus Canonicis Metropolitanis, Consiliariis aulicis, cuncto civitatis Trevirensis Senatu, die 26. Martii, dedicavit consecravitque: porro hunc actum splendidum et fere regium convivium finivit (*).“ —

AD CAPUT CCCXXXIII.

— Plurimi utriusque sexus homines ex Treviratu &c. &c.

Edictum Joannis Hugonis Archiep. de non tolerandis emigrationibus Trevirorum in Americam septentrionalem est de 17. Junii 1709. Documentum sequens, Treviris 20. Jun. publicatum, illius edicti argumentum integrum refert, et quidem hoc modo:

„Wir burgermeiſter, ſcheffen vndt rath der Statt Trier fügen hiermit allen burgern vndt Einwohnern zu wiſſen, demnach ihre Churfürſtl. Gnaden vnſer Gnädigſter Herr mißfällig vernommen, wie verſchiedene dero vnterthanen ſich durch allerhand Irrige vorbildungen verlaiten lieſſen, ihr vatterlandt zu verlaſſen, vndt ſich mit Weib vndt Kindt nacher denen zu America gelegene Inſulen zu begeben; ſolches aber umb da mehr zu hindern ſich verpflichtet befinden, alß ſie zuverläßig benachrichtiget worden, daß es mit ſolchen Inſulen nicht, wie angegeben worden, will beſchaffen ſeyn, auch darinnen keine Catholiſche, ſondern allein Luteriſch- Calviniſch- vndt dergleichen ketzeriſche Religionen geduldet

(*) Monasterio et ecclesiae pulcherrimae aetas nostra magnas et tristes ruinas parabat!

„werden; woruber nechſtens Eine warhaffte beſchreibung in druck außgehen ſolle, folglich die Jenige „welche ſich dahin zu begeben geſinnet, ſo wohl leib als ſehl in höchſte gefahr ſetzen; dahero Höchſt „Ermte ihre Churfürſtl. gnaden gnädigſt Ernſtlich nicht allein befohlen, ihre getreweſte Unterthanen „deſſen zu verwahrnen, ſondern auch bey Poen der Confiscation verbotten, von ſolchen abweichenden „vnterthanen Etwas ahn liegendt- oder fahrenden güetheren abzukauffen; daß wir zu gehorſambſter „Einfolg ſothanen Gnädigſten Befehl, ſelbigen hirmit zu Eines Jeden nachricht durch öffentlichen Trom- „melſchlag publiciren, vndt ahn gewöhnliche orthen der Statt ſchriftlich anhefften laßen, womit ſich „Keiner mit der vnwiſſenheit zu Entſchuldigen, hingegen deme alſo gehorſambſt nachzuleben Anlaß habe. „So geſchehen Trier den 20. Juny 1709."

AD CAPUT CCCXLVII.

— Ad melius cognoscendam hujus dissensionis rationem, haec observamus. In deductione status et gravaminum anni 1649. (Vid. hanc deductionem in Honth. Hist. dipl. III. p. 576 sqq.) refertur, Clerum Trevirensem olim dimidiam, dein tertiam, post quartam tributorum partem respectu Status saecularis contribuisse. Transactione anni 1603. definitum est, ut Clerus omnium collectarum (quas vulgo Simpeln vocabant) unam quintam, saeculares econtra quatuor reliquas partes ferrent. At de hujus etiam ratae excessu Clerum questum fuisse, apparet ex solida informatione anni 1630. (Ibid. p. 318. sq.). Fluctuans deinde Cleri quota inter semi-sextam, septimam, imo octavam et nonam futurae peraequationi determinanda servatur in Comitiis Provincialibus anni 1634., in quibus idem quantum provisorie et ad interim ad octavam in Provincialibus, ad septimam vero in Imperii collectis regulatum est. Sub auctoritate et mediatione subdelegatorum Commissariorum Imperialium deinde anno 1649. conventum est, ut annua collectarum summa in quinque portiones cum dimidia distribueretur, e quibus Clerus unam, saeculares quatuor cum dimidia ferrent. Sed ne sic quidem firmo pede stetit, quin postea ad semi-sextam ita restitueretur Cleri quota, ut ex quinque et dimidia partibus ipse unam contribueret. Atque hoc pede res nostra tributaria stetit usque ad annum 1714., quo eadem novam plane periodum nacta est ex perpetua conventione, 23. Novembris inter Status inita. (Conf. hujus capitis initium cum nota nostra marginali). —

Quaedam folia Mss., hucusque non evulgata, nobis ad manus sunt, quae versus germanicos, satis aculeatos referunt auctore Bertramo Linn, tum Deputato Monasteriensi in Comitiis Trevirensibus. In famosam Cleri semi-sextam scriptor Linn sic lusit:

„Anno 1714 im November iſt der Vergleich zwiſchen Geiſt- und Weltlichen Land-Ständen des „Hoch-Ertz-Stiffts Trier festo S. Florini auf dem Stadt-Rathhaus zu Coblenz angefangen, und „festo S. Clementis Papae des Nachts vollendet worden. Worüber ich folgende rythmiſche Reflection „gemacht:"

„Der heilige Florin hat zwiſchen beiden Ständen
„Die Streitigkeit geſucht alleinig zu vollenden:
„Als Clemens dies vernahm, griff er dem Prieſter ein,
„Und wollte beym Vertrag als Pabſt ſelbſt Mittler ſeyn;
„Den er dann endlich auch des Abends in der Nacht,
„Als mann eilf Uhren zählt, zur Unterſchrift gebracht.

„Folgt die Grabſchrift
„Der durch vorgemelten Vergleich getödteten Semi-Sextae

„juxta textum S. Scripturae:
„Melior erat ipsi mors, quam vita.
„Als Clemens beyde Ständ beſtändig hat verglichen,
„Und einen neuen Fuß zum Beytrag ausgeſicht;
„Da iſt die Semisext auf Einmahl Tod's verblichen,
„Durch Truck der Clerisy ohn Urtheil hingericht.
„Doch beſſer war der Tod, als ſolch verhaſtes Leben,
„Weit beſſer ewig Ruh, als ſtäter Truck und Groll.
„Drumb traur nicht, Wandersmann! und laß die Lehr dir geben:
„Daß wer ohn Klag und Schmach hier ruhig leben ſoll,
„Auch ehrlich mit Geſang zum Grab willt ſeyn getragen,
„Der muß der Clerisy gar nichts von Simplen ſagen." —
„Posuit ad 1714 B. Linn
„Stadt-Münſterer Deputatus."

— Sequitur Caroli Archiep. edictum, nondum typis expressum, Seminarium Clericorum Treviris institutum concernens. Est autem hujus argumenti:

„Carolus Dei Gratia Archi-Episcopus Trevirensis S. R. J. per Galliam, et Regnum Arelatense Archi-Cancellarius ac Princeps Elector, Episcopus Osnabrugensis, Administrator Prumiensis, Dux Lotharingiae et Barri, magnus Castellae, et Legionis ordinis Melitensis Prior.

Cum a Praedecessoribus nostris ex mente Sacrosancti Concilii Tridentini Seminarium Clericorum Treviris eo fine institutum sit, ut in eodem adolescentes ex omnibus selecti, et quorum indoles et voluntas spem certam afferat eos ministeriis Ecclesiasticis, ac praesertim animarum Curae aliquando in patria cum fructu inservituros esse, admitti solummodo debeant: Nos sollicitam curam gerentes, ut ea, quae a dictis Praedecessoribus nostris saluberrime instituta sunt, debitum effectum sortiantur, et Patriae de idoneis, atque optimis animarum Curatoribus provideatur, neque favori, gratiae, intercessioni, aut patrocinio cujuscunque etiam personae in admissione ad Seminarium locus amplius habeatur, praesentium tenore, de Patrum Societatis Jesu, quibus ejusdem Seminarii cura demandata est, sensu, ac consilio statuimus, et ordinamus.

1mo Quod ad Seminarium admitti nullatenus debeant nisi habentes requisita in ipso tenore fundationis, scilicet adolescentes ex omnibus selecti, legitimo thoro nati, linguae Germanicae periti, in scholis absolute primi, aut primis proximi.

2do Tales seligantur, qui consideratis omnibus, scilicet vita, moribus, scientia, prudentia, talento concionandi, aliisque ad munus pastorale requisitis maxime idonei futuri esse censentur ad curam animarum, ad quam deinde suscipiendam, juramento sub ingressum praestito, obligantur.

3tio Non admittantur, nisi post absolutam Philosophiam, eo quod citius experimentum certum haberi vix possit, num ad curam animarum vocati, aut ad eam idonei futuri sint, quorum si alterutrum defuturum sit, sumptus sine debito fructu et contra intentionem fundatorum impenderentur.

4to Caeteris paribus praeferantur Theologi, qui jam scientiae suae specimen dederunt, eo etiam fine, ut Seminarium plures Patriae suppeditare possit, qui in exercitiis spiritualibus, meditationibus, cantu, concionibus, catechesi, ritibus aliisque functionibus sacris exercitati sint.

5to Praeferantur indigenae, aut qui saltem Treviris, vel Confluentiae studia absolverunt, cum idipsum et aequitas et Patriae bonum exigat, atque de eorum etiam vita, moribus, ac talentis facilius constet, seque moribus, ac Genio Patriae magis accomodent.

6to Admittendi initiati sint, aut quam primum initientur prima tonsura, et quatuor minoribus, et incedant in habitu, seu veste talari oblonga cum corona Clericali, licet majoribus ordinibus initiati non sint, quotidie meditatione vacent, et per annum exercitia spiritualia peragant, optandumque esset, Convictores ac alios etiam cum tonsura, et clericali habitu incedere, atque in divinis officiis munia sua obire, ut in omnibus aequalis ordo, ac disciplina servari possit.

7mo Maneant Alumni in Seminario, usque dum ad curam apti sint, et evocentur, et tamdiu in Spiritualibus, Theologicis, casibus, controversiis, ritibus, concionibus, Sacrarum Litterarum intelligentia, Historia Ecclesiastica, sanctis Patribus, cantu Gregoriano, aliisque exerceantur.

8vo Utque eo melius in dictis functionibus pastoralibus et Ecclesiasticis se exercere, easdemque in Ecclesiis Parochialibus tam in urbe, quam extra in proximis pagis publice practicare, baptizare, catechizare, aegris ac moribundis in hospitali ac alibi assistere, Sacra solemnia cum exacta sacrorum rituum observantia, Diaconis, Subdiaconis, Caeremoniario, et Acolythis habere, nec non alia quaevis divina officia secundum Rubricarum praescriptum peragere possint ac valeant, hisce concedimus ac speciali gratia indulgemus, ut deinceps tres saltem Alumni, qui ad id magis idonei esse per rigidum examen reperientur, et sufficientem pro animarum cura capacitatem habere dignoscentur, ad majores ordines titulo mensae nostrae Archi-Episcopalis, servatis quoad fieri potest interstitiis, aut saltem temporibus ordinari possint, ea ratione, ut unus eorum Subdiaconus, alter Diaconus, tertius Presbyter existat tam diu, donec a nobis, aut aliunde ad curam evocati fuerint, quo casu alius ut supra idoneus in illorum locum ordinari, et substitui poterit.

9no Nemo admittatur per Rectorem Seminarii, nisi de Consilio Rectoris Collegii, et Professorum Treviris, aut Confluentiae, instituto prius accurato examine, maxime ubi plures concurrunt, ut eo certius constet, non nisi optimos, et maxime idoneos seligi, et omnis via favori, gratiae, aut patrocinio praecludatur; utque ordinationibus hisce nostris firmius robur addamus, easdem propria manu subscripsimus, et Sigillo nostro Archi-Episcopali jussimus communiri. Datum in Residentia nostra Ehrenbreitstein 18va Aprilis 1715.“

(L. S.) Carolus Archi-Episcopus Elector Trevirensis.

Anno praecedente idem Archiepiscopus aliud edictum, Cleri disiplinam concernens (in diplomatariis impressis etiam praetermissum) publicaverat hujus argumenti: „Carolus &c. &c. Quan„quam Sacrosancti Concilii Tridentini decreto (Sess. 14. c. 6.) de reformatione antiquarum Ca„nonum innovativo, aliisque post illud tam constitutionibus Pontificiis, quam iteratis Archiepis„coporum praedecessorum nostrorum (*) ordinationibus provide sancitum fuerit, quomodo Cle„ricos in sortem Domini vocatos oporteat vitam moresque suos componere, et habitu, gestu, „incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac religione „plenum praeseferre, ac praesertim vestes proprio convenientes ordini semper deferre, ut per „decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant, ac in forma vestium, „quae mentis indicium est, regalis Sacerdotii dignitatem a filiorum hujus saeculi vanitate distin„guant. Cum vero nobis relatum fuerit, salutaria haec ad promovendam disciplinam ecclesiasti„cam monita seu mandata, non ea qua decet reverentia et obedientia, ab omnibus et singulis „executioni data fuisse; imo abusum in portandis vestibus et palliis caeruleis seu alterius „a nigro distincti coloris promiscue invaluisse, ac a quibusdam contra statutorum tenorem,

(*) Balduini de an. 1339. 20. Maji. — Caroli Caspari de an. 1667. 1. Febr, et Joannis Hugonis de an. 1680. 27. Augusti.

„tabernas et popinas publicas, nec non convivia nuptialia, baptismalia, aliaque „ejusmodi cum scandalis saecularium frequentari, alearum chartarumque ludo deserviri, „imo adeo, quod in Sacerdote horrendum est, choreas duci. Nos proinde pro Archiepisco„palis nostri muneris exigentia, hisce in contemptum ordinis ecclesiastici vergentibus corruptelis „occurrere, et supra memorata decreta poenalia exactiori observantiae dare volentes, omnibus „et singulis districte praecipiendo mandamus, ut in sacris ordinibus constituti habitum clericalem „ordini suo congruentem, quem secundum decreta Pontificum oporteret esse talarem, semper „deferant, neque caeruleis palliis seu vestibus alio, quam nigro colore tinctis, aut collaribus „quam ordini clericali propriis sub quocunque praetextu uti, nec tabernas citra necessitatem „itineris ingredi, aut convivia nuptialia, baptismalia, nundinas publicas frequentare, minus „vero chartarum alearumque ludo deservire et choreas ducere praesumant, sub arbitrariis poenis, „etiam suspensionis a divinis, ubi moniti semel non resipuerint, contra refractarios decernendis. „Quem in finem Vicariatui nostro Generali et Curiis nostris ecclesiasticis specialiter hisce „committimus, ut contra transgressores hujus decreti nostri quibuscunque opportunis modis pro„cedant seu procedi faciant, prout convenientia et necessitas exigere visa fuerit. In quorum „fidem &c. &c. &c.

„Dat. Ehrenbreitstein 25. Octobris 1714.

Carolus Archiep. Elect. Trev.

AD CAPUT CCCLIII.

— Ad historiam antiquissimae Abbatiae Prumiensis, haec paucula in his appendicibus evulgamus.

Pipinus, Francorum Rex (vir illuster, sic in chartis) Caroli M. pater, et Bertrada, Pipini conjux, hoc monasterium O. S. Benedicti sub patrocinio S. Salvatoris fundaverant. In Chartulario Prumiensi (*) designatur: monasterium S. Salvatoris, quod est construc-

(*) Hoc praestantissimum Chartularium continet exempla documentorum centum circiter, quorum multa typis publicarunt Miraeus, Martene, Mabillon, Hontheim, Knauff, alii. Habet hoc Chartularium prae multis aliis hanc excellentiam, quod diplomatum exempla per manus chartis fere ipsis contemporaneas scripta esse videantur. Desinit Chartularium saeculo XI. In his chartis varii signantur pagi (Gauen) medio aevo noti, in quibus huic monasterio donationes copiosae factae fuerant. Sunt autem hi pagi, ex chartis accurate descripti: Pagus Arduinae, P. Ariscus, P. Wormacensis, P. Elfla, P. Bedinsis, P. Ribuariensis, P. Andeganus, P. Loganacensis, P. Analgauue ultra Rhenum, P. Aroensis, P. Mosaliensis, P. Muslinsis, P. Herflinsis in comitatu scilicet Tulpiacensi, P. qui vocatur superior Logana, P. Aquilinsis, P. Afflinsis, P. Celmanicus, P. Rodonicus. — „Incredibile dictu (scribit Browerus in suo Msto Metrop. eccl. Trev. authentico, ubi de Prumiensi Abbatia disserit) quam late patentium fundorum et vectigalium indicem olim inspiciendi copia fuit!“ — In eodem monasterio asservabatur (ut Treviris olim in monasterio S. Maximini) Codex Mstus aureus Evangeliorum (qui vero, proh! patriae jam deperditus est.)

Vir quidam intelligens voto nostro respondens, de hoc Cod. Msto excellenti, quem olim attentius perlustraverat, haec nobis rescribit: „Auf dem letzten Blatt dieſes Codex Evangeliorum iſt mit ſpäterer Hand, „als das mit Uncialbuchſtaben geſchriebene Evangelienbuch zeigt, folgendes notirt: Anno DCCCLII., indictione „XV., adveniens Lotharius Prumiam monasterium, quod est constructum in honorem Domini et Salvatoris „nostri J. Chr., anno imperii sui in Italia XXXIII. et in Francia XIII., obtulit haec mente devota sancto „Salvatori et omnibus Sanctis pro remedio animae suae et conjugis defunctae prolisque et omnium prae-

tum in finibus Arduennae, super fluvium Prumia vocatum, ubi turma monachorum Deo servientium adunata. Fundatores hoc monasterium amplissime dotaverant; sed tractu temporis, saeculo potissimum XVI., in deformitatem, paupertatem et squallorem est redactum, idque ob Abbatum indignorum summam negligentiam et socordiam, vitam denique monachorum dissolutam. Vid. Statum Abbatiae Prum., Casparo Groppero S. Sedis Apost. in Germaniam Nuncio, per Visitatores a Nuncio deputatos exhibitum, 1. Febr. 1574. (Honth. Hist. Trev. dipl. III. p. 32. sqq.) — Adde Bullam perpetuae unionis, annexionis et incorporationis Abbatiae Prum., a Gregorio XIII. summo Pontifice mensae Archiepiscopali Trevirensi factam 1. Sep. 1579. (ibid. p. 94. sqq.) — Adde porro diploma Maximiliani II. Imp. de 28. Nov. 1575. (ibid. p. 44. sq.) Conf. etiam Reformationem monasterii S. Salvatoris in Prumia, auctoritate Jacobi Archiep. Trev., primi Administratoris perpetui, 1579. (ibid. p. 99.) Hanc administrationem susceperat Jacobus an. 1576 in S. Augustini die.

Adversus perpetuam hanc unionem, anno 1716 edidit Cosmas Knauff, monasterii Prumiensis eo tempore Prior, librum, cui titulus: Defensio Imperialis, liberae et exemptae Abbatiae sanctissimi Salvatoris Ord. Benedicti, S. R. J. Principatus Prumienis, contra Archiepiscopatum et Capitulum Metropolitanum Trevirense &c. Quo scripto satis temerario hanc unionem ex capite obreptionis, post centum triginta sex annorum curriculum, impugnabat. De modo scribendi clarissimus Schannat Honthemio in familiari colloquio protulit hanc observationem: Priorem Knauff, quam intrare volebat domum, tanto impetu invasisse, ut in ipso atrio procumbens, a porta obrutus et protritus jacuerit. Unde etiam evenit, ut indigesti operis auctor, ex mandato Francisci Ludovici Archiep., male tractatus sit an. 1720., et tandem vitam in arce Ehrenbreitsteiniana finierit.

Ceterum non praecipua solum diplomata is liber (modo rarus) continet ad publicum Abbatiae statum antiquum pertinentia, sed et plures alias notitias historicas, quae ad res Prumienses inde a sua origine in luce ponendas conducunt. — Adde aliud impressum de an. 1751. s. t. Gründlicher Beweis, daß dem Erzſtiftiſchen Domkapitel zu Trier die Landesherrliche Zwiſchenregierung in dem mit dem Erzſtifte Trier auf ewig vereinigten Fürſtenthume Prüm bei gehinderten oder erledigten Erzbiſchöflichen Stuhle ausſchließlich zuſtehe. Conf. etiam cap. 300. Gestorum p. 46.

„deccssorum suorum, pro statu regni. Dieſer Codex Evangeliorum, mit köſtlichen Steinen geziert, wurde „alſo vom Kaiſer Lotharius dem Kloſter Prüm geſchenkt, als es ihm einfiel, daſelbſt Mönch zu werden, um das „Andenken ſeiner böſen Thaten auszulöſchen. — Auf dem vorletzten, nach den Evangelien leer gelaſſenen Blatte „ſteht von der nämlichen ſpätern Hand geſchrieben: Anno inc. Dni MCCXXIX, abbate Friderico, Decano „Theodorico, Custode Reinardo . . . ego Joannes peccator, monachus et rector scolarum ejusdem „ecclesiae, ex rogatu domini Custodis, inscripsi huic libro nomina reliquiarum quae sunt in crypta. — „Die Namen der Reliquien habe ich nicht alle ausgeſchrieben, ſondern bloß die erſten, nämlich: de pallio Domini, de columna, ad quam flagellatus est; de sepulchro, de sudario Domini; de monte Sinai in loco, quo „Dominus Moysi locutus est &c. &c. &c. — — Von dieſem Codex Evangel. fand ich noch merkwürdig, daß „er in der Kirche zur Zeit der Charwoche gebraucht worden; denn ich ſah die Abtheilungen für die Prieſter, welche die Paſſionsgeſchichte abſingen, angemerkt, und über den Worten die alten Tonzeichen oder Noten, wornach „die Paſſion zu ſingen war.“ — Hucusque relatio amici nostri. —

Conf. quae exhibuimus in additamentis (Vol. I. p. 1. 8.) de aliis Msstis pretiosis hujus monasterii.

AD CAPUT CCCLXXVII.

— In Protocollo Msto monasterii ad S. Mathiam ad annum 1771 de hac solemni processione legimus sequentia, mores et ritus hujus temporis illustrantia:

„Anno 1771. 8. Sept., festo Nativitatis B. M. V., Archiepiscopus Trev. Clemens Wences-„laus comitatus est processionem, singulis annis circa medium octavae matutinae fieri solitam, „e Cathedrali ecclesia ad ecclesiam S. Mathiae, cum offertorio cerei, ponderis centum librarum „ab urbe Treverica. Archiepiscopus ipsemet portavit Venerabile Sacramentum, pluviali „indutus, ab ecclesia Cathedrali usque ad portam novam urbis, et iterum a porta monasterii „S. Mathiae usque ad altare S. Mathiae: reliquo tempore Ven. Sacram. portavit Suffraganeus „Trev. ab Hontheim. Primarius Diaconus erat L. B. a Dalberg, cui assistebant duo alii Dia-„coni Canonici ad S. Paulinum et ad S. Simeonem: pariter primarius Subdiaconus erat L. B. „a Beissel, cui etiam assistebant duo alii Subdiaconi Canonici ad S. Paul. et ad S. Simeon. — Aderant. porro duo Abbates ad S. Maximinum et ad Ss. Martyres, pluviali induti, sed sine „mitra et pedo. Insignia pretiosa Archiepiscopalia, nempe crux, pedum et mitra a tribus „Nobilibus Domicellaribus ferebantur, gladius vero Electoralis a Comite de Metternich in ha-„bitu hispanico portabatur. Tempore quo Archiepiscopus non portabat Venerabile, immediate „sequebatur Sanctissimum, dextra manu gerens facem ardentem et alia rosarium. Canonici erant „omnes induti superpelliceo, sicut moris, tenebantque ordines suos sicut et Regulares omnes, „more in his solemnitatibus solito. Coelum portatile portarunt a Cathedrali ecclesia usque ad „portam novam quatuor Nobiles aulici; ab hac porta usque ad pontem Leonis quatuor „Consiliarii aulici; a ponte usque ad crucem St. Mathianam, vulgo breiten Creutz, qua-„tuor Senatores urbis in palliis rubris; ab hac cruce usque ad portam monasterii St. Ma-„thiani quatuor Scabini judiciarii, vulgo Blutſchcffen; denique ab hac porta usque ad por-„tam templi iterum quatuor Nobiles aulici. Idem observatum est ab omnibus revertendo ad „civitatem. Omnes satellites Principis ab utraque parte cingebant coelum portatile. —

„Adveniente Archiepiscopo ad altare S. Mathiae, dedit Benedictionem cum Venerabili, uti „moris est; qua data ingressus est chorum, et genuflectens super cubitale precarium ante sum-„mum altare, se praeparavit ad Missam legendam. Celebratum fuit Summum Sacrum in altari „S. Mathiae a Suffraganeo. Post Credo habita est Concio a Concionatore ordinario S. J. ec-„clesiae Metropol.; post Concionem prosecuta est Missa, et post Missam Cantor Metrop. into-„navit Te Deum Laudamus. Musici aderant ex aula Principis et ex Cathedrali ecclesia. „Princeps, peracta praeparatione ad Missam, indutus est paramentis sacris a Capellanis suis, „qui et inservierunt Missae privatae. Finita hac Missa Archiepiscopus dedit benedictionem Con-„cionatori.

„Statim post hunc actum Princeps, praecedente P. Cellerario nostro, et Mareschallo aulico, „ductus est per sacristiam et ambitum ad Abbatiam. Sequebantur Principem Canonici Nobiles „ceterique Magnates. Pariter Principissa soror Archiepiscopi, praecedente P. Priore, et suo „Mareschallo aulico, manu eam sustentante, ducta est eadem via ad Abbatiam.

„Ibidem omnes, numero 22. mensae assisterunt, ac splendidum jentaculum diversis ferculis „praeparatum sumpserunt. Interim non solum Abbatia, etiam Celleraria et Conventus fuerunt „repleti hospitibus (Consiliariis aulicis scilicet et Senatoribus urbis &c. &c.) in numerosa plane „quantitate hucusque nondum visa, crediturque ad medium plaustrum vini hoc mane

„depromptum, et pro jentaculo a solis convivis exhaustum, maxime a famulis „aulicis, qui erant in Celleraria.

„Finita Concione Sacristanus eccles Metrop. Welter hoc indixit Canonicis Nobilibus in „Abbatia, et statim surrexit Princeps Archiepiscopus e mensa, perrexitque modo ante fato ad „ecclesiam cum toto comitatu suo, ac residuam Summi Sacri partem audivit. — Processio denuo, „ordine quo huc venerat, reversa est ad civitatem. —

„Notandum, quod hoc anno fuerit maxima multitudo Peregrinorum ex omni parte adventan„tium pro videnda hac processione, quae erat pulcherrima, et ab anno 1696 hucusque praesen„tia Archiepiscopi Trev. non condecorata (*).“ —

AD IDEM CAPUT CCCLXXVII.

Ex Codice Msto nondum edito Conradi D'Hame, Abbatiae ad S. Mathiam prope Treviros olim Professi, quem inscripsit: Confluvium historicum seu historia Monasterii Montis B. M. V. prope Boppardiam, ex antiquissimis membranis, inscriptionibus, picturis, lapidibus &c. &c. collecta &c. Vol. I. (ex liberali donatione auctoris modo biblioth. Trev. No. XCIX sign.) de P. Clemente XIV. et Societate Jesu sequentia nobis commemoranda suut:

„Anno 1773 die 21. Julii Societas Jesu per totum orbem abrogata et extincta est, vi Brevis Clementis XIV. ex Ordine Minorum (Conventualium S. Francisci), Generali (Laurentio Ric„ci) cum suis assistentibus in custodiam ad castellum S. Angeli (Engelsburg) mancipatis. „Breve memoratum sub dato antedicto Romae promulgatum, mense Septembri insequente, per „totum Imperium Patribus dictae Societatis publicatum est, eorumque bona tam mo-quam im„mobilia per Commissarios Archiepiscoporum — Episcoporum — et Principum inventarata, con„signata, et in possessionem accepta, partim Seminariis, partim aerariis Principum incorporata „fuere, Exjesuitis, sacris initiatis, pensione vitalitia assignata: studia vero majori ex parte Cle„ricis saecularibus, partim etiam Exjesuitis, et partim aliis Regularibus addicta fuere. Con„sistebat haec Societas (illo tempore) in quadraginta Provinciis — mille quingentis triginta „octo Domibus — et 22,589 Personis. In sola etenim Germania stricte dicta possederat 117. „Collegia — 13. Novitiatus — 66. Seminaria — 50. Residentias; quae loca 4,940 Personae in„habitavere, e quibus fuere 2,558 Sacerdotes (**). —

„Ad extinctam Societatem famosus Voltaire sequens distichon dedit:

„Nunc Lojola jacet Monacho prostratus ab uno:
„Verbere sic Asini (***) ccidit ille Leo!

„Anno 1774 die 22. Septemb. obiit Clemens XIV., antea dictus Laurentius Ganganelli, na„tus Archangeli an. 1705, die 31. Octob. Ingressus est Ordinem S. Francisci an. 1723, creatus „Cardinalis a Clemente XIII. an. 1759 24. Sept., et Pontifex Maximus, praeter exspectationem „universae Christianitatis, unicus in Collegio Cardinalium Regularis (monachus) superstes, sub

